



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

21225

e

✓ Baubach, Johannes
Friedrich

IOAN. FRANCISCI BVDDEI

D. ET PP.


ANALECTA
HISTORIAE PHILOSO-
PHICÆ.



HALÆ SAXONVM,
Sumptibus ORPHANOTROPHII

ANNO M. DCC. VI.

THE
LIBRARY OF THE
CONGRESS
WASHINGTON, D. C.



1800

EXCELLENTISSIMO, NOBILISSIMO, ET EXPERI-
ENTISSIMO VIRO

FRIDERICO HOFFMAN-
NO

MEDICINÆ DOCTORI AC PROFESSORI LONGE
CELEBERRIMO, POTENTISSIMIQVE
BORVSSIÆ REGIS CONSI-
LIARIO


S. P. D.

IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS,

757027-A.



VIR EXCELLENTISSIME, NOBILISSIME, EXPERIENTISSIMEQUE,

uas vnico hic fasciculo comprehensas vides, dissertationes, ad historiam cum primis philosophicam illustrandam spectantes, ideoque analectorum historiae philosophicae titulum praefidentes, cum in illustri vestra Fridericiana, maximam partem, a me conscriptae editaeque sint, iure quoque meritoque eruditissimorum, celeberrimorumque in vestra academia virorum, quibuscum arctissima amicitia, dum apud vos vixi, mihi intercessit, apud me

me renouant memoriam. Hos inter autem, cum haud vltimum profecto locum teneas, **VIR EXCELLENTISSIME**, facile intelligis, cur **TVO** eas **NOMINI** sacras deuotasque esse voluerim. Etenim cum & praesens & absens **TVAM** fidem, **TVAMQVE** integritatem, saepe expertus sim, mearum omnino duxi esse partium, meum publico etiam quodam documento erga **TE** testari animum, declarare affectum, significare voluntatem. Accedit, quod ipsum dissertationum harum argumentum, **TIBI** neutiquam ingratum esse queat. Memini, saepius de rebus philosophicis, qua naturalem, qua moralem doctrinam, nos collocutos, multasque subinde non sine fructu quodam ita transgisse horas. cum medica enim arte rectissime philosophiam coniungis, non inanem istam verborum aucu-

patricem, & cuius viros cordatos, & sapientes merito pudet, sed solidiorem, rerum ipsarum causas exquirentem, & in naturae recessus penetrantem intimius, & quod maximum est, ad vitae humanae usum vnicè comparatam. Huius vero & in veterum HIPPOCRATIS, GALI, LENI, PLATONIS, aliorumque monumentis haud obscura apprehendi vestigia, non semel TE profitemem audiui, confirmatusque inde mirifice sum in ea, quae animo meo, iam pridem sedit, sententia, ad ipsam quoque philosophiam rite tractandam, plurimum conferre, veterum scita, placita, instituta cognita & explorata habere. Inde profecto discere licet multa & veteribus rectissime fuisse observata; errores autem illorum & perperam ab iis aut dicta, aut facta, cautiores nos reddunt, ne coeco impetu

tu illorum sequamur auctoritatem, & ex natura potius ipsa diligentius considerata, & experimentis etiam variis explorata, sapere gestiamus. Tanto itaque lubentius varia philosophicae historiae capita, academicis pertractavi dissertationibus, quanto maiorem, certioreque inde mihi promisi fructum. Nec huius me laboris, licet ad aliud diuiniusque doctrinae genus traductum, poenitet. Quoties enim ecclesiasticam historiam iuuenibus, qui meae se comittunt disciplinae, trado, toties insignem, quae ex philosophica historia in eam redundat utilitatem, nouis velut argumentis indies condoceor. Hinc nec ab isto, quo nunc fungor, munere, alienum putavi, iunctim istas dissertationes in lucem emitte-re publicam. Eas itaque, vt me ipsum soles, benevole, atque hilari mente, in certissimum mei in TE

animi pignus, & amicitiae nostrae
momentum perenne vt accipias,
id enim vero est, quod etiam atque
etiam TE rogo. Deum autem,
quod superest precor, vt TE aca-
demiae vestrae, & litteratorum or-
dini, immo reipublicae & ciuili & lit-
terariae vniuersae, conseruet quam
diutissime. Ienae die XVIII.

Ian. MDCCVI.





LECTORI BENEVOLO

S.

Librum plane ex historia philosophica ad omnes liberalioris doctrinae partes redundare utilitatem, agnoscunt mecum omnes, quotquot litteris bonisque artibus iustum statuere didicerunt pretium. Ideoque & ego, cum philosophiam docerem, & subinde argumenta selectiora ad disputandum publice, proponenda essent, ex historia ea depromere philosophica, nullus dubitavi. Et hinc enatae sunt exercitationes istae, quae tertiam dissertationum mearum academicarum partem constituunt, & quam, ut promissorum exsoluam fidem, orbis eruditi iudicio nunc submitto. Eandem autem titulo, analectorum historiae philosophicae, recte insignitam, res ipsa omnes condocabit. Ceterum, ut in prima atque secunda parte circa singulas quaedam monui dissertationes, & quae aut supplenda, aut emendanda ducerem, indicavi; ita si eundem & nunc feruam morem, id haud ingratum lectori fore,

confido. Praesertim; cum ita mihi de quibusdam haud exigui omnino momenti rebus, dicendum fuerit. In prima igitur, quae hic conspicitur, dissertatione de peregrinationibus Pythagorae, verba feci. Dignum hoc argumentum, in quo ingenii quis periclitetur vires, nemo inficiabitur. Rationes tamen chronologicas, quod omnino fieri debuisset, non attigi. At video id nunc quam accuratissime praestitisse virum, doctissimum, & chronologorum hodie facile principem, HENRICVM DODWELLVM in exercitatione de aetate Pythagorae Philosophi, quae cum altera, de aetate Phalaridis, Londini prodiit, anno MDCCIV. Operae itaque pretium fuerit, ex eo nonnulla observare, quae lucem egregiam, nostrae asfunderere dissertationi, possunt. Natum Pythagoram anno urbis Romæ CLXXXV. secundum Varronianam computandi rationem, olympiad. LII. ante Christum natum DLXIX. luculentis rationibus euincit. Hinc itaque ad Thaletem * atque Biantem se contulit, anno aetatis XVI. urbis conditae, CCI. olymp. LVI. quod inde colligit vir doctissimus, quod Iamblichus eum tum Ἰφίγορον adpellitavit. Ast cum Polycratis, fratrumque tyrannis, erumperet, Pythagoras

* vid. quæ in ipsa *dissertatione* diximus, §. IX.

anno aetatis XVIII. vrbis conditae CCIII.
 olymp. LVII; ab alienato a patria animo, ad
 peregrinationes, animi excolendi gratia,
 fuscipiendas, consilia conuertit. Destina-
 ta tamen anno demum aetatis XXII. vrbis
 conditae CCVII. olymp. LVIII.; executus est.
 Hoc enim anno, Thaletis, qui & eodem
 vita functus est, monitu, Aegyptum petit.
 ** Ibi per annos XXII. haesit, vt diserte auctor
 est IAMBLICHVS.* Praeterea, mortuo anno
 vrbis CCXI. olymp. LIX; Pythagorae XXVI.
 Pherecyde, Pythagoras, pietatis officio erga
 praeceptorem functurus, eum sepeliuit.
 Venitque non ex Italia, vt vulgo creditum,
 sed vt DODWELLVS demonstrat, ex Ae-
 gypto. Ita etiam temporum rectius sibi
 constant rationes. In Aegypto eum hae-
 sisse annos XXII. diximus. Namque tandem
 a Cambyse Persarum rege captus atque Ba-
 bylonem abductus est: vti in ipsa iam obser-
 uauimus dissertatione. Hoc itaque conti-
 git anno Pythagorae XLIV. vrbis conditae
 CCXCIX. olymp. LXIII.; Namque si annos
 XXII natus, Aegyptum adiit, vt antea posu-
 imus, ibique, vt IAMBLICHVS auctor est,
 annos XXII. commoratus est, exurgit inde
 annus quadragesimus quartus, quo omni-
 no Babylonem fuit abductus. PORPHYRIVS

** vid. *dissertatio nostra* §. X.

* in *vita Pythagorae cap. IV.*

quidem auctor est, Pythagoram anno aetatis quadragesimo, in Italiam venisse. * Ast manifestum est, eum ex Aegypto Babylonem, fuisse abductum. Quod autem pro anno quadragesimo quarto, ponit quadragesimum, inde forte factum, quod veteres commemorationem Pythagorae in Aegypto, ab eo tempore computauerint, quo consilium cepit relinquendi patriam. Id enim factum esse anno aetatis XVIII. supra dictum. Iam si his octodecim annis addas XXII. quibus in Aegypto vixit, exurgunt inde XL. Ast vero cum cõstet, eum aõo aetatis XXII. Aegyptum demum adiisse, stat, manetque sententia, abductum eum fuisse ex Aegypto, anno aetatis XLIV. ** Transegisse eum in captiuitate Babylonica aõos XII. diserte docet IAMBLICHVS*** Ergo demum aõo aetatis LVI. eum ex captiuitate rediisse, necesse est. Constituerat equidem statim domum reuerti, sed non poterat per Sylosontem, fratrem Polycratis, qui tyrannide immani patriam philosophi nostri vexabat. Itaque primo Delphos petit vel Delum, inde Cretam & Spartam, vt leges Minois & Lycurgi disceret, idque sub huius anni, vt videtur, exitum. Anno sequenti, aetatis suae LVII. e Sparta sese ad Olympia contulit Pythagoras. Et tum de-

* in *vita Pythagorae* p. 184. ** conf. *dissertatio nostra* §. XVIII. *** in *vita Pythagorae* cap. IV.
mum

mum anno aetatis LVIII. vr̄bis conditae,
 CCXLIII. olymp. LXVII.; Samum rediit, teste
 IAMBLICHO. * Nec diu tamen ibi substitit,
 ob rationes partim in ipsa dissertatione ** al-
 latas, partim a IAMBLICHO commemoratas.
 Anno itaque aetatis LX. vr̄bis conditae
 CCXLV. olymp. LXV; in Italiam venit, &
 Crotone rerum suarum sedem fixit. Hinc &
 anno sequenti, Pythagorae LXI ipso aucto-
 re, bellum Crotoniatum cum Sibaritis ge-
 stum est. Cum annos XX. Crotone egisset,
 Metapontum migravit. Ita diserte Trogi
 Pompeii epitomastes, IVSTINVS. *** Hoc
 contigit iuxta rationes DODWELLIANAS,
 anno Pythagorae LXXIX vr̄bis conditae,
 CCLXIV. olymp. LXXII.; Caussam fuisse
 putat, ingrauescentem paulatim, reueren-
 tiamque Pythagorae exuentem factionem
 Cylonianam. Scholam interim Crotonien-
 sem hoc tempore commisit Aristaeo, rem-
 publicam autem trecentis illis Pythagoraeis,
 qui iam antea illam a volentibus Crotonien-
 sibus acceperant. Inde lites Cylonianorum,
 & Pythagoraeorum. Tandem vero ineunte
 aetatis anno XCIX vr̄bis conditae CCLXXXIII.
 olymp. LXXVII.; in praelio, inter Agri-
 gentinos & Syracusanos commisso, Pytha-
 goras quoque interfectus est, vt auctor est

* *in vita Pythagorae cap. V. add. dissertatio no-*
*stra §. XXIX, ** l. c. *** lib. XX. cap. IV.*

HERMILIVS apud DIOGENEM LAERTIVM. * Hæc omnia vero testimoniis, & rationibus chronologicis evidentissimis, ita firmat clarissimus DODWELLVS, vt omnes facile in suam pertrahat sententiam. Nec nostrae nunc quidquam deerit dissertationi, si quis cum ea hæc, quae attulimus, conferre, operae pretium duxerit. In DODWELLIANA autem dissertatione longe adhuc plurima occurrunt, quae non huic tantum argumento, sed generatim quoque historiae Pythagorae illustrandæ, mirifice inseruiunt, quae apud ipsum legisse auctorem, neminem poenitebit.

Secundum in hoc volumine locum occupat dissertatio, cui titulus: *Φιλόσοφος Φιλόμυθος*, h. e. philosophus fabularum amator. In ea inter alia, in originem fabularum, quarum tanta apud eruditos fama est, inquirendi, mihi subministrata fuit occasio. Quod quidem argumentum vt iam olim nobilissima exercuit ingenia, ita adhuc hodie exercet. Noti sunt omnibus VOSSII, BOCHARTI, HVETII, CLERICI, aliorumque hac in re labores. Tandem quidam ex Iesuitarum ordine PATURNEMINE magno animo id aggressus est, vt exploratas redderet fabularum origines, in quibus detegendis, tot viri eruditi non feliciter semper successu, huc vsque elaborauerint.

Opus singulare in hoc genere molitur, cuius specimen aliquod, vt saluam eruditis moueret, extare voluit. * Cumque egregiam lucem nostrae dissertationi, cogitata eius affundere queant, non abs re fuerit, summam illorum hic adferre, quidue in iis, nostra quidem sententia, aut admittendum, aut reiciendum, libere exponere. Sex autem fabularum omnium fontes constituit:

1. causarum physicarum crassiores conceptus;
2. traditionem mysteriorum corruptam; historias antiquas aut figmentis auctas ab iis qui eas narrarunt aliis, aut ab audientibus non recte perceptas; metum puerilem cum ignorantia coniunctum, vnde facile gignatur superstitio; cupiditatem excusandi vitia sua, adeoque & generatim defendendi vel laudandi vitia quae libet; & denique religionis verae contemptum. Possint ne autem adhuc plures fontes constitui; aut isti ad pauciores reuocari; nunc non disputo. In eo mecum auctor mirifice consentit, plures vno fabularum fontes, constituendos esse. Namque hoc in ipsa dissertatione euici, non posse omnes fabulas, ex historia aut sacra, aut profana, derivari; nonnullas vero ad philosophiae arcana regenda aut effectas, aut saltem, vndecunque etiam ortae sint, accom-

* dans les *Memoires pour l'histoire des sciences*
T. VI. p. 83. seqq.

modatas esse. Ast iuuat, istos fontes fabularum paulo penitius introspicere. Primum fabularum fontem, crassiores rerum naturalium conceptus constituit. Persuasisse sibi e. g. veteres corpora cuncta, fluuios, arbores, & reliqua, spiritu quodam animata esse; solem etiam sub hominis cuiusdam imagine sibi exhibuisse, & quae reliqua sunt eiusdem generis. Ast nunquam mihi persuadeo, tam stultos fuisse homines, vt sine causa errores eiusmodi admitterent, si modo error vocandus, dum sano sensu corporibus huius uniuersi spiritus tribuitur. Mihi contra sic videtur, poëtarum fictionibus & allegoriis hic omnia imputanda esse. His nihil solennius, quam quae astris conueniunt, de hominibus enuntiare, & astris aliisque corporibus etiam sensu carentibus tribuere, quae hominum propria sunt. Hinc autem facile credo, rudiores quosdam in errorem inductos, vt proprie intelligerent, quae illi *τροπικῶς* & *ἀλληγορικῶς* intellecta cupiebant. Alterum fontem, corruptam ac deprauatam mysteriorum traditionem constituit. Vbi quod dicit religionem quoque naturalem habuisse mysteria sua, prophetias, ritus, non capio. Reuelatam, suis gaudere misteriis constat inter omnes; ast de naturali, non temere quis hoc professus fuerit. Corrigit equidem se ipsum statim,

ad-

addendo: aut potius Noachica. Ast Noachicam, & naturalem religionem, vnam, eandemque esse, admitti iterum nequit. Sed ad rem ipsam quod attinet, non diffiteor, dogmatum cœlestium propagationem, commentis quibusdam occasionem dare potuisse, aut dedisse etiam. Quænam vero fabulae ex hoc fonte, quænam ex reliquis promanauerint, non magis certo demonstrare potest, quam reliqui, qui omnia ex vno deriuant fonte. Ad coniecturas iterum, & vocum incertas deriuationes cuncta redeunt. Aegyptiorum, Cneph Deum patrem, & Phta filium denotasse, quo tandem argumento nobis persuadebit? Scilicet, quia prius *absconditum*, seu *inuisibilem*, posterius, *euidentiã*, *persuasionem*, *verbum*, denotet, vtraque autem notio patri pariter ac filio, egregie competat. Lubricum fundamentum!

Quæ de historiæ cum fabulis cõmixtione, ceu tertio fabularum fonte tradit, recte se habent, & non possunt non admitti. Phaenicios de suis & Ebraeorum rebus varia narraſſe: Graecis, & ne quotidiana narrare viderentur, figmentis variis exornasse: Graecos non sine insigni commentorum accessione, hæc rursus ad alios transmisſe verosimile admodum est. Huc accedebat, quod orali traditione historiae propagarentur

tur, litterarum ac librorum nondum introducto vsu. sed & poetae ac oratores, qui defunctos virosque bene meritos laudabant, hyperbolicis suis locutionibus facile alios inducebant in errorem. Quae & reliqua ab auctore allata id probant, historiam multiplici ratione deprauari potuisse, adeoque et multiplici ratione fabulis suppeditare occasionem. Id enim vero est, quod & in mea obseruavi dissertatione. Nec tamen praetermittendum, vel eo ipso patere, quam difficile sit, historiam tot commentis inuolutam eruere, atque producere in apicem. An auctor rem semper acu tetigerit, non definitio. Id vero certum est, ultra coniecturas neminem temere hic progredi posse. Dum vero in eo est, ut ostendat, quotuplici ratione & narratio quaedam potuerit deprauari, inter alia & hoc asserit, non idololatriam fabularum, sed has illius esse causas, etsi ad multiplicandas fabulas, deinceps idololatria multum contulerit. Quo ipso sibi a comuni abire sententia videtur. Crediderunt, inquit homines, astra anima praedita, priusquam ea adorarent: & mortuos ultra quam decebat, venerati sunt, priusquam in Deorum eos referrent numerum. At non satis nihil fallor, erroneas quasdam opiniones, a fabulis, de quibus hic sermo est, auctor discernit. **Exempla quae affert, hoc docent, erroneas**
quas.

quasdam opiniones, prauosque mores, idololatriam praecessisse imo eam progengerasse. Ast fabulae tum demum haud dubie ortae sunt, cum idololatriae pestis iam pridem multorum animos afflisset. De timore, cum ignorantia coniuncto, vt nunc ad reliqua progrediamur, ita censet, vt decantatum istud: *primus in orbe Deos fecit timor*, de aucto & multiplicato Deorum numero intelligendum esse pronuntiet. Mihi sic videtur, non tantum timorem cum ignorantia coniunctum & cupiditatem scelera sua excusandi; religionisque contemptum, quos quinto & sexto loco indicat fabularum fontes, sed & reliqua vitia mortalium, hocce fabularum studium mirifice promouisse. Multa enim in istis fabulis occurrunt, quae ambitioni, & avaritiae, & voluptatibus mortalium egregie blandiuntur, iam vero haud difficulter a se impetrant homines, vt vera esse credant, quae vera esse volunt. Existimo etiam, in istis hominum vitiis non tam originem, quam causas fabularum commercium promouentes, quaerendas esse. Quicquid huius sit: expositis fontibus, regulas quoque subnectit, quarum ductu se veritatem facile, & vbique inuenturum esse, sibi persuadet. Prima tradit, veritatem semper antiquiorem mendacio esse, adeoque in fabularum natalibus inuestigandis, ad antiquissima, quan-

tum fieri potest, tempora ascendendum esse. De priori veritatem mendacio antiquiorem esse, nemo dubitauerit. Posterius quo pacto inde fluat, non adeo liquet. Cur enim facta quaedam recentiora fabulis non potuerunt, occasionem praebere? Quid vero, si factum aut historia nulla subsit, & fabula ex mera comminiscendi libidine profecta sit? Altera regula docet, instituta velut analysi quadam, progrediendum ad fabulae originem esse, ita vt diligenter, quicquid ex fabularum sex fontibus, antea indicatis, ortum videatur, eruatur & ita tandem deprehendatur veritas. Quam methodum minime reprehendendam censeo, modo auctor eadem semper recte vtatur. Vereor, autem, ne, cum ad rem ipsam ventum fuerit, plura hic se offerant obstacula, quam auctor sibi forte persuasit. Euentus rem omnem docebit. Tertia regula inculcat, cum difficile sit ubique assequi veritatem, interdum in vero similitudine acquiescendum. Id quod autem vero simile sit, non ex nostrorum temporum, aut morum & consuetudinum conditione, sed ex indole hominum, qualis olim fuerit aestimandum esse. Non posse fabulas rectius intelligi quam si mores Americanorum, quos nulla ingenii corporisque cultura perdomuit, fataque illorum, qui terras incognitas detexerunt, animo nobis

nobis sistamus ac repraesentemus. Mihi contra ita videtur, semper & vbique in fabularum interpretatione in verosimilitudine subsistendum, ipsamque veritatem, seu certitudinem euidentem, vix expectandam esse. Id autem, quod verosimile est, non statim ex nostris moribus aestimandum esse, rectissime auctor monuit: an autem comparatio cum Americanis incultis, & ferocibus, illisque qui terras incognitas adeunt, vbique recte procedat, valde dubito. Quarta regula ostendit, decipi eos, qui omnium fabularum originem in scriptura sacra quaerunt. Id vero rectissime auctor monet, & erudite probat. Hoc ipsum vero & in nostra demonstratum est dissertatione. * Probauit namque in magno versari errore, virum cetera doctissimum, PETRUM DANIELEM HVETIVM, dum cuncta fabularum momenta ad Mosen, obtorto uelut collo, rapit; vbique Mosen se inuenisse putat. Rursus tamen, ne in alterum extremum incidam⁹, & illorum sententiam euitandam monet auctor, regula quinta, qui omnes gentilium Deos pro hominibus, iisdem nominibus insignitis habent. Hanc viam praeter alios ingressus est vir summus JO. CLERICVS, & magno eruditionis adparatu, & iudicii *ακριβεία* in hoc campo versatus est. Et sane, simplicissima haec videtur ratio, originem

nem fabularum inuestigandi : tutissima etiam foret, modo de antiquis istis Graecorum, aliarumque gentium regibus, quos fabulae exhibere creduntur, aliunde etiam quid, praeterquam ex ipsis fabulis constaret. Quicquid sit, si reges, principesque sub Deorum gentilium nominibus latuerunt, sedes profecto istorum non alibi recte quaeritur, quam apud istas gentes, apud quas fabulae istae olim quam maxime fuere celebratae, aut a quibus ortae sunt: id quod accurate, hac lege incedens, observat IO. CLERICVS. Contra longius quam par est, ab omni verosimilitudinis specie digreditur, ingenio suo nimis indulgens PAVLVVS PEYRONIVS* in gente Celtica fabularum originem quaerens, & Uranum, Saturnum, Iouem, Mercurium, ceterosque maiorum gentium Deos pro Celtarum, unde Galli, Regibus venditans, illorumque res gestas tanta fiducia enarrans, ac si ipse bellicis expeditionibus istorum interfuisset. Sane non quidem ingenio, sed fundamento destituuntur quae hac de re disserit, & rationes, quibus pugnat, a paucissimis, credo, consensum impetrabunt. Sed non deerunt, qui haec accuratius excutiant comenta. Septima regula hoc sibi vult,
 quas-

in libro, cui titulus : *P Antiquité de la nation & de la langue de Celtes &c.* Prodiit Parisius anno MDCCIII in 12.

quasdam fabulas tātum a pōetis excogitatas esse, vt frustra adeo alia illarum origo quaeratur. Plane ex mea quoque sentētia. Hoc saltem addo, pōetas interdum occasione ex historia desumpta, fabulas data opera composuisse, & sub iis quaedam philosophiae, simul occultasse capita. Et id rursus est, quod in ipsa comprobauī dissertatione. Nec tamen de omnibus hoc intelligendum fabulis, quod ex instituto ad hoc docēdum excogitatae sint: multo minus mihi persuadeo, nihil aliud, quam alchymiae arcana sub istis fabularum integumentis latitare: qua in sententia fuit, vir cetera doctissimus, IACOBVS TOLLIVS, vt alibi a me dictum. * VI-timo tandem loco monet, non posse omnes fabulas per vnam ex hisce regulis explicari, sed interdum omnes regulas ad vnam fabulam explicandam coniungendas esse, id quod exemplo fabulae de Prometheo, declarat. Nec mirum, cum omnino traditiones veterum & historiae variae inter se coniungi, ac permisceri potuerint & tum a poetis ad occultanda sapientiae, praecepta adhiberi ac exornari. Sed satis diu his imorati sumus. Sufficiunt quae diximus, abunde ad nostram dissertationem & illustrandam, & confirmandam.

b 4

Sequun-

* *in dissertatione, an Alchemistae sint in re publica tolerandi.*

Sequuntur in hoc volumine de erroribus Stoicorum in philosophia morali, dissertationes quatuor. Harum Prima dogmata Stoicorum de homine, eiusque anima, item bono & malo generatim; altera, de summo hominis bono, & principiis, ut vocant, actionum humanarum; tertia de officiis generatim, speciatim erga Deum; quarta de officiis hominis erga se ipsum & erga alios, ita exhibet, ut errores illorum grauisimos, in praecipuis hisce morales doctrinae capitibus, commonstret atque refellat. Qui vero haec omnia accuratius expendere, operae pretium duxerint, facile intelligunt, caput & fontem errorum omnium apud Stoicos fuisse, peruersam de Deo sententiam, quam & alibi iam designaui, * qua eum cum ipsa natura confundebant, hoc ipso veteris impietatis restauratorum, SPINOZAE, exemplum praecedentes. Hinc enim reliqua iusta serie fluxisse, demonstrari facile potest, modo quis integrum velut erroris ac impietatis huius systema, recte capiat. Adeo verum est, quod nonnulli obseruant, si quis in doctrina de Deo a recto aberret tramite, nihil sani eum in naturali, pariter ac morali, doctrina, adfer-

conf. quae diximus in *praefat. ad selecta iuris nat. & gent. p. 14. seqq.* It. in *dissert. de Spiritu* *uicissimo ante Spinozam §. XVIII.*

adferre posse. Habent sane Stoici splendida effata, & efficacissima, quibus virtutem commendant, argumenta. sed quia haec omnia lubrico innituntur fundamento, magis ad demulcendas aures, quam ad formandos ad virtutem animos apta erunt. Hinc & si mores Stoicorum spectes, non poterant non ad hypocrisin, toties ab HORATIO aliisque iis exprobratam, praei esse, paucis profecto exceptis, quibus erectior forte a natura cōtigerat animus, quam frustra disciplinae Soicae imputabant, Hinc & cum Pharisaeis qua dogmata, qua mores, eos contendere solenne est, quod praeter alios ex Iosepho quoque observavit CLAUDIUS SALMASIUS.* Idem tamen ** sectam Stoicorum rigidam & austeram vitiorumque asperrimam hostem, fortunae aequae bonae ac malae contemptricem, vocat. Quo iure, iudicabit facile, qui nostra legerit. Sed addere plura, superuacaneum foret.

In dissertatione de Scepticismo morali nihil deprehendi, quod me scripsisse poeniteat: nec occurrit nunc quidquam quod addere, operae ducam pretium. Eam itaque excipit, quam de supersticioso Confucii & mortuorum apud Chineses cultu conscripsi.

b 5

in

* *comment. in Simplic. & Epictetum p. 119. vid. & Jo. Henricus Hottingerus in specimine historiae philosophicae p. 148, & 152.*

In ea cum historiam controuersiae, hac super re inter Iesuitas & Dominicanos agitatae, a prima origine ~~ad nostra usque tempora~~ ordine exposuerim, non abs re fuerit, pertexere eandem telam, & ad nostram usque perducere aetatem: praesertim cum & alios viros doctos idem argumentum inter nostrates sollicitos habuerit, nullibi autem quantum mihi constet, integra rei series in compendio exhibeatur. Hic autem plurima me viro longe doctissimo, IACOBO BERNHARDO, debere, lubens profiteor, qui sparsim ea exhibet, quae iunctim hic sistere consultum mihi visum fuit. **Ut** inde ergo incipiam, ubi in ipsa dissertatione desii, eodem anno MDCCI. prodiit vita viri celeberrimi, & in ipsa dissertatione subinde memorati IOANNIS BAPTISTAE DE MORALES gente Hispani, ex ordine Dominicanorum, qui magnus Chinensium apostolus audit. Titulus libri est *la vie du grand apotre de la Chine; le venerable Pere Iean Baptiste de Morales. Dominicanorum hunc esse foetum nemo dubitauerit.* Nec in eo praetermittunt, quae ut istis fuerint praesidio & ornamento, ita non admodum decora censebuntur Iesuitis. Nec consopiri lites facultatis Theologicae Parisiensis, cum Iesuitis, in ipsa dissertatione indicatae, tam cito potuerunt, ut non postea quoque strepitum quendam

* *Nouvelles de la Republique des lettres mens. Jul. an. 1701. p. 110. seqq.* by Google

dam darent. **F**ama sane fuit * nuntium Pontificis gratias egisse abbati DV MAS quod censura facultatis theologiae Parisiensis se opponendo, effecerit, ne & Iesuitarum, & ipsius forte Pontificis in maximum deducta sit discrimen auctoritas. Quicquid huius sit, non defuerunt viri cordati, qui denuo & facultatis theologiae Parisiensis defensionem susciperent. Quos inter nominari prae ceteris meretur, vir eruditione singulari praestantissimus, & ob ingenii monumenta notissimus, LVDOVICVS ELIAS DV PIN. Huius enim eodem itidem anno prodiit apologia censurae istius Parisiensis sub titulo: ** *Defense de la Censure de la faculte de Theologie de Paris du 18. Octobr. 1700, contre les propositions des livres, intitulez nouveaux memoires sur l'etat de la Chine etc*: in qua etsi ita rem tractasse videri velit, ac si a certamine isto procul sit remotus, nihilofecius cum inter alia, LVDOVICI DE COMITIBVS (leComte) aliorumque sententiam, Chineses per duomillia annorum in vera religione, & cognitione DEI perstitisse, refellat, mox anonymus edidit: * *iudicium unius e societate Sorbonica doctoris, de propositionibus quibusdam circa antiquam Sinarum religionem, ad sacram facultatem Parisiensem*. Auctorem nonnulli COVLEAV ad-

* *ib. mens. Octobr. an. 1701. p. 472.* ** *ib. mens. Nou. an. 1701. p. 592.* * *mens. Decemb. 1701. p. 691.*

adpellitant, qui omnem mouet lapidem, vt Chinenſium, qui iam diu apud illos viguit Numinis cultum, pro vero & genuino venditet. Qua in re ita verſatus a nonnullis iudicatur, vt ſatis oſtenderit, nec ingenium ſibi deeſſe nec eruditionem. Anno vero ſequenti M D C C II. qui inter principes aētores referendus in hac ſcena, iterum comparuit, aſt aliud velut agendo CAROLVS GOBIENVS Ieſuita, itidem a nobis haud ſemel iam memoratus. Edidit namque: *lettres de quelques Miſſionaires de la Compagnie de Ieſus, ecrites de la Chine, & des Indes Orientales.* * Illorum videlicet, qui apoſtolorum apud Chinenſes, & Indos, ex ordine ſocietatis Ieſu munere funguntur, editis epiſtolis, comprobare voluit, quantos boni iſti viri, ad gentium promouendam ſalutem, exantlauerint labores. Quod proſecto cauſae illorum, contra Dominicanos, fauorem conciliare haud mediocriter poterat. Nec tamen negandum, per dura & aſpera illos ire, vt quem ſibi conſtituerunt, finem conſequantur. Idem haud dubie cenſendum de alio eiusdem GOBIENI libro, qui iam anno praecedenti prodierat** & cui titulus: *Relation des Iles Marianes, nouvellement conuerſies*

* *menſ. Febr. an. 1702, p. 228, & ſeqq.*

** *menſ. Mart, p. 322. ſeqq.*

ties a la religion Chretienne, & de la mort glorieuse de premiers Missionnaires qui y ont preché la foi. Namque, vt ipse profitetur, non posse rectius defendi Iesuitas existimat, quam si illorum saltem, quos pro religionis christiana propagatione susceperunt labores, diligenter recenseantur. id quod & sibi ideo in hocce agendum libro censuit. Quo quidem, an rem plane confecturus sit argumento, dubito. Vti enim certissime inde constat, si vera vbique sunt quae refert, multos subiisse labores, maximasque perpeffos esse calamitates quosdam Iesuitas, vt gentiles ad Christianorum sacra perducerent: ita rursus, an recte vbique se gesserint, praesertim an doctrina illorum, qua Chineses imbutos voluerunt, prorsus adprobanda, id quo pacto inde sequatur, nondum video. Potest enim magnos quis suscipere labores, vt tamen in quibusdam peccata & errores simul grauissimos admittat. Sed ad ista, de quibus hic verba facimus, certamina, propius accedit fasciculus ille variorum scriptorum, qui itidem anno MDCCII. prodiit, * & in quo varia monumenta ad causam hanc Chinesem spectantia continentur, epistola scilicet Iesuitarum ad Clementem XI. R. P. Pekino die II. decembr. MDCC. scripta, cum

ib. mens. Apr. p. 464.

cum declaratione imperatoris Chinenſis authentica, circa ritus Chinenſes, & alia eiusdem commatis, haec vero monumenta num ad cauſam Dominicanorum labefactandam plurimum valuerint, aſſerere non audeo. Specioſa non ſemper aequae ſunt ſolida. Id conſtat, fuiſſe eo tempore, qui & Dominicanorum cauſam alio ſcripto ageret. Vocatur: *Priere pour l'Eglife de la Chine.* ** Idque agit auct̄or, vt pſalmum XIX. Ieſuitis attemperet, tum inſtituti ſui rationes reddat, & denique obſeruationibus Ieſuitarum ad LABBEI epistolam, reſponſionem proſiſget. Dum vero ita impio acumine, ſcripturam ſacram ad ingenii oſtentandas vires, alioſque perſtringendos adhibet, vtique male auct̄or iſte rebus ſuis conſulit, meritoque grauiſſimorum virorum reprehensionem incurrit. Nihil tamen, quae ſeculi noſtri eſt prauitas, hodie eſt ſolemnius. Plane ac ſi ſcriptura ſacra ideo nobis data eſſet, vt ridendi profanis praeberet argumentum. Hoc itaque & merito auct̄ori huic exprobrat, qui Ieſuitarum iterum cauſam contra illum egit, ideoque librum ſub titulo: * *Addition a la Reponſe des Ieſuites au ſuiet de la ſommat̄ion leur ont fait Meſſ. des Miſſions etrangeres de produire toute la lettre de Mr. de Bonauenté.* Ita ſane contingit, vt optimam cauſam plurimi petulanti calamo, & intempeſtiuo hoſtibus ſuis inſultandi,

di, aut eos perstringendi, pruritu, corrumpant. Ex eo vero tempore, quae porro in hocce contigerint certamine, nobis quidem non constat, cum pauca admodum scripta nobis innotuerint, huc spectantia, pauca forte etiam, postquam ira paulisper deferbuit, edita sint. CAROLVM saltem GOBIENVM nouimus, * epistolae Missionariorum supra indicatas, alio titulo : *lettres edificantes, & curieuses des missions etrangeres, par quelques Missionnaires de la Compagnie de Iesus* edidisse, & nouis subinde auxisse accessionibus. * Prodiit quoque anno haud ita pridem elapso MDCCV. ** *Breuis relatio eorum, quae spectant ad declarationem Sinarum Imperatoris Kam-hi, circa coeli, Confucii, & auorum cultum, datam anno MDCC.* Accedunt primatum, doctissimorumque virorum, & antiquissimae traditionis testimonia : opera patrum Societatis Iesu, Pekini, pro euangelii propagatione laborantium. Fama quoque tulit, Romanum tandem Pontificem, pronuntiata sententia litibus hisce impositurum finem. Id quod euentus docebit. Nona ergo sequitur dissertatio de Spinozismo ante Spinozam, eo praecipue comparata, vt omnibus constet, quanto opere fallantur, qui ob ingenii forte acumen perditissimum mortalium magni faciunt

* *ib. mens. Ian. 1703, p. 110. & mens. Ian. 1705, p. 100.*

** *ib. mens. Mart. 356.*

ciunt, cum multos alios in eadem impietate iam sibi praeceuntes habuerit. Varia mihi in hoc argumento suppeditauit, vir doctrina & ingenio illustris PETRVS BAEIVS, quem ideo & in ipsa dissertatione laudavi : qui & plura eodem spectantia passim affert. Ego ut nihil quod emendandum sit in mea dissertatione deprehendi, ita nec quod addere necessarium ducam, nunc succurrit.

Agmen claudunt de *καθάρσεις* Pythago-
raePlatonica, altera : altera de *ἀσκήσεις*
philosophica. Vtraque, nisi fallor, & phi-
losophicae & ecclesiasticae historiae inserui-
ens. In vtraque etiam cum dictum abunde
fit, quantum argumenti ratio postulabat, alia
tamen, etsi possem, hac vice afferre, aut
addere quidquam, itidem superuacaneum
duco. Sint itaque historiae philosophicae
analecta, delineationi eius quam alibi tra-
didi, in quibusdam instar commentarii, &
vberioris explicationis, futura. Animus
equidem erat, cum meam ad historiam phi-
losophiae Ebraeorum introductionem ede-
rem, eadem ratione, & methodo, singula-
rum sectarum historiam pertractare. Sed
per alios labores, in hoc quidem stadio, pro-
gredi haecenus non licuit. Nec tamen ani-
mum ideo prorsus abieci. Quamprimum
enim temporis, rerumque mearum conditio
hoc permiserit, persequi coepta, si vires
vitamque Deus concesserit, mecum
constitui.

EXERCITATIO HISTORICA
DE
PEREGRINATIONIBVS
PYTHAGORAE
HABITA IENAE
DIE XX. MART. ANNO MDCXCII.
RESPONDENTE
IO. IACOBO BORSCH
BVDISSINO.



Σύνοψις.

Philosophi veteres peregrinationibus animum excoluerunt. §. I. Idque non immerito, dissentiente licet Socrate. §. II. Eadem prudenter suscepta a Pythagora. §. III. Eius indoles diuina, credita. §. IV. Erroris origo. §. V. Patria Pythagora. §. VI. Eiusdem praeceptores. Refellitur Vosfius. §. VII. ἐπίμαχος de Iamblichō. §. VIII. Thales atque Bias praeceptores Pythagora. §. IX. Pythagoras ad Phoenices proficiscitur. Moschum non eundem esse cum Mose, enunciat contra Huetium. §. X. Aegypti status tempore Pythagora. §. XI. Quomodo ibi exceptus sit. §. XII. Pythagoras circumciditur. Refellitur sententia Marshami de origine circumcisionis. §. XIII. Sacris Iouis Cretenfis initiat. §. XIV. & XV. Doctrina Aegyptiorum & Pythagora de anima immortalitate. §. XVI. An numerorum doctrinam ibi hausserit Pythagoras? §. XVII. Captiuus Pythagoras Babylonem deferatur. §. XVIII. Magica disciplina, qua imbutus est Pythagoras, qualis fuerit. §. XIX. Nazaratius Pythagora praeceptor, an idem cum Ezechiele? §. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. A 2 XXVI.

XXVI. *Refellitur sententia Huetii. Argumenta examinantur. Adduntur quedam de Zoroastre.* §. XXVII. *Pythagoram ab Ebraeis multo hausisse probatur.* §. XXVIII. *Reditus Pythagore in patriam; philosophia eius, unde Italica dicta?* §. XXIX. *Epilogus de prudentia peregrinandi.* §. XXX.

§. I.



ui ad sapientiæ studium animum adiecerunt apud veteres, vario atque multiplici labore ad istud contenderunt culmen, quod illorum memoriam leto eripuit, propagavitque ad omnem posteritatem. Nec domesticos consuluisse doctores fatis erat. Quicquid arcani atque reconditi remotissimæ continebant gentes, istud rimabatur atque perquirebat insatiabilis discendi aviditas. Non labori, non sumptibus statuebant modum. Doctrinam sapientiamque minoris æstimari, quam vel amplissimas atque immensas opes, piaculum erat & summum nefas. Vnicum quippe exhausti laboris, peragrati orbis, vitæque mille discrimini-bus expositæ pretium habebatur, recte sapere, mentemque componere ad quamvis fortunam.

§. II. Utique diuersis moribus populi differunt, ut diuersis dotibus terræ. Neque, vel omnia, vel eadem aut reperiuntur ubique,

que, aut æque excellunt. Alia alibi florent. Habuerunt etiam barbari egregium aliquid, quo se attollerent super alios atque commendarent. Solis Græcis diuinitus hoc contigisse, vt non desiperent, inepte Epicurus docuit. Decretumque Aegyptiorum, cuius Chæremon meminit, quo interdictum erat, exteris inuisere gentes, a vanitate & arrogantia conditoris haud abhorrebat. Neque erat, vt Socrates vereretur, exterorum simul hauriri vitia, inter patrios lares abunde esse, quod animus sciendi cupidus ageret; seipsum intueretur, corrigeret, emendaret; turpiter ignorari patriam, ut sciamus ea, quæ procul a nobis sunt, aut domesticum esse in peregrino solo, cum domi & in animo hospitem quis agat & peregrinum; vanam, denique irritamque eam omnem operam esse, quam in naturæ viribus explorandis alii collocarunt, indeque ad spontanea seipsum damnarunt exilia.

§. III. Iam Pythagoras Samius eo consilio animique proposito peregrinas lustrauit oras, vt & euitaret sedulo, quicquid vitium trahit, aut turpe habetur, eaque affatim haufit, vnde melior indies euaderet, animumque formaret ad immortalitatem. Non placebant exterorum mores, nisi honesti & omnino tales, vt patriis eosdem præferre,

par esset. Animum non minus solidior, disciplina, quam oculos rerum varietas pascebat. Patriæ vero tanto minus immemor fuit, quanto maior utilitas ex ciue bono & perito ad eandem redundat. Documento fuit omni posteritati, conuenientius longe esse, proficere peregrinando salubriter, quam domi desidem ignobilemque vitam agere, & inter vitia consensescere.

§. IV. Erectæ vero indolis eum esse oportet, qui ab omni labe & sæculi veneno immunis, per tot scelerum vbique habitantium exempla decurrit. Talem profecto natura finxit Pythagoram. Neque enim ex humano sanguine eum progenitum, sibi persuasit fabulosa antiquitas. Namque Epimenides, Eudoxus, & Xenocrates, Apollinem cum Parthenaide, matre Pythagoræ, consueuisse, litteris prodiderunt. Editum hinc oraculum longe clarissimum fama ferebat, de magnitudine & præstantia incomparabili nascituri infantis. Redarguit eosdem haud immerito Iamblichus Chalcedonensis b: τὸ τοῦ μὲν ἐν ἑδαμῶς προσίεθαι. Hoc

modo recipiendum est. Prudenter adiiciens: τὸ μὲν τοι τὴν Πυθαγόρα ψυχὴν ἀπὸ τῆς

ἀπόλλωνος ἡγεμονίας ἔσαν, εἴτε συνοπαδὸν, εἴτε ἄλλως οικειότερον, εἴτε πρὸς τὸν θεὸν τῆτον συνταχμὴν καταπέπεμθαι εἰς ἀνθρώπους.

ἔδειξ

(b) in vita Pythag. cap. I. §. II.

ἰδέειν ἀν ἀμφισβητήσεων. Τεκμαίρομεν δὲ αὐ-
τῇ τε γενέσει ταύτῃ, καὶ τῇ σοφίᾳ τῆς αὐτῆς τῆ
παντοδαπῆ. Quæ Io. Arcerius Theodoretus
ita interpretatur: *Ceterum animam Pytha-
goræ ab dispensatione imperioque Apollinis existe-
re seu comitem, seu aliter etiam cum Deo hoc pro-
pinquius in eadem dignitate ac ordine coniunctam
in homines calo demissam esse, nemo quidem du-
bitavit. Equidem iudicium sumo tum ex hac ipsius
natiuitate, tum etiam omnigena animi sapientia,
quæ erat predictus.*

§. V. Fabulæ autem origo hæc est. Mne-
marchus, Pythagoræ pater, quem Dioge-
nes et atque Clemens à Mnesarchum appella-
bant, vna cum vxore Pythaide, Apollinî
Pythio vota nuncupaturus, Delphos pro-
fectus erat. Certior redditur, diuinitusque
admonetur, magnam ipsi in Syria immine-
re fortunam, opibusque haud contemnendis
auctum reuersurum. Simul vero rescivit,
vxorem gestare vterum, parituramque fi-
lium. Huic vero indolem longe excellen-
tissimam sapientiamque talem auguraban-
tur vates, qualem vix caperet mortalium
animus. Fidem adhibet dictis Mnemar-
chus. Ad spem maximam futuræ sobolis e-
rigitur. Nihil nisi egregium de tali puero si-
bi spondebat, cuius tam sollicitam curam

A 4

dii

(c) in vita Pythagoræ passim. (d) lib. I. Strom-
p. 304. Et alibi.

dii gererent. Prosequitur iter. Voti damnatur. Vatum promissis respondet euentus. Tanta diuitiarum affluentia cumulatur, quanta magnæ fortunæ sufficere poterat. Vxor apud Sidonios sobolem elegantissimam luci exponit & dignam omnino Apollinis prædictione. Huius rei memoria ne vnquam periret, filium quidem Pythagoram, matrem vero Pythaida appellari voluit.

§. VI. Dirimi hinc facile antiquorum de patria Pythagoræ certamen potest. Hippobotus quippe hunc Mnemarchi filium Samium dixit: Aristoxenus, qui vitam Pythagoræ inter alios litteris mandauit, Aristarchus & Theopompus, Tuscum faciunt: Neantes denique Syrium vel Tyrium vocare non dubitat. Sane natiuitatis gloriam Phœnicia sibi vindicat, Domicilium Samus præbuit & parentibus & puero. Etruria seni sedem concessit, doctrinamque eius auide hausit.

§. VII. Iam omnium intererat, vt animus pueri formaretur ad eam spem, quam parentibus iniecerat Numen. Primum Creophilus, mox Pherecides, admotus est eius institutioni. Capiebat auide præcepta longe

(e) *ap. Clem. Alex. l. c.* (f) *vid. Suid. v. Αρῖσό-
ξενος. it. Io. Ionsius de Scriptor. Histor. Philos.
lib. I. cap. XIV.*

ge saluberrima firmiterque retinebat, quæcunque tradebantur, vt magistrorum etiam vota vinceret. Phericidem Syrium appellat Flavius Iosephus, g eundemque cum Pythagora primum in Græcia effatum esse, quæ apud Aegyptios didicerat, mysteria, refert. Ex occultis autem Phœnicum libris sua hausisse, Suidas auctor est. h Neque etiam Thracicis opinionibus eundem imbutum fuisse satis constat. Persuaserat id sibi Vossius i, ideo refutatus ab aliis. Pittacum Patrem, Thracem natione, annales ostendunt. Hercle non aberrant. Sed vero Thracicam sapientiam non monstrant. Hermippi vero testimonio non adeo moueor. Decipi Hermippum, adeo infrequens non est k. Hebræos Thracibus iungit. Vtriusque gentis placita miscet. Multa inuoluit atque conturbat: vt aliorum auctoritas iure meritoque potior mihi sit sanctiorque.

§. VIII. Non irritus erat labor. Flores spondebant egregium fructum. Moribus innocentissimis, animique integritate inusitata, & eloquentia singulari adeo suorum in se concitauit animos, ὥστε ὑπὸ τῶν παλῶν ἡρώτων βεβαιῶσαι, τὸν Θεὸν παῖδα αὐτὸν εἶναι. Vt

A 5

a ple-

(g) lib. I contra Appion. (h) v. Φερικίδης. (i) De sect. Philosoph. cap. I. (k) Plagii reus agitur apud Plutarchum in vita Demosthenis.

a plerisque merito affirmaretur, cum Dei filium esse.
 Testatur istud Iamblichus Chalcedonensis. Nec ægre ferrem hæc encomia, nisi in sanctioris cultus nostri ignominiam vergerent. Etenim Iulianus ὁ παραβάτης in oculis ferebat Iamblichum ¹. Hinc multa commentus est, quæ omnino secus se habent. Philostratum imitatus est, qui & Apollonio suo eandem diuinitatis gloriam vindicat ^m. Nimirum tanti erat, tribuere quibusuis opera communem sortem excedentia, ne de vno crederentur.

§. IX. Vnico fasce cuncta complexurus Iamblichus, Pythagoram boni genii instar, per insulam Samum peregrinatum fuisse, autumat: *ὡς δὲ δαίμων τις ἀγαθὸς ἐπιδημῶν τῇ Σάμῳ.* Non insulæ limitibus, non circumfuso mari contineri poterat animus sciendi avidus. Thaletis Milesii tunc celebre erat nomen. Hunc videre, hunc amplecti, ab hoc erudiri gestiebant omnes, qui vllum sanioris doctrinæ habebant gustum. Hinc confluentium vndique iuuenum incredibilis multitudo. At Pythagoras ita mox emittit, dubium vt relinqueretur omnibus, promptior ne in docendo esset Thales, an
 in

(1) *conf. epistola Iuliani ad Iamblichum premissa edit. Arcerii. (m) vid. Philostratus de vita Apollonii, eodemque vitio laborat Eunapius Sardianus, aliique.*

in percipiendo expeditior Pythagoras. Huius obsequium, amor illius, fidem amicitiae sanxit. Iam piaculum ducebat Milesius, scire quidquam, quod lateret Samium. Eadem facilitate ceterorum sibi conciliauit, animos, qui insigni doctrina hæc Græciæ tempora nobilitarunt. Namque & Prienem profectus est, Biantemque ibidem adiit, sapientiae nomine inter paucos inclitum. Anaximandrum quoque audiuit, naturæ arcana summo ingenio pandentem. Interim infelix eius patria sub iugo Polycratis gemebat. Cum libertate litterarum studia, extinguere adnitebatur ineptus homo. At eum fefellit Pythagoras. Namque, Hermo-donte comite, nocturno tempore mare transfretauit, doctorum suorum scholas frequentaturus. Pererrauit hunc in modum. Atheniensem tractum, nemine neglecto, quem audire operæ pretium erat.

§. X. A Thalete admonitus Ægyptum petere decreuit. Hanc sedem omnis doctrinæ emporiumque litterarum florentissimum esse, intellexerat. Omnis Græciæ cultus, omnis deorum veneratio, & quidquid hominum sermonibus celebratur, Ægypto debebatur. Hic Pherecydes, hic Thales, ceterique omnes animum imbuant secretioribus disciplinis. Sidonem tamen

pre-

(n) *uid. Thucyd. lib. I & III.*

prætermittere noluit, faciliorem inde in Aegyptum transitum fore ratus. Nec a vero abhorret, quod Iamblichus opinatur, patriæ visendæ desiderio eundem fuisse captum: ἐξέπλευσεν εἰς τὴν Σιδόνα, φύσει τε αὐτῷ πατριδα πεπεισμένῳ &c. Vix limen soli natalis salutauerat, cum sapientiæ antistites venerandi & sacerdotes eum maximorum mysteriorum participem facerent. Hi vero Mochum quemdam, naturæ scrutatorem indefessum, disciplinæque suæ conditorem, laudabant. Moschum intellexit Arcerius Posidonio, o Straboni, & Sexto Empyrico p haud ignotum hominem. Δημόκριτῳ, inquit, δὴ καὶ ἐπίκρητῳ ἀτόμους ἔλεξαν σοιχεῖα. εἰ μὴ τι ἀρχαιοτέραν ταύτην θετέον τὴν δόξαν καὶ ὡς ἔλεγεν ὁ Στωϊκὸς Ποσειδώνιῳ, ἀπὸ Μόσχου τινὸς ἀνδρὸς Φοίνικῳ καταγομένην. *Democritus & Epicurus atomos principia dixerunt, nisi hæc opinio ponenda sit antiquior, & ut Stoicus dicebat Posidonius, deducta a Moscho quodam Phænice.* Sollicitos & alios tenuit hic Moschus. Mosen, diuinum vatem & conditorem reipublicæ integerrimæ Israelitarum, hinc exsculpsit Suesionensium episcopus, Huetius q. Nec abludit communis nominis ratio. Sed ad evincendum non sufficit. Diogenes

(o) apud Strabonem lib. XVI. (p) adu. Mathematic. p. 367. (q) dem. cv. prop. IV p. 78.

genes Laertius r, vt & Suidas s, ipso fatente, Ochum appellitant. Iamblichum suo genio attemperauit Arceritis. At Sidonius est Mochus. Poterat & Moses hoc nomine insigniri. Latebat enim patria. Sane si credimus Huetio. Nemo facile a se impetrabit, vt inter Sidonios ciues Mosen transcribat, eo, quod vel ignorauerint eius patriam, vel decretis ipsius se submiserint. Troiano nihilo fecius bello antiquior fuit ille, quem memōrant, Moschus, æque ac Moses. Certe annalium fides hoc comprobatur. Nec inficior. Præcesserunt vero & alii hoc bellum. Hisce vero Mosis personam quis imponet? Suesfionensis credo antistes. At rerum primordia docuit Moses. Docuit hercle. Democrito vero & Epicuro an consentiat, non affirmauerim. De Phœnicio vero hoc asserit Sextus. Addit Porphyrius apud Schefferum t, numerorum proportionumque studiosissimos esse Phœnices. Non adeo fuerunt Ebræi. Sublimior cura Mosen occupauerat. Iura dare sanctissimæ genti, leges sancire, cultumque Numinis ordinare, hoc munus demum erat Mose dignum. Numerorum arcana suos edocere, non licebat grauioribus intento. Rem difficillimam fuerat adgressus. Sanctionibus optimis stabilienda erat ea respublica, cuius regimen penes

(r) in præm. (s) v. ὠχθ. (t) de nat. & consue. philof. Ital. c. V.

penes Deum foret. Hoc adeo leue fuisse opinor, vt in naturæ arcanis pandendis omne tempus consumere potuerit. Quod tamen vtique fecit Phœnicus ille Moschus. Comminiscendum videlicet aliquid fuit, vt nihil omnino non ex gentium scriptis ad Mosen detorqueretur.

§. XI. Satis diu apud Phœnices commoratus fuerat Pythagoras. Maiora illi promittebat Aegyptus. Naui committitur tam nobile Sami pignus. Fortuna adspirante, Aegyptiis littoribus exponitur. Rerum summa penes Amasin u erat, hominem prudentissimum. Huic nascendi conditione ad infimam extremamque sortem damnato, virtus & fortitudo regnum peperit. Durum videbatur Aegyptiis, plebeio parere homini. Hinc contemptus & adspersio, rebellionis atque ruinæ semina longe certissima. Ad meliorem mentem reducere suos omni studio contendit Amasis. Simulacrum Numinis ex aurea pelui confectum collocat in loco ab omnibus frequentari solito. Colitur ista dei effigies, adoraturque ab Aegyptiis, gente superstitionibus nimium quantum dedita. Hinc occasione arrepta eis exprobat rex, quod imagini tantum honorem exhiberent, ex vase, obscœnis vîsibus destinato, fabricatæ; sibi vero, licet ex plebe nato, ad regiam

(u) *vid. Herodotus lib. II c. CLXXII. seqq. it. Diodorus Siculus lib. I cap. II. seqq.*

giam tamen dignitatem iustissimis titulis euecto, cultum obsequiumque denegarent. Hunc in modum regno sibi firmato, ad istud augendum ornandumque animum adiecit. Obuersabatur oculis immortale Sesostris nomen x, qui per omnem Asiam, Africæque præcipuas partes, victricia circumtulerrat arma. Inuadit Cyprum. Superat Arabes. Cuncta ex voto gerit. Hostes vicisse parum erat, nisi seipsum vinceret, musisque perpetuum in Aegypto conderet domicilium. Nec peregrinos ab isto commercio arcuit. Quin Græcos præcipue homines tanto affectu profecutus est, vt etiam, Herodoto teste, Φιλέλλην audiret.

§. XII. Hic rerum status, conditioque regis fuit, quo tempore Aegyptus excepit Pythagoram. Latere diu nescit magnus animus. Aditum ad regem ipsi patefecerant muniuerantque Polycratis reconciliati litteræ. Istæ fauorem Regisque affectum haud difficulter impetrabant hospiti, tantis beneficiis non indigno. Iam in deliciis esse, omniumque allicere voluntates cœpit. Iniungitur Sacerdotibus, venerandis sapientiæ dispensatoribus, vt admitterent nouum hospitem, nihilque eum clam haberent, quod scitu pulchrum iucundumque esset.

Præ-

(a) vid. *Marshamus in can. chron. pag. 371 seqq.*

Præcipue vero Sonchis γ, ætate & honore præ ceteris eminens, magnaque inter suos auctoritate præstans, hoc sibi muneris impositum esse intellexit, Pythagoram vt doceret, plana que via eidem ostenderet, quidquid admirabatur & suspiciebat vniuersus orbis. Hic humana diuinaque iura didicit. Quicquid & a multis retro sæculis inuenit & excogitauit, soliciteque posteris commendauit humana industria, id omne plenis haustibus imbibit.

§. XIII. At sacris prius initiari oportuit Pythagoram, quam voti compos fieret. Varia quidem hæc erant & veneratione digna. Præcipue tamen expatrio auitoque more circumcidebantur omnes sanctioribus studiis consecrandi. Testem habeo Alexandrinum præfulem Clementem 2:

δι ἧς ἡ περιτέμετο, ἵνα δὴ ἡ εἰς τὰ ἄδύτα κατελθὼν τὴν μουσικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν. Per quos (Sacerdotes Aegyptios) etiam circumcisus fuit (Pythagoras) vt adyta ingrediens mysticam Aegyptiorum disceret Philosophiam. Herodotus 2 quippe de Aegyptiis refert: τὰ αἰδοῖα ἄλλοι μὲν εἴωσι, ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ὑπὸ τέτων ἔμαθον. Αἰγύπτιοι δὲ περιτέμνονται. Alii virilia

relin-

(γ) Sonchis & Psenophis sacerdotum Aegyptiorum celeberrimi vocantur apud Plutarchum in Iside & Osiride. (2) lib. I Strom. pag. 302. (α) lib. II cap. 36.

relinquunt, qualia natura sunt, præter eos, qui ab istis didicerunt. Aegyptii autem circumcidunt. Verustissimum apud Aegyptios fuisse morem, & a multis retro sæculis vstrpatum, non inficior. Nihil tamen impedit, quo minus ab Abrahami posteris ad eosdem fluxerit. Istud vero male habet Marshamum b. Etenim Aegyptiorum antiquitati ita consultum cupit, vt rerum momenta hæud raro insuper habeat. Obstare video Herodotum. Iste vero litem non componet. Quidquid enim Aegyptios, vanissimam gentem, de se, deque aliis prædicantes audiuit, istud arripiens auide, bonaque fide referens, Straboni c & Celso d Epicureo ad eundem errorem præiuit. Taceo quod repugnantes reclamantesque habeat Phœnices. Hos enim æque ac Hebræos, Arabesque & alios orientis populos, ex Aegyptiorum institutis, hunc seruasse ritum, memorant. Conticescere omnes iubet Philo Byblius, homo Phœnix, & rerum suarum Herodoto longe consultiore. Saturno quippe hoc institutum debere Phœnices, in Sanchoniatonicis, memorat. Non morabor hic vetustatis memorias, aut aliorum de diis deabusque gentilium commen-

B ta

(b) *can. chron. p. 73, 74.* (c) *lib. XVII.* (d) *apud Orig. lib. I contra Celsum.* (e) *apud Eusebium lib. I Prep. Evang.*

ta expediam f. Augustius quid sublimiusque, sub hisce veritatis simulacris occultari, auguratur animus. Virum fuisse oportet ea mentis integritate & sanctitate morum, vitæque seueritate, vt haud immerito, templa ac puluinaria, & quidquid honoris, diis suis tribuebat vana superstitio, posteritati extorserit. An Abrahamum, quem maior Numinis vis egit, collocauitque supra communem mortalium sortem, designauerit exhibueritque Saturni imago, multis obscurata inuolutaque commentis, non desinio g. Compleuit sine dubio sanctissimi viri progenies præcipuas prouincias. Amplissima regna, gentesque florentissimas Ismael condidit. Keturæ soboles perquam numerosa, parentis instituta longe lateque propagauit. Tot populorum commercio multa ad Arabes, multa ad Aegyptios quoque fuere translata, quæ diuini cultus, primæque originis, haud obscuras lineas referunt. h

§. XIV. Non recusauit hæc sacra Pythagogo-

(f) Egerunt hoc Io. Bocatius, Fabius Planciades, Franciscus Baco de Verulamio, alique. (g) conf. Vossius de idololat. Gentil. lib. I c. XVIII. (h) Plura dabunt Hermannus Witsius in Aegyptiacis lib. I cap. VII p. 30. & lib. III cap. VI p. 127. seqq. it. Heideggerus in Histor. Patriarchar. T. II exercitat. VII.

goras, nullius facile gentis mores ac instituta migrans. Neque Iouis Cretenſis ſolemniſ conſecratio, quæ omnes ſacro quodam horrore percellerat, eum abſterruit. Ingreditur Idæum Antrum: Per nouem dies in eodem commoratur. Parentauit Ioui. Puluinar vidit. Omnia tandem arcana ipſi patent. Hæc vero Porphyrius, quem & Mathum vocant, me edocuit. Certe nihil pulcrius duxit, quam venerari diuina.

§. XV. Peractis rite in Aegypto, atque ex præſcripto cunctis, ſacratioris diſciplinæ particeps redditur. Omnibus valere iuſſis, totum ſe ſtudiis conſecrauit. Iam & numerorum leges didicit: & naturæ reſſus rimatus eſt, & quidius faſque eſſet, quidue a mortalibus exigeret Numen, percepit. Multa alia, præclara quidem & homine ſapiente digna hauſit. At præcipuum iſtud erat, animas hominum non interire. Secus hoc eſſe, ſibi vulgus perſuaſerat. Aegyptii; Herodoto teſte¹, primum hunc errorem animo exuerunt, Πρῶτοι τόνδε τὸν λόγον Ἀγύπτιοι εἰσι εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπος ψυχὴ ἀθάνατος ἐστὶ. *Aegyptii primi fuere, qui dicerent, animam hominis eſſe immortalẽ.*

§. XVI. Aegyptios ceteris omnibus præfert. Vtique fallitur. At meretur veniam. Ab aliis hæc edoctus, refert. Ventiloſiſſimæ gen-

B 2

tis

(1) lib. II cap. CXXIII

tis arrogantia mendacii crimen homini innocentissimo non adsperset. Insigne nihilo fecius occultioris disciplinæ caput fuit, animas interitus omnis esse expertes. Hinc igitur in scholam Italicam fluxit, fuitque ceu ex prima scaturigine deriuatum. Plutarchus k Pythagoræ doctrinam recensurus, eundem autumasse refert, animam esse ἀριθμὸν, ἑαυτὸν κινῶντα. *Numerum, qui seipsum moueat.* Præterea: Ἄφθαρτον εἶναι τὴν ψυχὴν. Ἐξίῃσαν γὰρ εἰς τὴν τῆ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμόγενές, *Animum interitus expertem esse: peruenire enim, cum exit, in animam Mundi sibi cognatam.* At postea insigni errore inquinavit veritatem. Namque nescio quam τῆς ψυχῆς περιπόλησιν sibi finxit. Aegyptiis ne auctoris hoc asseruerit, an excogitauerit ipse, non definio. Certe Græcos primo a Pythagora hoc edoctos fuisse, testatur Diogenes Laertius 1, auctoremque Aristotelem laudat, in republica Deliorum, Pythagoram primum censuisse, ψυχὴν κύκλον ἀνάγκης ἀμετῆσαν, ἀλλό τε ἄλλοις ἐνδύσθαι ζώοις. *Animam necessitatis circulum confidentem, alia ex aliis animantia induere.* Addidit seipsum, δι' ἑπτὰ καὶ διακοσίων ἑτῶν ἐξ αἰδέω παραγεγεννηθῆσαι εἰς ἀνθρώπους. *Post annos 107 ex inferis reuixisse.* Apollinis hoc donum esse, vt omnium reminisceretur. Hinc esse,

vt

(k) De placitis Phil. lib. IV c. II. (1) in vita Pythag.

vt ceteros quidem prioris vitæ conditio lateat. Sibi vero soli eam constare. Ex initio quidem cum corpori anima illapsa esset, se se appellatum fuisse Aethalida. Huic diuinitus contigisse, vt eorum seruaret memoriam, quæ apud inferos gesta erant. Mox Aethalide mortuo Euphorbi se sustinuisse nomen. Relicto hoc domicilio, animam suam migrasse in corpus Hermotimi. Inde in Pyrrho fixisse sedem, donec tandem Pythagoræ fuerit iuncta. At piget tædetque plura addere. Quem eius delirii fastidium non caperet? Sane sapientissimos mortalium non semper sapere, comprobauit Pythagoras.

§. XVII. Ceterum Socrates seu Phædrus in epistola m ad Platonem vnica fasce complexurus, quidquid in Aegypto didicit Pythagoras, *Ἐκοινώνησαν, inquit, τὰς λόγους, τὰς περὶ Φύσεως, ἢ γεωμετρίας, ἢ ἀριθμῶν περὶ Ἡλείου Πυθαγόρα. sermones de natura geometria & numeris Heliopoli Pythagora communicarunt.* Porphyrius rectum Numinis cultum addit. Istud vero quod de numerorum disciplina retuli, non probatur omnibus. Phœnices iam audiuerat Samius. Hisce debet peritiam numerorum. Excellebant eadem ita Phœnices, vt reliquas gentes post se relinquerent. Nodum soluit Apuleius n.

B 3

Phœ-

(m) *epist. XXVI edit. Leonis Allatii.* (n) *lib. II Florid.*

Phœnices non alium quam vulgarem plebeiumque numerorum callebant usum. Istud humanæ vitæ commercium, societatisque seruandæ stabiliendæque ratio postulabat. Contra Aegyptii naturæ mysteriis, diuinisque rebus secretiori modo tradendis attemperabant numeros. Et istud ibi hausit Pythagoras, omnia quidem sapientiæ reconditæ capita numeris deinceps inuoluens. Alterum vero Phœnicibus debebat. Sane ab Aegyptiis profectum fuisse Pythagoræorum institutum, cuncta symbolis celandi, testatur Iamblichus ^o. Homines enim alios ut erudiret Pythagoras, rogatus a suis *ἐκ ἀντιτείνων τὸν τῆς διδασκαλίας τρόπον συμβολικὸν ποιῆν ἐπιχίρει, καὶ πάντα ὅμοιον τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ εἰδάγμασι κατ' ἐπαιδεύθη, εἰ καὶ μὴ σφόδρα προσίετο τὸν τοιούτον τρόπον οἱ Σάμιαι, Minime reuolvens sinitabat modum doctrinæ Allegoricæ, & Symbolis ceu mysteriis relictum reddere, planeque Aegyptiorum doctrinis, prout in iis a primâ aetate institutus erat, similem, cisi Sami huiuscemodî tradendi morem non admodum appeterent. Cetera Aegyptiacæ disciplinæ capita non percensebo. Peregrinationes Pythagoræ, non doctrinam, referre institui. Non itaque in Aegypto figenda est sedes. Præterea iam alios occupauit hic labor, præsertim ex veteribus istos, qui Pythagorææ disciplinæ se ad-*

(O) cap. IV de vita Pythag.

addixerunt. Huiusmodi scriptorum ingen-
tē copiam possedit Lucas Holstenius, e-
gregius vir, & cuius nomen æternitati iam-
pridem est consecratum.

§. XVIII. Iam duos supra viginti annos
in tacitis & amœnis Musarum recessibus in-
ter litteratos labores, & vitæ humanæ opti-
ma solatia apud Aegyptios consumserat,
Pythagoras. Necdum abeundi consilium
cepisset, nisi necessitatem ei imposuisset,
ineluctabile fatum. In mutua odia excidia-
que exarserant Persæ Aegyptiique. Illorum
imperium penes Cambysem p̄ erat, acrem
virum strenuumque, regni que proferendi
valde cupidum. Non sufficiebat paterna
hæreditas. Vno regno expleri nequit insa-
tiabilis imperandi cupido. Accedebat im-
mortalis nominis gloria a patre Cyro par-
ta. Hæc stimulabat animum Regis. Hanc
tueri, hanc augere, dignum mente ingenua
videbatur. Aegyptus experiri primum im-
petum iubetur. Nondum obliuione deleue-
rat cladem a Sesoistre toti orienti illatam.
Maiorum ignominiam vlcisci nepotes oport-
uit. Nec deerant alia, quæ obtentui su-
mebantur, vt honestior iustiorque esset bel-
li titulus. Inferuntur signa. Inferior disce-
dit Aegyptius. Victor occasione vtens, stra-
ge,

(P) Herodotus lib. III cap. X. seqq. Strabo lib. XV.
Lamblicus loc. cit.

ge, ruina, incendio, longe lateque compleuit omnem regionem. Non honor legibus, non cultui sacro pietas, non reuerentia Numini stetit. Tempia ipsa & dedicatas musis sedes, non sua defendere valebat religio. Polluebantur sacrilega impietate. Hic sacerdotum sapientiæque antistitum agmina, vinculis catenisque onerata, ludibrio contemptuique exposita, arbitrioque militum relicta, conspiceri licebat. Miserrorum numerum auget Pythagoras. Eadem fors omnes manebat. Non vitæ sanctitas, non morum integritas, non cultus ingenii, militum libidinem refrenauit, coercuitque potentiam victoris. Aequauit conditionem omnium bellica fortuna. Abripitur vna, Pythagoras, interque armorum strepitus, militumque opprobria, longinqua itinerum emensus, Babylonem tandem deferatur. Desiderio eius consultum cupiebant, fatorum leges. Restabant & apud Assyrios, quæ scire neminem pœnituit. Non itaque in Aegypto consensescere oportebat virum, quem maioribus rebus destinauerat fortuna, tot belli molestias, captiuitatisque onera, & intempestiuam armatæ turbæ libidinem infinitis muneribus pensatura. Ceterum Babylon Persis parebat. Assyriorum imperio hi finem imposuerant, occupataque regia sede, longe lateque per orientem domina-

ban-

bantur. Cum imperio instituta etiam & sacra disciplinamque Persarum receperat. Et horum quidem omnium curam gerebant Magi. Ita sanctissimos iustitiæ ac sapientiæ sacerdotes appellare moris erat. Hi expiabant hominum scelera, iramque deorum placabant precibus q. Tenebant præterea recondita diuinæ naturalisque sapientiæ capita; leges denique dabant, regni iura ac facta ex nutu ac arbitrio suo dispensantes. Proinde & Magos frequentarunt, qui vllam doctrinæ gloriam sunt consecuti r. Pythagoras autem inter captiuos ita delitescere non potuit, vt non morum honestate prodere-
tur. Virtus viri mox omnibus innotuit. Ipsorum denique sapientiæ antistitem amorem fama doctrinæ haud difficulter ei conciliauit. Non iam captiuo loco habetur. Colitur, admittitur ad amicitia iura. Cuncta ex voto consequitur.

§. XIX. Omnia Magicæ disciplinæ arcana Pythagoram edoctum fuisse, non est, vt euincam. Huc comparatum erat sanctum istud, quotidianumque vitæ litteratæ commercium. Multa haud dubie cum Aegyptiorum sapientibus habuere communia. Hoc proprium eis ac peculiare fuit, vt auguria caperent, rerumque futurarum prædictionibus

B 5

gna

(q) *Diog. Laert. in Proem.* (r) *vid. Lactantius lib. IV. diu. instit. cap. III.*

gnauiter darent operam. Sane Diogenes Laertius doctrinam Persicam in compendium misit, scribens: τῆς δὲ μάγης Φασὶ, περὶ τῆς Θεραπείας Θεῶν διατερεῖν, καὶ θυσιῶν, καὶ εὐχῶν, ὡς αὐτὴς μόνος ἀκρομένους, ἀσκήν τε καὶ μαντικὴν καὶ πρῶρρησίν, καὶ αὐτοῖς Θεὸς ἐμφανίζεσθαι, λέγοντας. *Aiunt, magos deorum vacare cultui, & sacrificia & preces ei offerre, tanquam soli exaudiantur, diuinationem praeter ea & praedictiones exercere, sibi que deos apparere et alia aperientes.* Hinc de Pythagora Iamblichus quod apud Magos, τὰ παρ αὐτοῖς σεμνὰ, καὶ Θεῶν Θρησκείαν ἐντελεσάτην, i. e. ea quae seria essent, & ad religionem cultumque Numinis pertinebant, perceperit. Hunc Numinis cultum, sacraque deorum diuinandi arte maxime apud Persas absolui, credidit clarissimus vir Ioannes Schefferus. Certe Hippo- nensium praesul Varronem adducit, diuinandi disciplinam Persis, ceu praecipuis auctoribus, tribuentem. Namque & mortuos consilere, eosdemque daemorum ope reuocare ab inferis, perquam solemne apud eos fuit. Nec volucrum captare cantum, aut brutorum inspicere exta, satis erat. Ignem etiam & aquam, & propemodum quidquid sensibus usurpari poterat, in impietatis occasionem vertit superstitio. Celebrabantur & AEGYPTI-

(S) l. c. p. 27. (F) Augustinus de C. D. lib. VII. c. XXV.

gyptiorum Magi. Horum vero non eadem instituta fuere cum Persicis. - Ab vtraque gente ergo magicas artes edoceri potuit Samius sapiens. Sane vtrobique haud parum discriminis intercedebat. Causa itaque non fuit, cur Lucas Holsteinus, vir clarissimus, u. Aegyptiis gloriam istam vindicaret, Erudiri ab illis potuit Pythagoras. Fateor. At habuerunt & Persæ, nobiliores, utique præstantioresque. Alii mores, alia instituta, alia ibi viuendi ratio. Hisce igitur præcipuum honorem a Pythagora habitum fuisse, non ambigo. Reliqua Persicæ doctrinæ capita summam exhibet Iamblichus: Ἀριθμῶν τε καὶ Μουσικῆς, καὶ τῶν ἄλλων μαθημάτων, ἐκ ἄκρον εἰδῶν παρ' αὐτοῖς. *Item in arte numerandi ac Musices, reliquisque disciplinis, apud illos ad summum fastigium peruenit.*

§. XX. Inter ceteros autem Pythagoræ doctores, quos Babylone sectatus est, Nazarius Assyrius eminent. Hoc nomine Ezechiellem, diuinum vatem, inuui, crediderunt nonnulli. Ex quo enim, vrbe diruta, templo incenso, omnibusque solo æquatis, penatibus patriisque laribus valere iussis, Eberi progenies per omnes orientis regiones dispersa fuit, in Assyriorum præcipue prouinciis longe lateque sedes suas posuit. Sanctis.

(u) de vita & scriptis Porphyrii Cap. IX.

Sanctissimis etiam viris domicilium præbuit Babylon. Ipsum Ezechielem de futuris ibi admonitum fuisse, populumque Deo consecratum ad honesta quævis grauioribus increpationibus adduxisse, accepimus. Equidem Cyro iubente plerisque redditum fuit natale solum. Nonnullos vero exilii spontanei tanta cepit voluptas, ut inter externos vitam exigere, quam in patriæ beato solo religiones templumque venerari ex propinquo, mallent. Quos inter Ezechielem fuisse, non desunt, qui arbitrantur. Vatum Magorumque ordini adscriptum ferunt, ut maior sanctiorque viri esset auctoritas, Pythagoram itaque, Babylone versantem, ab huius maxime pependisse ore, multaque accepisse, quæ alibi, quam in Hebræorum sanctiori disciplina frustra quæsiueris. At secus arbitratum Clemens: *Ἄλεξανδρος δὲ ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, νασαράτω τῷ αἰσυρίῳ μαθητεῦσαι, ἰσορεῖ, τὸν πυθαγόραν. Ἰεζεκιήλ τῆτον ἠγῆνται τινες. ἅκ ἔσι δὲ, ὡς ἔπειτα δηλωθήσεται.* *Alexander autem in libro de Pythagoricis Symbolis γ, narrat, Pythagoram Nazaratæ Assyrii auditorem fuisse. Hunc quidem Ezechielem fuisse, putant. Haudquaquam vero est, ut infra ostendetur.*

§. XXI, Contrarium sibi que repugnantem

(x) l. c. [y] vid. Ionsius de Scriptor. Histor. Philos. lib. II. c. c. XVI.

tem Clemens experitur Petrum Dan. Huetium, Saeslionensium episcopum longe doctissimum. ^z Vtique Ezechielem sub Nazarati nomine delitescere, auguratur. Pythagoram etiam inter eius discipulos refert. At non sine ambagibus. Pro *ναζαράτω* apud Clementem *ζαράτω* legit. Hunc cum porphyrii Zabrato vnum eundemque facit. Tandem Zaradem hinc exsculpit. Hoc nomine Zoroaster apud Theodoretum ^a atque Agathiam ^b venit. Cum itaque sub Zoroastris imagine Ezechielem celebrari atque per orbem circumferri, censeat, non amplius dubitat, quin ab eius ore pependerit Pythagoras. Admirari semper consueui indolem huius viri, doctrinamque exactam. Valde tamen vereor, ne hostibus veritatis sapius risum sui que contemptum extorqueat. Anxie nimis singula conquirat, omnia versat, omnia torquet, atque sollicitat, vt saltem vestigium veri cultus in profana gentilium superstitione detegat. Hauserunt vtique multa a Iudæis ethnici. Multaque historiarum sacrarum capita commentis inuoluerunt, vt passim stricturæ veritatis haud obscure effulgeant. At corradere & conuectare omnia, rerumque indole parum pensitata, vbique imagines aucupari, istud ita comparatum est, vt certis-

[z] *in dem. euangel. part. I. p. 397.* [a] *Serm. IX. de Legib.* (b) *lib. II.*

certissima etiam perplexis ambagibus inuoluantur.

§. XXII. Non repugnabo valde, visum auditumque Ezechielem esse a Pythagora. In re ancipiti & crepera, vel abnuere prorsus, vel asserere quid, temeritatis est. Saltem Huetii documentis adeo hoc non euincitur. Nazaratum in Zaratum mutat. Nullo iure, nullo titulo. Sic placuit. Imperio certe duro nimis & aspero utitur. Zarato Zoroastris personam imponit. At quid eum commouerit, non video. Conuenire quodammodo consentireque nomen utriusque intelligo. Infirmum sane concludendi genus. Non moremur hæc. Quocumque modo se ista habeant, nostra parum refert. Nondum enim procliuè erit, remota Zoroastris umbra, conspiciere Ezechielem. Quid, si Moses prodeat? Consensit Huetius. Probauit ipse euicitque, Zoroastris nomine non alium, quam diuinum Mosén tegi atque occultari c. Nunc mutata repente scena Ezechielem sub Zoroastris habitu producit. Sic suo instituto cuncta attemperat. Vtique enim si ad Mosén hæc referenda sunt, non intelligo, qua saltem veri specie pertineant ad Ezechielem. Concluderet hinc facile aliquis, Mosén vixisse tempore Cambysis, & erudiuisse Pythagoram. De Zoroastre enim
id

(c) in D. E. p. 133.

id factus est Huetius. Non permittunt temporum rationes. Nouo commento medicina paratur. Iam Circes artificia vincit. Mosemque mutat in Ezechielem. Vidit hasce angustias Suesionensis antistes. Easdem declinare omnibus viribus adnititur. Zoroastris nomine virum quemdam sanctitate morumque integritate præcipue in gente Israelitica inclitum, significari autumat. Certum hoc adeo & inuictum putat, vt omnium consensum sibi polliceatur. An vero impetraturus sit, ambigo.

§. XXIII. Non desunt sane documenta, quæ istud suadeant. Clemens Romanus, vel quisquis operis auctor est, Zoroastrem non alium esse, quam Misraimum, Chamis filium, contendit. ^d Huic post obitum Zoroastris, i. e. *viui sideris*, nomen contigit. Dion tamen, Hermodorusque, teste Diogene Laertio, per *siderum cultorem* hoc interpretantur. Accedit, quod temporum rationes palam repugnare videantur. Aristoteles & Eudoxus sex annorum millibus ante Platonem Zoroastrem vixisse, autumarunt. Cuius rei auctorem longe grauisimum Plinium habeo. ^e Idem præterea Hermippum laudat, asserentem, Zoroastrem quinque annorum millibus ante Troianum floruisse bellum. Hunc secutus est Plutarchus in libro

[d] lib. IV. *Recognit.* [e] lib. XXX. H. N. cap. I.

bro, quem de duobus principiis, vno bono, altero malo conscripsit. Dissentire equidem videtur Xanthus Lydus. Nihilo factus tamen prudenter iudicat Ammianus Marcellinus, f priscis sæculis eundem vixisse, Cyrique ætatem magno antecessisse interuallo. Incertum igitur atque valde perplexum cum hoc negotium sit, nimium profecto audeat, qui istud definire conatur. Coniiciendo saltem hic proficitur, lubrica sane & præcipiti via, in qua præstantissimos quoque homines labi contigit,

§. XXIV. Non reluctemur diutius. Transcribamus vel inuitum Zoroastrem in gentem Ebræam. Nondum tamen istud comprobatum est, ad Mosem æque, ac ad Ezechielem pertinere, quæ commenta de illo est fabulosa antiquitas. Temporis interuallum, credo, vtrumque iunxit. Facile inde confundi potuerunt. Nimirum hoc metuumdum erat. Restant alia documenta Huetio. Occurrunt non pauca de Zoroastre, quæ non inconcinne Ezechieli accommodaueris. Neq̃ istud abnuc. Habent ista speciem veri, rem ipsam non euincunt. At euincant. De natiuitate Zoroastris mira finxit commiscendi libido. Vidisse grauidam eius matrem cælum ardens, vidisse & quatuor gryphes. Ipsi Zoroastri Deus cœlestibus flammis

(f) *lib. XXIII.*

mis micans conspectus est. Hinc & a splendore istud nominis tulit. Iam Ezechielem claris oculis se intueri, arbitratur Huetius Sacri codicis intemeratam testatur fidem. Namque diuino huic vati Deus multo splendore ac igne conspicuus apparuit. Huic animalia ista adhibita sunt, mirifica specie, insignia, summaque mysteria adumbrantia. Adeo inusitatum apud ethnicos fuisse, opinatur, ignis splendore præstans atque præcellens quid significare. Ex Ezechielis occultis mysteriis hoc prius arcessendum fuit. Quæ ludæi suis legere vix concedunt, hæc Ethnicis innotuerunt, ita, vt animaduertente nemine Zoroastri cuidam, subito enato, tribuere liceret. Profecto! lentis nimis maxillis edunt, quibus hæc deliciae sapiunt. Riturum colendi ignem ab Zoroastre acceperunt Persæ. Hoc tradunt, hoc fatentur omnes. Concéssit Huetius ipse, ad Mosem eadem referens. Quid igitur mirum, eosdem de sacrorum suorum conditore talia esse commentos? Hinc splendor Numinis, & matri, & Zoroastri conspectus. Addit, gryphes apparuisse eidem. Animalia quidem varii generis Ezechieli conspecta fuisse, animaduerto. Gryphes, nusquam vidi. Male quidem hæc sibi constant.

§. XXV. Quod vero præcipuum Persicæ disciplinæ caput est, istud neglexerat Huetius.

C

tius.

tius. Ea enim afferre fas erat, quæ causæ eius inferuiunt. Theodorus quippe Mops-
westenus episcopus, cuius nomen non igno-
rant ecclesiæ annales, in libro de Perlicæ
Magia testatur, de duplici principio, altero
bono, altero malo multa tradidisse Persas,
eiusque doctrinæ auctorem agnouisse Zo-
roastrem. Illud certe est quod etiam Plutar-
chus docuit, qui addit, boni principium,
Oromasden, mali Arimanium fuisse appel-
litatum. Ista vero quomodo in Ezechie-
lem quadrent, viderit Suesfionensis præsul.
Hæc prius expedienda erant. Plura addere
tædet pigetque.

§. XXVI. Ast nondum argumentorum,
adeft finis, Zoroastrem in cælum raptum
ferunt. Addunt, ibidem accepisse librum,
instructumque fuisse diuersis præceptioni-
bus ad hominum eradenda vitia, moresque
emendandos. Annalium hic testor fidem,
an legislatorem vel conditorem reipublicæ
aut sacrorum auctorem formatoremque, sibi
vnquam finxerit antiquitas, cui non collo-
quia Numinis, cælique commercia & oc-
cultos cum diis congressus tribuerit. Numæ
credo, aut Minoës sufficient. Hic Iouis, ille
Aegeriæ Diuæ mandata præ se ferebat. Iu-
uabat vtique ad auctoritatem sanctitatem-
que, & venerationem suis institutis legibus-
que conciliandam, Numinis metu implere
mor-

mortalium animas. Hoc neglexisse Zoroastrem credere par erit? Quid tantum deceret virum, ex cuius præscripto omnis viueret posteritas, parum habuisset pensi, nisi arctiore quodam vinculo, diuinitatisque opinionione illorum obstrinxisset animos. Saltem ita se gerere, talia de se spargere debebat, quæ errorem istum sibi perhonorificum posterorum animis ingenerarent. Successu non facile caret eiusmodi dolus. In dispensandis diuinis honoribus nec finem, nec modum statuit supersticiosa gentilitas. Hinc & aditum ad Deorum colloquia non adeo difficilem sibi persuaserat. Qui ergo Zoroastri fuisse interclusus? Per multas ambages ab Ezechiele illud petere, istud quidem est, fastidire certa & quotidiana, vt præ aliis sapere videamur. Namque futurorum præsentionem Zoroastri non minus quam Ezechiele tribui, mirandum non est. Deorum enim propitium fauorem dum expertus fertur Zoroaster, quæ fors impotterum alios manet, & quid signaturi essent, posterorum annales ipsum clam habere, nihil aliud erat, quam violare sanctissima amicitia iura. Nec adeo infrequens erat canere futura. Vt cælum enim heroibus, ita terram vatibus compleuit dira superstitio. Iam ergo omnem vanissimorum hominum turbam, vaticinandi prædicendique gloria

apud profanos inclitam, permutemus libere virorum sanctissimorum choro, quos maior Numinis afflatus perculit. Præiuit nobis Huetius. Vates fuit Ezechiel. De Zoroastre idem commenti sunt Persæ. Hinc colligit, Zoroastrem fuisse Ezechielem. Ita credo conuincet homines profanos. Vel potius contemptum ab aliis reportabit.

§. XXVII. Ast expediatur fabulæ series. Zoroastrem ex Sinensium finibus in Persiam venisse, annales Persarum memorant. Nec istud repugnat Ezechieli. Ita credit episcopus Suesionensis. Namque ex Iudæa profectus Babylonem abductus est: Babylonem cum Perside confundere, tolerabile est. Meretur veniam. Sane Persidis limites eo vsque extensos fuisse, inficiamur. At Iudæos in Sinenses mutare istorumque mides, temeritatis est inusitatae. Quo iure, quoue titulo vero fiat, non video. Dixisse satis est? Certe & satis erit, istud negasse. Præterea prodigiis nobilitatus fuit Zoroaster. Eadem illustrem quoque & inclitum reddiderunt Ezechielem. Testis locuples est Epiphanius in vitis prophetarum. Sciens lubensque hic fallitur Huetius. Epiphanii nomen liber mentitur h, eo ipso maiorem sibi fidem acquisiturus. Hoc ipso ve-

RO

(h) *vid. Robertus Cocus in censura quor. script. pag. 241.*

ro omnem perdidit. Commentis ita indulget, vt vera etiam, si quæ continet, suspecta reddantur. Faceffant procul eiusmodi testes. Ab integerrimis boni sanctique iudicis moribus alienum longe est, stare verbis effatisque hominis, qui iam sæpius mendacii conuictus cum fide existimationem, etiam, amisit.

§. XXVIII. Zoroastrem cum Ezechiele male confundi, fuit euictum. Pythagoram itaque inter Ezechielis sedisse discipulos inde confici nequit. Parumque omnino refert, audiueritne sanctissimum vatem, nec ne. Certe ab Ebraeis multa sanctioris doctrinæ capita mutuo accepisse Pythagoram, non inficior. Sane & in Aegypto atque Babylone, facile Ebraicæ doctrinæ copia illi fieri potuit. Vnde & præstantissimi sanctioris ritus antistites, veritatis præsidium haud omnino vanum, in eo quærebant, quod ab Ebraeis proflexerit quidquid sani in Pythagoræ decretis deprehenditur. Hermippum laudat, Origenes, afferentem, Pythagoram Ebraeorum placita transtulisse ad Græcos. Adstipulatur huic Iustinus Martyr ^k, cuius cohortatio ad Græcos documento omnibus est, profanæ vetustatis spoliis cultum Numinis puriorem condecorandi. Hic autem,

C 3

pa-

(1) lib. I. contra Gelsium. (k) coheratio. I. ad Græcos.

palam fatetur Pythagoram æque ac Platonem ex Mosis libris edoctos, secus de Numine sensitse, ac antea fecerant. Nemesius vaticinandi prædicendique modum Pythagoræ usurpatum, Ebraeis auctoribus tribuit. In quo eum falli necesse est. Omnem enim prædictionem, ac divinandi artes procul a populo suo abesse volebat Numen. Sanctionibus feuerisimis cautum fuit, ne quis eo usque profanæ audaciæ progrediretur. Verò magis longeque melius consentiunt, quæ Constantinus I, dissevit apud Eusebium. Prophetarum enim sanctissimorumque vatum, quorum ingens copia in Ebraea gente effloruit, exata nobilissima, Pythagoræ innotuisse, autumat. Quod ita esse, diuturnum Pythagoræ cum Ebraeis commercium, mihi haud difficulter persuadet. Porphyrio interim assentire nequeo, ad Ebraeos accessisse Pythagoram, asserenti. Vtique adit eosdem in Aegypto & Babylone. Palæstinam vero nunquam vidit. Ceterum Stromateon haud indoctus conditor, Clemens Alexandrinus, Mosis atque Pythagoræ decreta inter se contendit, indeque concludit, hunc ab illo plurima hausisse & sua inde irrigasse arua. Documento istud sit:

Πάλιν δ' αὖ θαντύλιον μὴ φοβέιν, μὴ δὲ εἰκόνας
 αὐτοῖς ἐγχαράσσειν θεῶν, κατὰ γυνὰ ἰ Πυθαγόρα

(1) in orat. ad Sanctior. catum. (m) l. c.

γορας. ὡς περ Μωσῆς περὶ πάλαι διαρρηδην ενο-
 μοθέτησε μηδὲν δεῖν γλυπτὸν ἢ χωνευτὸν, ἢ
 πλαστὸν, ἢ γραπτὸν ἀγαλμά τε καὶ ἀπεικό-
 νημα ποιεῖσθαι. Rursus autem non esse gestandos
 annulos, neque deorum imagines illis insculpendas
 praecipit Pythagoras. Sicut Moses, multis ante seculis a-
 perte legem sanxit, nullam oportere sculptilem, uel con-
 sailem uel fistulam, uel pictam imaginem uel simula-
 crum facere. Cuncta denique complectitur,
 καὶ ὅλως, inquiring, ὁ Πυθαγόρας καὶ αἱ αἰεὶ αὐτῆ
 μάστιγα τῶν ἄλλων φιλοσόφων σφόδρα τῶ νομο-
 δότη ὠμίλησαν, ὡς ἔστιν, ἐξ αὐτῶν, συμβάλλει-
 δαι δαγμαμάτων. Et in summa, Pythagoras est qui
 fuit ex eo cognominati, maxime pra aetis philosophis
 ubi sunt leges (Mose) ut conueni potest ex i-
 psis illorum dogmatibus n.

§. XXIX. Frustra autem tot labores ex-
 haustos, difficultatesque inertum supera-
 tas, secum reputabat Pythagoras, nisi in pa-
 triam uberrimus doctrinae suae fructus re-
 dundaret. In hanc igitur ex diuturna pere-
 grinatione reuersus, id sibi datum credidit,
 ut ciues suos honestis imbueret moribus,
 ignorantiamque turpissimam animis illo-
 rum abstergeret. In quo sane spes eum ita
 fefellit, ut omni profuso successu conatus ille
 longe pulcherrimus caruerit. Antiphon apud
 Porphyrium auctor est, locum quendam
 sibi fofegisse Pythagoram, qui musarum o-
 mnis-

(h) Plura uid. apud Hug. Grotium lib. I de veri-
 tate christi, rel. praesertim in annot.

mnisque disciplinae sanctionis enet sedes, in
 quo etiam ciues suos undique, ut rebatur,
 confluxuros erudiret, eundemque *ἡμετέρου*
Πυθαγόρου fuisse appellitatum. Samii autem
 tam parum omnino sapientiae pulcritudine
 capiebantur, ut ipsis etiam fastidio esset,
 contemtuque exponeretur. Nec, praeter
 Eratoclis filium, Iamblichio teste, quisquam
 eius se concredebatur disciplinae aut doctrinae
 particeps fieri cupiebat. Is vero & donis
 variisque illecebris ad hoc adducendus e-
 rat; ut Pythagorae corporum dimensiones
 inculcanti, aures praerberet. Ceterum tanti
 non erat, sapere, aut litteris elegantioribus
 complere pectus; ut vel voluptatibus inde
 vel suctis laboribus quidquam detraherent. I-
 gnavae suorum igitur pettens, ciuilibusque,
 quibus destinabatur, occupationibus, se
 subtracturus, relicta denuo patria Croto-
 nem venit, ibidemque fortunarum suarum
 fixit sedes. Erat ista non obscura Italiae urbs
 a Brutiisque haud multum distans & Sicu-
 lo immihens mari, quam cum aliis magnae
 Graeciae ciuitatibus Graecorum colonia, Ser-
 uio teste, condiderunt. Ex quo vero tanta
 aude Pythagorae doctrinam est complexa,
 maior inde, quam antea, claritas, ut ab a-
 liis quoque frequentaretur. Efflorescere ibi
 indies doctrina, & celebrari magis coepit, ut
 in omnem propemodum Italiam saluberrima

ma Pythagoræ præceptiones inde, ceu ex fonte & scaturigine, dimanarent. Cumque antiquis philosophorum placitis a terra, quæ illos alebat, nomen haberet, obseruante Ludouico Viue o Pythagoræ doctrina philosophiæ Italicæ nomine posteris innotuit. Ita quidem Laertius & Plutarchus me edocuerunt, & qui horum, præsertim Blinnii, vestigiis insistit Ludouicus Cælius Rhodiginus p.

§. XXX. Iam poterat Pythagoras documento esse peregrinantibus, nisi vera ita fastidiret innouandi cupido, vt non raro fuerit. Ita sapere molestum fit, ne sapientissimis hominibus debere quidquam existimemur. Ita omnino est, prudentiæ nimium, se hausisse nonnulli arbitrantur, si peragrato orbe tandem didicerint, quis sit Gallorum incessus, quibus palliis aut barbibus Hispani vtantur, quam egregie libidini indulgeant Itali, quam strenue apud alios luxuriæ letetur: Vel, vt Gallico sermone alicubi hi mores exhibentur: *qui passent des journées entières a vous dire, qu'en un tel lieu il y a vne Riviere qui se jette dans un abisme, & qui ressort a dix lieues de là; qu'en un autre il y a des montagnes au dessus des nuës; qui s'amusent a depeindre des animaux effroyables, des coutumes ex-*

C. 5.

174

(O) ad lib. VIII Aug. de C. D. c. II. (p) lib. VII Antiq. lect. c. IX.

iraugantes, & ce qui il y a de rare, c'est, que bien souvent ils ignorent tout ce qui le touche ; & ne savent que ce qui ne les regarde point. Et qui in plerisque, quorum itinera descripta extant, malus quid sublimiusque prudentiæ aut doctrinæ exactæ momentum sibi spondet, nã! valde vereor, vt legerit expenderitque, quæ Gilbertus Burnetus in litteris, quibus Italicarum quarundam regionum habitum sistit, conqueritur. Præceptionibus vero prudentum si hic proficeretur, iam haberent omnes, quod agerent, mores suos componendo ad ea, quæ summi viri Conringius q, Bœclerus r, Io. Andreas Bosomius s tradiderunt.

T A N T V M!

(q) in *disquisit. politic. de prud. peregr.* (r) de *peregrin. Germ.* (s) *Introduct. ad not. rerum publ. c. VI p. 72.*



Qui-

Φιλόσοφος Φιλόμυθος,

H. E.

PHILOSOPHVS FABVLARVM

AMATOR

SECUNDVM ARISTOTELEM LIB. I.

METAPHYS. CAP. I.

DELINEATVS

EXERCITATIONE HISTORICO-

PHILOSOPHICA,

HABITA IENAE

DIE III. SEPTEMBR. ANNO MDCXCII.

RESPONDENTE

IO. CASPARO POSNERO,

VIENENSI.

© 1900

No. 1

PHILOSOPHY

AND

SCIENCE

OF THE

UNIVERSITY

OF CHICAGO

PHILOSOPHY

AND

SCIENCE

OF THE

UNIVERSITY

OF CHICAGO



Σύνοψις.

Cur philosophum fabularum amatorem velit Aristoteles §. I. Quid philosophus? §. II. item, philosophia? §. III. Fabula quid? §. IV. Ratio essentiae Aristotelici, §. V. Fabulis poetarum sapientia arcana tegi, probatur testimoniis, §. VI. Consuetudo veritatem occultandi orta est ab Aegyptiis, §. VII. Et horum quidem Mercurio, §. VIII. In usu etiam fuit apud Ebraeos, §. IX. Ab Aegyptiis ad Chineses, Syros, Arabes, aliasque gentes propagata est, §. X. Hanc quoque secuti sunt poetae Graeci & Latini, §. XI. Sententia illorum, qui antiquissimorum temporum historiam in fabulis poetarum quarunt, expenditur, §. XII. Itemque illorum, qui cuncta ad historiam sacram referunt, §. XIII. Variarum gentium historias, fabulis poetarum forte ansam praebuisse: sub ipsis tamen fabulis sapientiae praecipua occultari. Orpheum totius philosophiae symbolum esse. §. XIV. Quo pacto poetae fabulis suis expresserint theologiam naturalem, §. XV. Physicam, §. XVI. Ethicam, §. XVII. Politicam, §. XVIII. Et reliquas sapientiae humanae partes, §. XIX.

§. I. St-

§. I.



Æpius miratus sum, mecumque tacitus peregi, Aristotelem, summum istum naturalium civiliumque rerum arbitrum, quid impulerit, sapientix cultorem, ut fabularum non expertem cuperet? num sublato veri falsique discrimine lux atque caligo amico inter se coaluere fœdere? aut sperari ab hoste emolumentum potest? dextras iungere sapientiam stultitiamque, fortassis aliquis existimauerit, iamque induciis factis posuisse iram, proculque ablegasse rixarum litiumque causas. Tantum laboris exhaustiendum fuit veritatis cultori, ad mendacia profliganda, sua sponte ut in veritatis consortium deinceps admitterentur? At prodeat ipse Stagiritita, (a) sententiamque peroret. Cum enim admirationem sapientix matrem dixisset, addit: ὁ δὲ ἀπορῶν καὶ θαυμάζων οἶεται ἀγνοεῖν, διὸ καὶ Φιλόμουθος ὁ Φιλόσοφος πῶς ἔστι. Qui autem dubitat et admiratur, plane se ignorare existimat; Hinc fit, ut philosophus quodammodo sit fabularum studiosus. Causam statim subiicit, ὁ γὰρ μῦθος σύγκειται ἐκ θαυμασίων, ex mirandis enim rebus fabula constat.

§. II. Superbiunt multi philosophorum nomine, superciliumque sibi sumunt, & umbra

(a) l. 1, met. l. 2.

umbra sapientiae sese euehunt, quos tamen
 respueret tam inclitus ordo, accuratio-
 tum aliorum, tum ipsius Aristotelis iudicio
 si standum esset. Et apud veteres quidem
 in quacunque arte & studiorum genere qui
 eminebant, splendido τῶν σοφῶν ornaban-
 tur titulo. Mox illis id nominis hæsit, qui
 rerum diuinarum pariter ac humanarum,
 naturam, & quidquid scitu dignum erat,
 hominumque alliciebat mentes, vasto men-
 tis ambitu complectebantur, causasque &
 principia omnium cognita & perspecta ha-
 bebant. Pythagoras Samius b̄ autem huma-
 næ mentis imbecillitatem, doctrinæque mo-
 lem ac sapientiae difficultatem accuratio-
 calculo metiens, quantum a perfectæ cog-
 nitionis culmine abesset, demum intellexit:
 sapientiam quidem sibi tribuere non aude-
 bat; magno tamen eius amore se flagrare,
 haud diffitebatur. Idque ne clam alios ha-
 bere videretur, φιλόσοφον se dixit, insigni
 modestiæ exemplo alios ad nomen istud v-
 surpandum inuitans. Ergo in locum & ho-
 noris dignitatisque gradum σοφοῖς propri-
 um ac peculiarem successere deinceps φιλό-
 σοφοι, nomine quidem dispares, munere
 vero studioque cum iis vti que conuenien-
 tes. Eiusmodi sapientis imago, qui rerum
 omni-

(b) v. Diogenes Laertius lib. VIII in vita Pytha-
 gora.

omnium causas accurate tenet, si nobis quoque in præfenti animo fuerit obuersata, non equidem a mente sententiaque tum veterum omnium, tum ipsius Aristorelis hæc abhorrebunt. At qui exquisita definitione ita eundem delineatum esse, aut etiam exprimi posse arbitratus fuerit, se ipsum turpiter decipiet.

§. III. Nec est, ut alios successus sibi polliceantur, qui philosophiam exacta definitione explicare annituntur. Amorem sapientiæ fortassis dixeris? vocem teneo, rem ignoro. Recte ita iudicat Hugo Grotius apud Conimbricenses. c Mortis meditationem appellas? Quid iuxta Platonem efficiat philosophia, hinc intelligo; quid sit, æque, ac antea me latet. Videatur tamen Clemens Alexandrinus, d & Philo Iudæus e, qui accuratius hoc Platonis effatum interpretati sunt. Describi haud difficulter poterit. Nec enim omnino nihil dixerit, qui philosophiam exquisitam rerum omnium per causas cognitionem appellitauerit. At definiri nequit. Hic autem prætermittendus non est illorum error, qui ab ipso Aristotele istud iam factum, de quo nos irrito conatu laboramus, arbitrantur. Namque f Φι-
λοσο-

(c) *proem. in libr. phys. Arist. p. 2.* (d) *lib. IV Strom.* (e) *in libro de officio mundi.* (f) *lib. X met. c. III.*

λοσοφία, inquit, ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων, ἢ ὄν-
 τα ἐστὶ. *Philosophia est cognitio rerum, ut sunt.*
 Hanc definitionem suo approbat calculo
 Damascenus, g & Ammonius, h Georgius
 Pachymerius i. Ast falluntur turpiter; non
 enim aliter, quam de certa philosophiæ par-
 te, & quidem transcendentali, quam & me-
 taphysicam vocant, hæc verba Aristotelis
 capi debent. Hanc quippe prorsus eadem
 ratione alibi nobis exhibet, k cum ita loqui-
 tur: Ἔστιν ἡ Ἐ Φιλοσοφία ἐπιστήμη Ἐ ὄντων ἢ ὄν.
 Et hæc ita se habere, ipse quoque calculo
 suo comprobat Clemens Alexandrinus, dum
 non secus, quam dictum est, verba philo-
 sophi interpretatur. Quare nec Aristoteles
 ipse eandem definit, nec leges exquisita
 definitionis huc quadrant, si optimis do-
 cetrinæ Aristotelicæ interpretibus creden-
 dum est.

§. IV, Quid itaque Sapientiæ veritatisque
 cultori rei est cum fabulis otiosisque com-
 mentis? Utique procul faceffant λήροισι, ani-
 lesque fabulæ. Has non curat sapiens. Est

D

vero

(g) in *Dialectica* lib. IV fol. 614. (h) circa initium
 predicabilium apud Conimbricenses. (i) l. 1. epi-
 tomes in Aristotelem tit. 1. c. 2. apud Thomam
 sum in *Schediasmates historico de definitio-
 ne veterum, qua philosophia dicitur γνῶσις
 τῶν ὄντων* p. 3. (k) L. IV met. c. 1. § 1. 10.
 c. 3.

vero & aliud fabularum genus, hanc vocem mihi imperat Romani sermonis penuria, quas μύθος Græci appellitant. His ad populum instruendum, animosque rudes sapientia & doctrina imbuendos, prudentissimi quandoque utebantur viri. Grauis mihi atque locuples testis est Julius Pollux: Ἐπὶ τὸ διδασκαλικὸν ἡθὺς αὐχμηρόν ἐστι, καὶ προσκορῆς, ἃ δὲν ἂν τι κωλύοι προσδεῖναι καὶ μύθος γλυκύτητα εἰς ψυχᾶγωγίαν. Quia nuda illa docendi ratio squalidior est molestiorque, ac facile satietatem affert, nihil prohibet, quo minus adbibeamus & fabulae dulcedinem, ad ducendos persuadendosque hominum animos. Et ita quidem dissimulata veritate, fabulis figmentisque haud raro vsi sunt poetæ, hoc tibi datum maxime putantes, vt imaginibus eiusmodi torpentes animos excitarent, suauiterque permulcerent, raperentque vel inuitos in suam sententiam. Ita autem quod fingitur, vt alterius imaginem exhibeat, fabula appellatur, vnde ab Aphthonio describitur, ἢ λόγος ψευδῆς εἰκονίζων ἀλήθειαν, sermo falsus veritatem imitans. In quo haud parum dissentire videtur a Cicerone. Is namque fabulam neque veras, neque verosimiles res continere asserit. At si Aphthonio credimus, quod veri imitatione absol-

(1) cap. 1. anomal. (m) vid. Vosjins lib. 1. Instit. poet. c. 11.

soluatur, non poterit non exhibere res haud adeo a vero abhorrentes. Parum tamen abest, quin accedam Ciceroni. Multa enim apud poëtas vnusquisque facile deprehendit, quæ ne minimam quidem veritatis umbram exhibent. Quoties deos deasque belligerantes induxit Homerus? Quod quam ab omni veri specie alienum esset, ipse haud dubie perspexit Virgilius. Namque Homeri vestigia diligenter premens, si ea, quæ de Iutura & Opi refert, demas, hæc quidem in parte eundem imitari noluit. Tam caute sibi prospiciens, nihil secius multa retulit, omnem fidem quæ excedant superentque. Namque naues in nymphas commutatas, ex Polydori cadauere effloruisse virgulta, aureumque ramum ex arbore progerminasse, quis non supra naturæ modum viresque reputet? Ergone fabulæ leges in hisce neglexerunt vatum longe præstantissimi? Istud quidem asserendum, Aphthonii si nobis standum est decretis. Hoc autem non difficulter a nobis impetrauerit, si Aristotelis etiam auctoritate sententiam suam muniuerit, qui fabulam *πραξιων μιμησιν*, actionum imitationem appellat. Hinc ergo vt expediamur, non iisdem limitibus apud omnes auctores hanc vocem circumscribi, arbitror. Hosce enim qui coarctant, ultra veri speciem vt quid afferatur, non

permittunt. At non adeo id attendunt alii, præsertim ipsi poëtae, qui leges hasce migrare, religioni sibi non ducunt. Quare Aphthonii & Aristotelis nunc insistere vestigiis placet, fabulamque describere, quod sit figmentum verosimile, actionum humanarum aliarumque rerum imaginem referens, ad altiora sapientiæ capita occultanda animosque rudes populi varia doctrina imbuendos. Huic autem delineationi si quæ minus in decantatis poëtarum fabulis conveniant, laxiori illa Ciceronis acceptione in subsidium vocata veniam promerebuntur.

§. V. Nunc recto tramite ad arcanos effati Aristotelici sensus pandendos contendamus. Sapientiæ veritatisque cultorem a studio fabularum non adeo alienum quandoque esse pronunciat. Idque non sine graui causa adductus asserit. Philosophis enim, ut Socrates quoque ait *apud Platonem in Theæteto*, hoc maxime conuenit, ut admirentur. Hinc sapientiam omnem profluxisse, contendit Stagirita. Initio quidem res minimæ & scitu haud adeo difficiles in admirationem rapiebant mortalium animos. Mox cum hæc indagassent, reconditorum effectuum pulcritudo eosdem sollicitos anxiosque tenebat. Tandem eo usque adducti sunt, illorum cognitioni aut

dis-

disquisitioni nihil facile vt sese subtraheret. Eiusmodi admirandi & solícite inquirendi argumentum pariter ac occasionem cum fabulæ quoque, vtique non aniles, ne risu quidem, multo minus admiratione, dignæ, sed a viris sapientibus excogitatæ, præbeant, philosophum quodammodo *Φιλόμυθον* esse, concludit. Hanc eius mentem esse, & ipse verborum ordo ac nexus docet, & suo insuper calculo comprobatur Petrus Fonseca Lusitanus ⁿ, haud infelix eius interpretis. Poëtarum enim figmenta ideo a philosopho negligenda non esse, ex mente Aristotelis aserit: *quia admiranda quadam, quæ ab illis narrantur, philosophum excitant ad querendas abditas rerum causas.*

§. VI. Vtique excitare philosophum poëtarum fabulæ ad inuestiganda rerum arcana debent. Nec enim vllibi vberior latiorque illorum seges efflorescit, quam apud Castalium fontem. Quare & hoc pacto sapienter sententiam ab Aristotele latam, philosophumque *Φιλόμυθον* appellatum esse, arbitror. Fabulas enim ad occultanda philosophorum scita adhibitas fuisse ex ipsis quoque Græcis scriptoribus, nemo tam inficetus est, qui inficietur. Nec puto luculentius quemquam hoc exposuisse Dionysio Halicarnassensi ^a quem prolixius verba facien-

D 3

(n) in comment. in l. 1, metaph. Arist. c. 11. (o) lib. 1. antiquit.

cientem audire, operæ pretium esse, arbitror: Καὶ μηδεὶς ὑπολάβοι, μὲ ἀγνοεῖν, ὅτι τῶν ἑλληνικῶν μύθων εἰσὶ τινες ἀνθρώποις χρήσιμοι, οἱ μὲν ἐπιδεδυμένοι τὰ τῶν φύσεων ἔργα δι' ἀλληγορίας, οἱ δὲ παραμυθίας ἕνεκα συγκείμενοι τῶν ἀθροιστῶν συμφορῶν, οἱ δὲ τιτραχὰς ἐξασημένοι ψυχῆς, καὶ δαίματα καὶ δόξας κατατρῦντες ἔχ' ὑγιεῖς, οἱ δὲ ἄλλης τινος ἕνεκα συμπλαθέντες ὠφελείας. Neque mihi obscurum esse, quis existimet, quod e Græcis fabulis hominibus nonnullæ sunt præutiles; aliæ siquidem sunt, quæ nature operæ sub allegoriis contineantur: aliæ humanarum calamitatum habent rationem: aliæ terrores animarumque perturbationes a nobis depellunt, opinionæque parum honestas destrunt, aliæ alterius cuiuspiam utilitatis causa fuerunt inuenta. Hiscè egregie respondent, quæ Strabo per me edocuit: οἱ παλαῖοι, φιλοσοφίᾳ τινὰ λέγουσιν πρώτην τὴν ποιητικὴν, εἰσαγάγασαν εἰς τὸν βίον ἡμῶν ἐκ νέων, καὶ διδάσκασαν ἔθνη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις. Antiqui dixerunt, poetarum esse primam philosophiam, quæ a prima ætate vitam nostram formet doceatque mores, affectus & actiones. Quare & maxime solenne fuit apud Græcos, ad poetarum ductum teneros animos primis sapientiæ imbuere lineamentis. Et Democritum inde laudat Lucianus, quod fabularum studio ceu præclaro tyrocinio futuræ doctrinæ & sapientiæ præcludere voluerit.

C. VII.

§. VII. Felicem in Græcia fabularum fuisse prouentum, notum adeo est, ut quod artis erat, vniuersæ gentis vitio adscriberetur. Primi tamen fabularum natales frustra hic quærantur, multo minus occultatæ artificiose sapientiæ gloria ad eosdem redundabit. Quemadmodum enim ipsam philosophiam cultumque deorum, & quidquid elegantiae ac nitore laudem apud posteros illis conciliauit, Aegyptiis debent, ita dubium non est, quin iidem exemplo præuenerint Græcis, fabularum atque ænigmatum inuolucris a sacris hisce mysteriis profanam turbam arcendi. Hunc in finem comparatæ erant Aegyptiorum litteræ, quas Hieroglyphicas appellant. Triplicem quippe characterum apud Aegyptios fuisse rationem, Clemens Alexandrinus q̄ auctor est, ἐπιστολογραφικὴν, ad epistolas scribendas aptam, siue vulgarem, ἱερατικὴν, qua utebantur ἱερογραμματεῖς, qui res sacras memoriæ prodabant, & ἱερογλυφικὴν. Huius iterum duas constituebant species, κυριολογικὴν & συμβολικὴν. Illa per prima elementa, hæc per allégorias, ænigmata, multiplicesque tropos res representabat. Per vltimum hieroglyphicæ litteraturæ modum annum indicabant palma arbore, quod duodecim ramorum productione totidem anni menses ad-

æquare videatur. Hac ratione Leo apud eosdem prudentiæ & vigilantia erat index: hominem semper domi hærentem repræsentabat onocephalus: doctrinam, cælum rorem fundens, eo, quod non quævis per illum molliuntur, sed quorum hæc fert genius, æque ac disciplinæ non quæque in doles capax est.

§. VIII. Mercurium quendam tum Aegyptiorum tum aliarum gentium annales celebrant, cui litteræ tum vulgares, tum Hieroglyphicæ solerter excogitantur, & fideliter posteris traditæ, immortale peperere decus. Quæd Plinius, Cicero, Diodorus Siculus aliique de eodem tradiderint, non referam: Saltem Sanchuniathonem, antiquissimum rerum Phœniciarum scriptorem in partes vocare iuvat, eiusque interpretem Philonem Biblium. Diserte enim hic apud Eusebium: *πρῶτός ἐστι, inquit: τὰ αὐτοῦ ὁ τῶν γραμμάτων τὴν εὐρησιν ἐπινοήσας, καὶ τῶν ὑπομνημάτων γραφῆς κατὰρξας, Θαυμάσιος primus litteras excogitavit, & ad memorie subsidium scribendi auctor fuit.* Per Thotum, Mercurium intelligi, tum aliunde constat, tum etiam diserte tradit Tullius in tertio de natura deorum libro. Mercurii autem
no-

(s) vid. Horapollinis Hieroglyphica p. 6. edit. Damiidis Hæschelii, & alibi. (s) lib. I preparat. euangel. p. 31.

nomine plures fortitudinis aut rerum in-
 ventarum gloria inclitos heroes intelligi, in
 dem Cicero gratis nobis atque locuples tes-
 tis est. Quare operam omnem perdunt,
 de omnibus hisce quod dicitur, qui Mosi,
 diuino viro, accommodare annuntur. Ve-
 hementer in eo laborat Petrus Daniel Hue-
 rius, Abrincensis hodie Episcopus doctissi-
 mus. Quare & quidquid de Thauto, sive
 Aegyptiorum Mercurio vllibi dicitur, illud
 omne de Mose intelligit. Certe suffragari ei-
 dem videtur illud, quod & Aegyptius, & Nilo
 patre genitus asseratur Mercurius apud Cr-
 éronem pariter atque Clementem, haud ob-
 scuro indicio, Mosén innui, qui in Aegypto
 natus est, & infans Nili aquis impositus, in-
 deque a Termutide filia Pharaonis extra-
 ctus. Haud equidem inficior, multa con-
 cinne ab auctore huic instituto esse attem-
 perata. Certiora tamen ex temporum soler-
 ti & profunda supputatione afferre videtur
 Io. Marshamus v. Thotus itaque, qui &
 Athotes apud veteres audit, Rex Aegypti
 fuit. Et quidem in dynastia Thebanorum
 comparet, vixitque secundum Eratosthe-
 nem, si rationes subducas, eo circiter æuo,
 quo Heber, vnde Hebræi nomen ducunt,
 inter mortales commoratus est. Hæc cum
 D S ita

(t) in demonstr. Euangel. Propos. IV p. 106. (v) in
 canon. chron. p. 34.

ita sint, Mose longe antiquiorem Mercurium fuisse, oportet, & actiones vtriusque non sine errore aut fraude inter se miscentur. Fruatur ergo Thautus ille, siue Mercurius, quisquis demum fuerit, certe Aegyptius fuit, litterarum disciplinarumque inuentarum gloria. Namque non tantum vulgares, sed & hieroglyphicas, de quibus maxime solliciti sumus, a Mercurio isto excogitatas esse, ex Sanchuniathonis nos itidem Eusebius edocuit: *Thautus*, inquit, *Deus, cuius libri expressit & deorum vultus, Saturnini atque Dagonis, aliorumque sacros elementarum characteres effinxit* &c. Accedit, quod hieroglyphicarum litterarum apud Aegyptios cum reliquis scientiis artibusque vna eademque fuerit origo. Testis est Lucanus: *

Nondum flumineas Memphis contexere Biblos

Nonerat, & saxis tantum volucresque feraeque

Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Plura ad conciliandam rei huic fidem afferrem, nisi haec sacra iam ab aliis reuelata essent, praesertim iis, qui hieroglyphicas Aegyptiorum imagines magno congesserunt studio. Inter quos praeter Horapollinem eminent Pierius Valerianus, & ex veteribus Iamblichus, qui peculiari libro de mysteriis Aegyptiorum egit, & praeterea de mystica Aegyptiorum theologia librum composuit, quem

(x) lib. III v. 22, 25.

quem in Holsteiniana Bibliotheca asseruari accepimus. Denique Athanasii Kircheri Oedipus Aegyptiacus hic locum inuenit.

§. IX. *Aegyptiis* fortassis dubiam fecerint palmam *Hebraei*, si vt antiquitate illis non cedunt, ita more arcanam disciplinam occultandi in idem gloriae atque laudis confortium essent admittendi. Nec ea de re dubium foret, recentiorum quorundam de arte, vt vocant, Kabbalistica commenta suo calculo si comprobaret antiquitas. Hac ipsa enim ceu inuolucris quibusdam, arcana doctrinae reconditae capita exhibita & propagata fuisse tradunt, ne nude ita proposita dimanarent in vulgus, pemitusque euilescerent. Quorsum pertinent ea, quae Io. Reuchlinus bonarum in Germania, quondam litterarum egregius vindex, in tribus de arte Kabbalistica libris prolixius diseruit. Hunc vero morem omnibus illis, qui christiana sacra amplectuntur, imitandum esse, inepte prorsus suavit Wilhelmus Alabastrus y. Caeterum cum de veteri Kabbala seculi multi sentiant, quam recentiores Hebraei faciunt, vberioreque sacrarum litterarum interpretationem oretenus a Mose ad seros vsque nepotes deriuatam ita appellatam fuisse sibi persuadeant, vix est, quod hic in censum veniat. Fabulas autem

(y) in app. in reuel. Iesu Christi.

tem veritatisque per eas occultationem ab hac gente non adeo alienam fuisse, vel inde liquet, quod plerisque orientis populis solenne fuerit, parabolis pariter atque apologis, qui ad fabulas proxime accedunt, præcipua doctrinæ capita inuoluere, & ita propinare populo. Hunc morem ipse quoque non migrauit seruator noster, quod utique gentis Syriacæ consuetudini tribuere non dubitauit Hieronymus 2. Indeque illam Ebræorum recentiorum consuetudinem fluxisse, arbitror, crassioribus quandoque commentis sibi ipsis ablandiendi. Parum omnino Io. Gersonem aliosque ab inuitia abesse arbitror, secus, quam dictum est, dum hæc Ebræorum effata capiunt, magnorumque mendaciorum eosdem reos agere nulli dubitant. Documento ista sint, quæ de Behemoth, ut vocant, atque Leuiathan comminiscuntur. Eo usque vesaniæ peruenire quenquam potuisse, talia ut crederet, quis est, ut sibi persuadeat? Præsertim cum corporales delicias a beatissimo cœlitum cœtu serio abesse velint veteris instrumenti, quod magna veneratione Ebræi amplectuntur, libri. Quare lepido figmento gaudia mentis innocentissimasque voluptates, quibus perfunduntur post hanc vitam, qui scelerum expertes, morumque integritate præceteris

(2) in cap. XVIII Matth. p. 614.

ris eminentes ad felicissimas istas sanctorum sedes transferuntur, adumbrarunt. hanc mentem sententiamque illorum esse, & ipse euicit Vorstius ^a, & recentiorum quoque Ebræorum comprobauit documentis, quos inter excelsit Salomo Bar Salomo ^b, R. Lipmann ^c, & Ioseph Albo ^d. Pari ratione de *decem Regibus* quæ tradunt iidem, quorum imperio vniuersus orbis fuerit obnoxius, per modum parabolæ interpretatur Don Isaac Abarbanel, exemplo nobis simul viam monstrans hasce fabulas commode interpretandi ^e.

§. X. Ab Aegyptiis primum in omnes orientis, mox totius orbis populos consuetudo ista sapientiam occultandi dimanauit. Nullibi tamen, vt puto, luculentius ritus huius vestigia permanferunt, quam apud Chineses, quorum Characteres symbolici, quibus hodiernum vtuntur non tumultuarie instituti, sed ingeniose excogitati sunt, adeo, vt argute rem quandam repræsentent, elegantissimisque imaginibus naturam ipsam adumbrent. Docent hoc Athanasius Kircherus ^f & qui accuratius longe in hoc argumento versatus est Andreas Müllerus

(a) not. *Eliezeris ad Pirke*. (b) in *Beth Israel* f. 83, & 84. (c) in *Nizzachon ad Iob*. c. 40, v. 20. (d) in libro de articulis fidei tract. 4. c. 10. (e) *Plura vid. apud Vorstium l. c.* (f) in *China illustrata part. III. cap. II & III.*

lerus f. Reliquæ tamen gentes non tam characteribus, quam aliis imaginibus eundem in finem excogitatis vsi sunt. Plerisque sane placuerunt fabulæ, quibus longe iucundius & minus operose idem obtinerent. Namque & Arabes iisdem perquam fuisse delectatos, Locmannus iste toto oriente celebratissimus, æque ac Æsopus summus in hoc genere & peritus artifex, suo exemplo testantur. Erpenius autem, qui Locmanni fabulas luci publicæ exposuit, auctor mihi est, nullam facile gentem commentis eiusmodi magis deditam esse, quam Arabes, quippe quibus aromatis suavisissimi atque condimenti instar sint, quo austera sapientiæ præcepta temperent, animosque plebeiorum hominum ita delinitos, recti & honesti sensu imbuant. Quid nunc Persas memorem, quorum omnis de diuinis pariter, atque humanis rebus doctrina fabulis fuit circumsepta? Syrus quidam imperii huius conditor, apud Herodotum apologo vitur, cum Ionum Aeolorumque oratoribus respondet. Taceo, quæ de Zoroastre, aliisque Persicæ sapientiæ monumentis vulgo circumferuntur. Ceterum intercedebant illis crebra cum gentibus septentrionalem Europæ plagam incolentibus commercia, ut adeo haud inuitus illorum subscribam sententiæ, qui

(g) *in variis commentationibus huc spectantibus.*

qui inde ad Gothos veteresque Sueonas idem institutum profluxisse autumant. Grauis mihi huius sententiæ auctor est Io. Loccenius in *antiquitatibus Sueco - Gothicis* h. Namque præterquam quod sapientiæ præceptis iuxta Zamolxis, hominis Pythagoræi disciplinam imbuti erant, artibusque ingenuis operam dabant, apologis cumprimis ænigmatibusque & prouerbiis utebantur. De Gothrico Roluone, Alarico & Theodorico, Gothorum regibus exempla Loccenius affert ingenii non minus acumine, quam iudicii seueritate valde illustria. Quare non possum non assentiri Petro Danieli Huetio, qui in libro *de origine fabularum Romanensium* erudite euicit, non hodie demum, aut nudius tertius fabulas, vt vocant, Romanenses exortas esse, sed hoc plerarumque gentium, quæ inficetos barbarosque mores exuerant, institutum esse longè antiquissimum, commentis eiusmodi amatoribus, vt ancipites inconstantis fortunæ casus adumbrarent, simulque sapientissimis monitis teneros iuuenum animos fingerent formarantque ad omnem honestatem. Namque apud cunctos orientis populos hoc perquam solenne fuisse, indeque ad Græcos, hinc tandem ad Francos fluxisse autumat, quibus institutum istud adeo non displicuit, nulli-

bi

(h) pag. 75.

Di ut maiori industria in id incubuerint, adeo, ut reliquis etiam gentibus hodiernum dubiam facere palmam videantur. Ceterum hosce fabularum Romanensium scriptores poëtis nonnulli accensebant. Certe hoc cum illis habent commune, ingeniosis commentis veritatem ut lepide tegant. Quo nomine quoque Lucianum, Heliodorum, Apuleium & Martianum Capellam inter poëtas referre non dubitat cum Francisco Robertello, Delrio i. Testis quoque est ipse Athenæus k, qui ex Clearchi ἔρωτικῶν libro secundo refert: καὶ τὰ Ἰσωποδόρου περὶ τὸν ἔρωτα, καὶ πᾶν τὸ τῶν ἔρωτικῶν ἐπιστολῶν γένος, γένος ἔρωτικῆς τιμῆς διαλόγου ποιήσεώς ἐστι. Et ea, quæ scripsit Asopodorus de cupidine, omnes in totum amatoria epistola, genus quoddam sunt amatoria poëseos in oratione soluta. Hisce autem an adstipuletur Aristoteles, agnoscatque poëma aliquod ἄμετρον, haud temere diiudicauerim: sed disceptant ea de re alii, speciatim Scipio Gentilis l atque Isaacus Casaubonus m.

§. XI. Græcorum ergo pariter ac Romanorum vates quo loco sint habendi, ut nunc disceptetur, par est. Certe cum ubique gentium ille, quem dixi, fabularum usus increbuerit, hisce eundem aut ignotum, aut non usurpatum esse, quis sibi per-

(1) lib. de τραγωδία cap. 11. (k) lib. XIV. Dipnos. (l) l. 2. parerg. (m) l. 2. de Satyr. cap. ult.

suadeat? Homerus Aegyptum adiit, indeque ingenium tam fabulosum retulit, vt non tantum principem inter vates obtineret locum, sed etiam in Aegypto natus a nonnullis crederetur. Quare hisce moribus imbutum fabularum quoque inuolucris recondita doctrinae suae capita eum occultasse, a vero neutiquam abhorret. Non istud mihi sumo, vt omnes poetarum fabulas laudibus eueham, aut etiam ceu abstrusae sapientiae templa adorem. Praeceptum hoc esset atque temerarium; tantumque abest, vt hoc asseram, vt potius haud inuitus fatear, inepte quaedam atque improbe illis dicta, non tam tegere, quam euertere, non tam occultare, quam eradicare & euellere, veritatem pariter ac sapientiam. Prudenter Tertullianus: *Quis non poeta dedecorator inuenitur deorum?* Quis non aut indignetur aut rideat, quod Deos, cum in Aegyptum sese reciperent, a Typhone gigante prope modum oppressos fingant, eiusque formidine percussos bestiarum induisse formas, Apollinemque gruis, Mercurium ibis, & Dianam felis sumfisse speciem. Ferat hic sententiam ipse Aristoteles. Namque iam pridem indigne tulit, tam inepte multa de diis poetas locutos esse. Vnde de illis pronunciauit, πολλὰ ψεύδονται,
E mul-

(n) *adu. gentes cap. 14.*

multa mentiuntur. Aegre istud quoque tulit Dionysius Longinus, nihil magis a ratione alienum esse arbitrans, quam quod deorum seditiones, pœnas, lacrymas & vulnera retulerit Homerus. Mea nunc parum refert, quacunq̄ tandem ratione migratæ honestatis veniam impetrent vates: genione vulgi hæc attemperauerint, an deorum non repugnare naturæ crediderint. Certe pœnam luant maleque audiant, quantum per me licet, apud posteros ferosque nepotes. Saltem istud contendo, sæpius in illis, quæ ἀτόπως dicta alii arbitrantur, sapientissimas vitæ humanæ aut prudentiæ ciuilibus præceptiones contineri. Non erat utique, vt poëtas ingentis criminis ob excogitatam Typhonis fabulam aliquis accusaret. Fateor, horridum aliquid & cum ratione pugnans, corticem si lambas, præ se ferre videtur. Penitus si rem inspicias, aut me omnia fallunt, aut certe elegantissima hac imagine rebellionis naturam adumbrare voluerunt. Reges enim subditis, vt Iupiter Iunoni, arcto quasi matrimonii vinculo iuncti sunt; sibi ergo quoties indulgent reges, cuncta ad se rapientes, Iouem imitari videntur, quem sine coniugis ope intempestiuam edidisse prolem fabulantur poëtæ. Iunonis partes sequuntur subditi, æmulationeque accensi, & ipsi aliquid

EX

ex se gignunt, monstrumque haud raro luci exponunt. Hinc Typhonis ortus. Hinc ille gigas. Quem insita rerum prauitas & peruersa indoles ceu serpens, vt fabula porro docet, alit nutritque. Postquam adoleuit infausta soboles, quid aliud regibus, quem extrema speranda est perniciēs? Iam rebellio eadem profecto imagine prodit, qua Typhon refertur a poëtis: Ora flammantia incendia innunt; anguium cingula, ferrezque manus, diras neces & truculentas cædes, aquilinis vnguibus nefandæ adumbrantur rapinæ. Succumbit tandem Iupiter peregrinasque lustrare oras cogitur. Eiicit reges & in exilium pellit insanus impotensque subditorum furor, concisis nervis, omnique adempta ope, qua regium tueri decus poterant. Mercurium tandem opem tulisse Ioui comminiscuntur poëta, vfu rerum & experientia edocti, in rebus perditis ac profligatis prudentiæ tandem ac eloquentiæ esse locum, qua mulcentur asperi & irritati animi, sauciis atque prostratis medela affertur, cuncta denique restituntur, vt dissipetur tandem maleuolorum hominum cohors, pristinaque dignitas & ciuium fauor principi restituatur. Quare hanc ipsam fabulam, quæ inepta proflus & absona videtur, suo tamen non distitui nucleo, palam est. Vapulent ergo sapientis-

fimi mortalium, liberius quod de diis quædam protulerint. At inde sapientiæ laude eos priuare prorsus nolim. Hoc vero dum assero, neutiquam omnes fabulas eiusdem commatis esse contendo. Hercle quædam ita comparatæ sunt, vt per otium saltem excogitatæ videantur, conditorisque sui vanitatem haud obscure prodant. Præcipuas tamen, & maxime celebres si in hunc redigere ordinem, & ex paucioribus omnium metiri naturam si quis velit, parum abest, quin inter discipulorum cathedras eum plorare iubeant doctissimi viri, qui in hisce poëtarum commentis veteris sapientiæ vestigia haud infeliciter deprehenderunt. Inter quos eminent Fabius Planciades Fulgentius, & Ioannes Bocatius, quorum ille *libros tres mythologiarum*, hic *libros XV. de genealogia Deorum* edidit. Maxime vero *Natalis Comes* o pleraque philosophorum hinc exsculpere dogmata conatus est, cui accessit Franc. Baco de Verulamio p.

§. XII. Hic vero alios secus sentire video, originesque fabularum non tam ad sapientiæ cuiusdam occultationem, quam ad antiquissimorum temporum historiam referre. Sane plerique ecclesiæ Græcæ antiqui doctores, qui in hoc campo ingenii exercere

(o) *lib. mytholog.* (p) *in lib. de Sapientia veterum, qui extat in operibus eius p. 1248.*

cuere vires, primos Aegyptiorum Assyriorumque reges per Gentilium deos adumbratos, indeque omnem mythologiam enatam fuisse autumant. Ita Cedrenus q, & auctor Chronici Alexandrini, itemque Athanasius Kircherus r sentiunt. Etenim, vt Plinius s ait, *hic est antiquissimus referendi bene merentibus gratiam mos, vt tales Numinibus adscribamus.* Ita prorsus obtinuit, vt qui ingenti beneficio mortalium sibi deuinxissent animos, diuini deinceps illis deferrentur honores, his hostiæ caderent, templa erigerentur, horumque thure & precibus placaretur ira, delictorumque ab iis impetraretur venia. Quod itaque initio obseruantix & grati animi erat documentum, mox in superstitionis disciplinam abiit, magnisque erroribus & infinitis fabulis occasionem suppeditauit. Hunc omnino in modum sub Iouis imagine Chamum Noachi filium, cui Aegyptus hæreditario iure obtigit, latitare autumant: idemque esse dicitur cum eo, qui ceteroquin *Menes* appellatur. Namque iuxta Eratosthenem *Menes ἐμηνύσται διόνι* Ⓞ, exponitur Iouius. Præterea iuxta Herodotum *Ἀμμὼν Ἀγυύπτιας καλέεσσι ἢ Δία*, Aegyptii Iouem appellant *Amnum*; Cui accedit Plutarchus in *Iside: ἰδίου*

E 3 1

παρ

(q) in compendio historico. (r) in *Oedip. Aegyptiaco* t. 1. *Syntagm.* l. c. 10. (s) lib. II. *H. N.* c. 17.

παρ' Αιγυπτίοις ὄνομα ἔστι Διὸς εἶναι τὸν Ἀμμῶν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν. *Proprium apud Aegyptios Iouis nomen esse Hammun; unde Graeci Ammonem deducunt.* Ex quibus liquere arbitrantur, per Iouem nullum alium, quam Chamum, primum Aegypti regem esse intelligendum, praesertim cum ab hac sententia non alienus videatur esse Sanchuniaton, Phoeniciae sapientiae antiquissimus scriptor apud Eusebium τ. Accedit, quod teste Samuele Bocharto *circa initium Geographiae sacrae* omnes fabularum interpretes in eo conueniant, per Saturnum representari Noachum. Cui egregie consentit istud, quod de Chamo tradunt, quippe cum Iouem Saturni filium esse iuxta poetarum disciplinam neminem fugiat. Alii aliter rationes subducunt & Chamum Saturni imagine occultari asserunt, Misraimum Iouis. Horum successores, qui & ipsi in Aegypto dominati sunt, Mercurii, Vulcani, ceterorumque deorum tulisse nomina. At cum eadem facilitate ad alia regna haec accommodari queant, non est, ut veritatis indagator in hoc acquiescat. Nonne eadem veri specie ab aliis asseritur, per Saturnum Nimrodum, eius filium per Iouem, nepotem, denique per Mercurium adumbrari? Omne
ita-

(τ) *add. Boissardus de diuinat. & Io. Freinsdemiuss ad lib. IV. Curtii cap. VII.*

itaque præsidium in nominum quadam affinitate collocatur, quod fundamentum lubricum adeo est, vt non facilius decipiantur, quam qui huic innituntur. Fatentur tandem ipsi, qui hanc sententiam tulerunt, perplexa hæc omnia atque ambigua esse, nihil certi vt definiri queat. Si vero ex historia antiqua omnia petita sunt, quidni accedamus Olao Rudbekio, qui in *Atlantica sua*, Sueciam deorum omnium atque dearum patriam esse, asserere non dubitauit? Hercle non minori dexteritate atque ingenio Iouis, Saturni, Mineræ, Veneris, & quidquid deorum commenta est fabulosa gentilitas, natales ad Sueciam retulit, quam alii ad Aegyptum referre consueuerunt. Quare ita arbitror, in quibusdam fabulis fortassis antiquæ historiæ aut Aegyptiæ, aut Assyriæ, aut alterius rudera latitare, memoriamque multa caligine inuolutam circumferre; omnia tamen si huc rapiantur, sapientiæque occultatio hinc prorsus excludatur, verendum est, ne veterum sententiæ prorsus pervertantur.

§. XIII. Nec desunt, qui augustius quidam sub hisce fabularum inuolucris latitare suspicantur, historiæque sacre rudera virorumque in diuinis litteris celebratorum imagines hinc exsculpere annituntur. Adonidis horti nihil aliud illis sunt, quam pa-

radifus, summæ felicitatis sedes, primis parentibus destinata v. Præterea per Saturnum Adamum, per Iouem Cainum, Abelem per Prometheum repræsentari autumant. Maiori adhuc diligentia in eo versatus est Petrus Daniel Huetius x, qui singulas fabularum minutias ex sacra deriuare historia non dubitauit. Nec vero infrequens aut insolitum esse existimat, vt vir quidam meritis & rerum gestarum gloria inclitus diuerso sæpius habitu apud fabularum artifices prodeat. Namque ex variis de Mose commentis vel integrum deorum exercitum enatum esse arbitratur. Eius sane imaginem referunt, si *Huetio* credimus, *Aeacus*, *Aesculapius*, *Amphion*, *Amphibis*, *Apis*, *Apollo*, *Aristæus*, *Bacchus*, *Cecrops*, *Euander*, *Eumolpus*, *Faunus*, *Ianus*, *Linus*, *Martas*, *Mercurius*, *Minos*, *Mnæxis*, *Orpheus*, *Osiris*, *Pan*, *Perseus*, *Priapus*, *Prometheus*, *Rhadamanthus*, *Serapis*, *Sylvanus*, *Tiresias*, *Typhon*, *Vertumnus*, *Vulcanus* &c. Namque cum apud Aegyptios, gentem superstitioni deditam, illustre fuerit nomen, haud adeo mirum esse arbitratur, si in deorum numerum fuerit relatus, & ob varia egregiaque facinora quæ haud difficulter diuinitatis ei conciliare opinionem

(v) *conf. auctor obseruat. in Natal. Comitem voc. Adonis.* (x) *in demonstrat. euangel. propos. IV.*

nem poterant, variis quoque subinde condecoratus fuerit nominibus. Auxit hæc omnia Græcia mendax & multiplici euentorum figmento pro consuetudine exornauit, postquam ab Aegyptiis ista acceperant. Neque vero a sententia dimouetur ideo, quod Sam. Bochartus obiiciat, verosimile non esse, Mosen Aegyptiis pariter ac Phœnicibus inuisum, pro Deo benefico ab illis fuisse habitum. Namque hunc ipsum timorem, quem Aegyptiis incusfit Moses, religiosum quoque illis expressisse cultum, vel illud poëtæ comprobat: *Primus in orbe Deos fecit timor*. Testis huius est Cyrillus *y*, qui virtutem Mosis & sapientiam summæ apud Aegyptios admirationi fuisse, non semel asseuerat. Istudque verum adeo est, vt Iustinus Martyr *z* auctor sit, quosdam ex Aegyptiis Dei nomine affecisse Mosen. Quibus accedit Iosephus *a*, Mosen ab Aegyptiis ita diuinum credi, referens, vt eum sibi vindicent, & Heliopoliten fuisse fingant. Nec ipse diffiteor, magnum & perquam celebre apud Aegyptios Mosis fuisse nomen. an vero hæc omnia eumcant, quod cupit, Huetius, dubito. Certe præceps atque lubricum ingreditur iter, qui per ambiguas

E 5

atque

(y) lib. I & II contra Iulianum. (z) in Paranesi.
 (a) lib. I contra Appionem & antiq. lib. III cap. XIII.

atque incertas coniectandi rationes ex nominum quadam affinitate, & facinorum similitudine, certi quid & indubitati elicere conatur. Vtique dimanasse quasdam historiarum sacrarum partes ad gentiles, fabulisque & commentis suppeditasse ansam, iam ante Huetium aliis comprobatum est. At corradere omnia, vel inuita potius quocunque modo ad rerum sacrarum adumbrationem trahere, id quidem eiusmodi est, ut paucorum consensum impetrare queat, praesertim cum vnam eandemque fabulam ad diuersas personas referat, luculento inconstantiae & incertitudinis documento.

§. XIV. Piget tædetque aliorum afferre sententias. Plerosque enim video hic argutias ferere & sibi ipsis flexus disponere, quos cum magna molestia relegere debeant. Nec vero hi ipsi, qui sueta via sapere fastidiunt, magnopere proficiunt: cum ad hanc pariter atque aliam gentem facile detorqueantur poetarum figmenta. Quare ita arbitror, Aegyptiorum aut Ebraeorum, vel etiam aliarum gentium heroas quibusdam fabulis ansam praebuisse, quas tamen alio prorsus instituto ad sapientiam occultandam transtulerunt vates. Quod enim ceteroquin laboris habuissent pretium? Quid Graecos Latinosque commouisset, Aegyptiorum, de quorum participare gloria non

pote-

poterant, heroum laudes carmine celebra-
 re? Quare vtut vtrique parti aliquid lar-
 giar, istud tamen, quod asserui, a veritate
 non abhorrere, variis insuper documentis
 adstrui potest. Nullam quippe philoso-
 phiæ existimo esse partem, in quam non
 ex pëtarum fabulis redundet emolumen-
 tum. Quin philosophiam ipsam, si Verula-
 mio credimus, per Orpheum adumbratam
 voluerunt veteres. Hinc & diuinarum pa-
 riter ac humanarum rerum peritissimum,
 eundem fuisse, Clemens Alexandrinus au-
 ctor est. Duplicem quippe Orphei fuisse
 cantionem fingebant. Alia ad placandos
 manes, alia iterum ad trahendas syluas fe-
 rasque vsus est. Illa naturalem, hæc mora-
 lem ciuilemque philosophiam refert. Prio-
 ris quidem, quod arduum esset & difficile
 ex inferis protrahere coniugem, non adeo
 magnum tulit fructum. Namque naturæ
 mysteria adeo recondita sunt, vt non sine in-
 genti labore inuestigari queant, quærenti-
 umque haud raro frustrentur labores. Feli-
 ciores contra successus habet illa sapientiæ
 pars, quæ mores hominum format iustique
 & honesti limites constituit. Hac ipsa ceu
 Orphei lyra persuasi homines in vnum
 coëunt, societatesque colunt. Hæc legum
 accipere iuga docet, & imperiis sese sub-
 mittere. Hæc indomitis affectibus frena in-
 iicit,

licit, dum præceptis & disciplinæ auscultant & obtemperant. Hæc in vnam urbem congregavit ciues, ædificiorum exstructorum omnisque cultus gloriæ vt ei debeatur, iamque lapides & sylvas haud immerito Orphei cantu in alias translata sedes credantur.

§. XV. Ire per singula tædiosum foret. Vnum alterumue delibare satis est. Namque ne nobilissimam quidem philosophiæ partem, quæ Numinis naturam interpretatur, hominesque ipsius veneratione replet, omnis fructus hic expertem esse arbitror. Diuina enim tractare adeo solenne poëtis fuit, vt theologorum nomine præ ceteris eminenterent. Hi vero licet commentis suis caliginem sæpius affunderent veritati, nihilo fecius, exacte si rem perpendamus, abstrusiora quædam hic sperare licet. Et Græcorum quidem πολυθεότητα, nec non decantatam istam theogoniam nulli magis, quam antiquissimis vatibus deberi, diserte testatur Athenagoras b, suæque sententiæ accenset Herodotum: *Φημι ἔν Ὀρφείᾳ καὶ Ὀμηρον καὶ Ἡσίοδον εἶναι τοῖς ὑπ' αὐτῶν λεγομένοις θεοῖς εὐρετάς*, (ita enim legendum secundum Suffridum Petri) *μαρτυρεῖ δὲ καὶ Ἡρόδοτος. Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὀμηρον ἠλικίην τετρακοσίοις ἔτεσι δοκέω πρὸς βυτέρης ἐμῶ γενέσθαι καὶ ὑπλείοσι,*
τῆς

(b) *apolog. pro Christianis pag. 129.*

τὰς ἢ γένη ἢ ὀνόματα δόντας. Dico igitur Or-
 pbeum & Homerum & Hesiodum auctores illis es-
 se Diis, qui ab ipsis nominantur. Quod testatur &
 Herodotus. Hesiodum enim & Homerum atate
 quadringentis annis arbitror me antiquiores exti-
 tisse, & non pluribus. Hi autem sunt, qui deorum
 generationem Græcis conscripserunt & nomina Dis
 dederunt. Quis autem crederet, saltem ad-
 ducendum populum ad grauisimos erro-
 res, hasce deorum generationes a viris istis
 fuisse excogitatas? Quare aut me omnia
 fallunt, aut etiam multiplices innumeras-
 que Numinis virtutes ita exprimere volue-
 runt, vt cum mens mortalium eo vsque
 non exfurgat, omnesque potentia senten-
 tiaque diuinæ modos complectatur, hac ma-
 xime ipsius consulatur infirmitati. Equi-
 dem non poterant non grauisimi inde na-
 fci errores, præsertim cum nucleo misso cir-
 ca corticem hæreret hominum cognitio, at-
 que detestandam indueret superstitionem.
 Hæc vero eo vsque progressa est, vt infeliciter
 conatus ille cesserit Socrati, quo, si Iustino Mar-
 tyri credimus, remouere hæc inuolucra, Numi-
 nisque vnius summam perfectionem hisce fa-
 bulis occultatam populo demonstrare vo-
 luit. Quare & Libanius Sophista, infausti
 alumni Iuliani & παραβάτης pessimus do-
 ctor, ita Christianorum eludere tela didice-
 rat, quibus Gentilium impugnabant πολυ-
 θεότητα, & stultitiæ accusabant. Etenim
 myste-

mysteria, quæ sub hisce latebant fabulis, non percipi satis a purioris cultus propugnatoribus homo irrisor, & suæ impietati applaudens, regerebat. Hæc enim si demantur, nihil a ratione alienum, a Gentilibus traditum fuisse autumavit. Quæ licet vel maxime ita sint, migratæ pietatis crimine Ethnicos non leuant; talia cum de Dîs crediderint, quæ etiam de homine asserere nefas est. Eleganter diras hasce Iuliani calumnias refellit Gregorius Nazianzenus c: *Rerum divinarum ne indicationes quidem ipsas externasque species inhonestas esse, convenire, rebusque significatis indignas, aut denique tales, ut homines quoque ipsi eas de se predicari permolestè laturi essent: Verum aut maximam omnino pulcritudinem habere, aut certe a summa turpitudine abesse, ut partim eruditiores oblectent, partim vulgi animos minime labefactent.*

§. XVI. Scientiam naturalem a fabularum artificibus neglectam non esse, tanto minus dubitandum, quanto maiori industria ingenii vires in hoc campo exercuerent. Haud infeliciter Natalis Comes, præsertim in libro decimo naturæ vires ita absconditas denuo recludit nobis atque ex veterum sententia exhibuit. Nec luculentiorrem aut ingeniosiorrem naturæ imaginem quidquam, quam Pan iste Arcadiæ, ut pu-

tant,

(c) *orat. III contra Iulianum.*

tant, Deus refert. Vnde nec mirum, quod teste Macrobio a multa cum sole communia habeat. Huius enim quænam vires in naturæ operibus præducendis sint, neminem, nisi omnium rerum ignarum, fugit. Documento istud fit, quod cum Cupidine hunc Deum colluctatum referant, & ab eodem victum, quia amorem & litigium rerum omnium principia crediderunt nonnulli veterum philosophorum. Nec profecto ex Empedoclis, Anaxagoræ aliorumque sententia rerum omnium ortum melius adumbrare poterant poëtæ. Quin ex recentioribus Thomas Burnetius e, qui in incrustandis veterum commentis magnam aucupatur gloriam, suo attemperare instituto quidquid apud veteres de amore, ceu rerum omnium principio legitur, conatur. Duplicem enim significationem apud antiquos hanc vocem induere autumat. Namque vel efficienter, inquit, vel materialiter sumitur. Priori modo si istam vocem capias, quandoque idem erit, ac mens, siue iuxta sacrarum litterarum tenorem, Spiritus diuinus. Vnde in Orphicis legitur:

πολύμητιν ἔρωτα
ὅσα τ' ἔφυκεν ἅπαντα, διέκρινε δ' ἄλλον
ἀπ' ἄλλοις.

Ete-

(d) *lib. I Saturnalium.* (e) *in theoria telluris lib. II cap. VII.*

Etenim quod 'amori hic tribuitur, omnia, ut discernat ordinetque, id ab Anaxagora vindicabatur Menti, iuxta decantatum illius effatum: Πάντα χεήματα ἦν ὁμῶς πέφυραμένα, ὁ νῦν δὲ αὐτὰ διήρε, καὶ διεκόσμησε καὶ ἐκ τῆ ἀταξίας ἐς τάξιν ἤγαγε. *Cuncta simul erant permixta, at mens ea discreuit ornavitque, & ex confusione in ordinem reduxit.* Quidquid huius sit, nonnulli mentem, amorem & disfidium, alii vero tantum amorem & disfidium omnium rerum constituebant principia, luculento sane indicio, non a vero alienum esse, quod mens atque amor quandoque illis vnum idemque fuerint. Ceterum Burnetius, qui Democriticam philosophandi rationem recentiori ætate, licet diverso habitu iterum in scenam prodeuntem, sequitur, ita hæc ad suas traxit partes, ut tum demum amorem natum asserat, cum massarum, ut vocant, primarum commixtio, & complexus sæcundus incepit. Quamdiu enim massæ a massis se separabant, & quasi ex odio & disfidio se mutuo fugiebant, rerum diuortia faciebant & quandam mundi dissolutionem. Eris obtinuit & inimicitia, non Eros & cupido. Eo usque nullum erat principium vitæ, mundi animati nullum vestigium, neque illud temperamentum elementorum, inde oriri potuit, omnia mortua, effæta, disfidencia, infociata; orta au-

autem elementorum associatione, mundi
 melioris spes emicuit; orbis habitabilis, ani-
 malium, atque omne genus rerum viuenti-
 um, quorum omnium inde prodierunt fe-
 miina atque formæ. Atque hi erant amo-
 ris & Veneris natales. Hæc menti veterum
 congrua esse, ex Plutarcho adstruere alla-
 borat, qui tum *in libro de facie in orbe Luna,*
 tum etiam *de oraculorum defectu* plura hac de
 re affert. Laudat quoque Achillem Tati-
 um, quod diserte afferat, Empedoclem per
 suum *veiv* intellexisse τὴν τῶν στοιχείων ἀτά-
 λυσιν, per τὴν Φιλίαν autem τὴν εὐνοίαν. Hunc
 in finem tres rerum status in principio
 maxime notabiles fuisse autumat. Primo sta-
 tum confusionis, siue Chaos, deinde sta-
 tum separationis & diuisionis, qui & dissi-
 dii dicitur; denique statum commixtionis,
 vnionis & coniunctionis, qui & amoris ap-
 pellitabatur. Poëta itaque hæc representa-
 turi, litigii & amoris fabulis omnia inuolue-
 re consueuerunt. Non equidem istud mi-
 hi sumo, vt in re crepera & obscura senten-
 tiam feram: multo minus illud asseram,
 quod præsidium aliquod in hisce poëta-
 rum fabulis reperiat Burnetius. Hoc ta-
 men nemo facile inficiatus fuerit, Empe-
 doclis & Democriti principia apud anti-
 quos perquam fuisse celebrata. Adeoque
 a vero non omnino abhorret, quod poëta-
 rum

rum de amore commenta ad hæc similiaue sint referenda. Ceterum non infelicius reliqua, quæ de Pane fingunt, ita quisquam fuerit interpretatus. Taceo nunc, quam concinne per Protheum repræsentauerint materiam. Etenim quod omnium rerum induerit species, quid aliud est (liceat enim mihi iuxta philosophorum præscripta loqui) quam quod ad formas omnes recipiendas apta sit materia. Innumeri ipsius greges, rerum naturalium varietatem; futurorum, præsentiumque notitia, ipsam vicissitudinem ex temporis differentia maxime conspicuam denotat; vt nihil omnino in tota fabulæ serie reperiatur, quod non huc quædret.

§. XVII. Iam altera philosophiæ pars, quæ mores hominum format, & republicas dirigit, sua sponte sese nobis offert. Hospitem profecto valde animum ex poëtarum lectione retulit, quem latet, quam saluberrimis monitis instruunt atque ad virtutem ducant Iuuenum animos, quam ingeniosi sint comminiscendi artifices, quoties vitiorum turpitudine, & pulcritudo virtutum est inculcanda. A voluptatibus purum animum seruare decet? Sirenum, vt puto, cantus vnumquemque deterrebit reddetque cautiorem. Hominum se attemperare genio oportet? Iouis ipsius hoc do-

ce.

cebunt exemplo, Iunonis amorem vel sub cuculi specie promerentis. Consilii boni quæ sit efficacia, quæris? In eo te erudiet, Metis. Principum vt possit sibi aliquis conciliare fauorem, Endymionem habes, ab huius exemplo capias, velim, quod tibi pro- fit. Tibi ipsi abblandiris nimium? Profe- cto odio habebis, tecum si reputes, quam infelici euentu propriam pulcritudinem fue- rit miratus Narcissus. Falluntur enim, qui semel interiisse Narcissum autumant. Na- scuntur quotidie, qui eodem laborant mor- bo, quotidie etiam pereunt.

§. XVIII. Ciuiliùm autem rerum hæc est natura atque indoles, vt nunquam ma- iori doctrinæ specie sese commendent, quam si lepidis eiusmodi commentis orna- tæ animos mortalium demulceant, rectius- que sapere doceant. Hinc & Plato diser- tissimus philosophorum, optimam reipubli- cæ imaginem in Atlantica insula nobis ex- hibuit. Namque figmentum aliquod esse, a Platone excogitatum, quod ea de re legi- tur, quidquid etiam alii sentiant, haud dif- ficulter mihi persuadeo. Prorsus hunc in modum Vtopiam suam luci exposuit, Thomas Morus, & optimus dicendi artifex Ianus Nicius Erythræus libros quatuor Eu- demiorum. Quibus Barclaii Argensis iure meritoque est accensenda, quippe nulla do-

trinx parte ceteris inferior. Et antiquo-
 rum poetarum campos adeo steriles non
 esse, ut ibi non reperiat prudentiæ civilis
 cultor, quod in usus suos vertat, vel Perseus
 docet, belli rationem eleganti commento
 exhibens. Hunc quippe a Pallade ad ob-
 truncandam Medusam missum fabulantur.
 Etenim a Pallade, non a Venere excitantur
 bella, quibus felix etiam respondet euentus,
 secus, ac in bello Troiano factum. In Iberi-
 am profectus est Perseus, ultimasque occiden-
 tis lustravit partes. Facilius enim vincun-
 tur populi, magno interuallo a nobis re-
 moti, quam vicini, qui vires nostras belli-
 gerandique rationem non nesciunt. Quan-
 to felicior Philippo erat Alexander, eo, quod
 cum Asiæ incolis, non cum finitimis Græ-
 cis ipsi pugnandum erat? Non imperandi
 cupido, aut vanum gloriæ studium excita-
 uit Perseum. Medusa opprimenda erat, quæ
 dira tyrannide vexauerat occidentis popu-
 los. Nihil quippe magis ingenuo homine
 dignum est, quam oppressos impotenti do-
 mino populos restituere libertati. Compro-
 bant hoc omnium gentium annales, nun-
 quam felicius, bella cedere, quam quibus
 petuntur improbi alieni iuris usurpatores.
 Iam expeditioni sese accingens Perseus, deo-
 rum armis instructus munitusque est. Alas
 a Mercurio, a Plutone galeam, scutum, de-
 nique

nique ac speculum a Pallade accepit. Celeritate enim opus est, si res magni momenti sese nobis offert. Nulla res saprus magnas ingentesque spes subuertit, quam nimia comitatio. Mercurii alis haud raro plus proboitur, quam Martis gladio. Galea autem Plutonis consilia sunt tegenda. Hæc enim, iudice Hamiano Strada, tam diu tuta quam diu tecta. Palladis denique speculo hostium sunt explorandæ vires. Maxima enim deus virtus est, hostium rimari arcana, indeque & suas, & illorum prudenter metiri vires. At ne tum quidem recte, quis sibi consuluerit, nisi & scutum Palladis accedat. Quo ipso prouidam Ducis curam significarunt veteres, qua præcal habita omni securitate, certissima magnorum exercituum peste, necessitatibus omnibus prospicit. Quare & victoriam a Medusa reportauit Perseus, sustulitque e medio horrendum monstrum, cuius terror pluribus gentibus incubuerat. Ex sanguine autem eius Pegasus natus est, famæ celeritatem indicans, quæ per omnium ora volitans victoris gloria orbem vniuersum replet. Hanc & ceteroquin gigantum sororem vocare, consueuerunt fabularum doctores, eo quod non exigua in conterendis mortalium animis eius sit virtus. Intellexit hoc Darius, vnde *fama bella stare*, pronuntiatur apud

Curtium. Cui accedit Livijs: *fama bellum conficere, & parva momenta in spem motumque impellere animos.* Nec dissentit Tacitus: *Fama in novis ceptis validissima est.*

§. XIX. Tandem ne vlla humanæ sapientix pars fabularum impatiens censeatur, hinc plenis haustibus bibunt, qui corporum sollicitè dimetiuntur magnitudinem, aut astra cœlestia considerant curiosius, eorundemque itinera vasto mentis ambitu complectuntur. Hinc sapere discunt, qui id sibi datum crediderunt, vt mortalium fata ex sideribus deriuent, fortunæque varios casus, ortus interitusque hominum in astris consignatos sibi persuadent. Nec magno ad hoc euincendum opus erit labore, nisi soli lucem affundere viderer, nec vel stellarum nominibus vnusquisque hæc edoceri posset.



EXERCITATIO
HISTORICO · PHILOSOPHICA PRIMA
DE
ERRORIBVS STOICORVM
IN
PHILOSOPHIA MORALI,
HABITA HALAE SAXONVM
DIE XVI. DECEMBR. ANNO MDCXCV.
RESPONDENTE
IO. GEORGIO NEVKIRCH
ALSLEB. MAGDEB.

THE HISTORY OF THE
REIGN OF
HAROLD GODWINSON
BY
JAMES MORRIS
OF THE UNIVERSITY OF OXFORD
IN TWO VOLUMES
VOL. I
LONDON
WILLIAM BAKER



Στωϊκισμός

Instituti ratio, §. I. Stoicorum de anima humana
 errores, §. II. Cum Pythagoræ, Platonis, alio-
 rumque placitis conferuntur. Hæreticorum quo-
 rundam similes errores ex Stoicorum disciplina
 derivantur, §. III. Confutantur, §. IV. Defini-
 tio philosophiæ, quod sit meditatio mortis; ex
 doctrina Stoicorum de anima, explicatur, & re-
 jicitur, §. V. Stoicos brutis rationem tribuisse.
 Hinc recepta apud iure-consultos definitio iu-
 ris naturalis, illustratur, & expenditur, §. VI.
 Bruta ratione carere, probatur, §. VII. Stoico-
 rum de bonis & malis errores, §. VIII. Refellun-
 tur, & quid bonum, quid malum sit, explica-
 tur, §. IX.

§. I.



Nter omnes philosophos, quos
 Græcia olim Latiumque tulit,
 nullos æque de morum doctri-
 na meritos esse ac Stoicos, mul-
 ti iique doctissimi viri arbitrati
 sunt. Nec ego sane is sum, qui de gloria
 præstantissimorum virorum, quos porticus

F 5 olim

olim tulit, quicquam detractum cupiam. Quin, fateor, multa præclare eleganterque & dicta ab illis sunt, & litterarum quoque monumentis consignata. Nihilofecius tamen, multos grauisimosque etiam in morum doctrina eos admisisse errores, nemo ignorauerit, nisi qui hospitem valde animum ex illorum disciplina retulit. Et præcipuos quidem, vno velut fasce comprehensos exhibere, operæ pretium fuerit, cum nullus antiquorum philosophorum error tam turpis, tamque foedus sit, quem non aliquando ab orco reuocet, denuoque prodire in lucem iubeat, vitio suo fauens innouandi libido.

II. De anima quidem hominis naturalium rerum consulti præcipiunt. At morum tamen doctrinam nemo rite capiet, nisi qui naturam eius indolemque, probe cognitam & exploratam habeat. Non ergo nefas erit ex magnis multisque stoicorum de anima, vel mente erroribus, vel vnum, eundemque haudquaquam leuem attingere, cum & alii, qui longe lateque per moralis doctrinæ campos diffusi sunt ex eo, velut fonte & scaturigine, profluant. Nimirum animas nostras, liceat enim hac voce id designare, quod alii, & ipsi quandoque stoici, mentem, vocant, ex ipsa Numinis substantia ortas progenitasque, particulas esse diuinæ essentia,

&

& post mortem denuo in eam conuerti, & commutari, communi consensu docebant. Hinc Epictetus easdem *μύρια ἢ ἀποσπάσματα* *ta particulas & decerpta Dei* vocat, a Cicero-
ne vero, ex stoicorum mente, sententiam, ferente, a *natura decorum haustos animos & delibatos* habemus b. Idem Tullius c *humanum animum decerptum ex mente diuina* dicit. Ex Seneca vtut multa, eaque luculentissima, huius rei documenta, afferre possem, illud tamen sufficiat, quod diserte autumat d, *animum post mortem in originem suam redire*, additque: *& hoc habet argumentum diuinitatis suae, quod illam diuina delectant.* Senecæ Marcus Aurelius Antoninus, Stoicorum facile modestissimus, suffragatur. Oblitus es, inquit, *ὅτι ὁ ὅλος εἶναι τὸ θεός, ἢ ἐκείθεν ἐπρόηκε*, mentem omniuscuiusque esse Deum, & inde fluxisse. e Huc & illud pertinet f: *una anima brutis animantibus est distributa, eis δὲ τὰ λογικὰ μία νοσεὰ ψυχὴ μεμείρισται*, una mens rationem adeptis, quemadmodum una est terrenarum terra. Nimirum diffusam esse per omnia corpora essentiam diuinam, & in iis animæ mentisque, diuersimodè tamen & aliter in brutis, aliter in hominibus, se exerendo, munere fungi, autumabant. Hinc etiam solene est stoicis, *animum Dei,*

(a) 1. differ. cap. XLV. (b) lib. 1. de diuinat. (c) lib. V. Tusculan. (d) presat. Quest. Natural. (e) lib. XII §. 21. (f) lib. IX. §. 6.

Dei nomine tituloque insignire. Ita Capius quod Seneca dicit: *bonus vir sine Deo nemo est* g: & istud Antonini: *ἔτι ὁ ἐν σοὶ θεὸς ἔστι πρὸς αὐτῆς ζωῆς &c.* *Enimvero Deus qui in te inest, praestit tibi animanti, masculo, seni, civi, Romano &c h.* Eadem de causa mens nostra & genius quoque stoicis appellabatur. Testis iterum est Antoninus: *Sin eo, inquit, qui in te collocatus est genio, nihil praestantius inveniret &c.* i: & paucis interiectis k monet, ut quisque *τοῦ ἑαυτοῦ δαίμονα genium. supra sine earum conferuet*: alibi l vtrumque coniungit: *licet mihi nihil agere quod contra Deum geniumque sit meum.* Etenim hic & per Deum, & per genium, animum intelligit. m. Hinc & magna illa splendidaque, sed venenum occulantia, stoicorum egestas, quae nos Deo cognatos praedicant, aut omnes homines inter se cognatos esse allerunt, quia, quod hoc ipso innuunt, vnius animae facti sunt participes. Antonino Imperatori quidem frequentius nihil solenniusque est, quam hoc argumento, ne iniurias sibi illatas aegre quis ferat, omnes adhortari, quia cognati sumus: *τὸ τοῦ θεοῦ παρὰ τὸ σὺμφύλου καὶ συγγενῆς καὶ κοινῆς*: hoc profectum est: *A cognate meo, & facio &c.* n. Praclare: qui-

(g) *epist. XXXI.* (h) *lib. III. §. 3.* (i) *lib. III. §. 2.*
 (k) *§. 10.* (l) *lib. V. §. 8.* (m) *add. Clemens*
lib. II Strom. (n) *lib. III §. 7.*

quidem, si externam speciem spectes: nihil sub pulchra veste putidum lateret corpus. Idemque sibi volunt, dum hominem partem & membrum vniuersi, vocant. Hoc eo magis, inquit Antoninus, animum tuum tanget, si crebro tibi ipsi dicas: ὅτι μέλλω εἶναι τῷ ἐκ τῶν λογικῶν συστήματι, *membrum sum eius, quod est ex ratione predictis conflatum corporis.* Quod verò etiam existimauerint, post mortem iterum in essentiam diuinam animum hominis conuerti, id quidem rursus infinitis comprobari posset documentis. Taceo quæ ab aliis iam allata sunt. Saltem illustre Marci Aurelii Antonini effatum, quod rem omnem luculenter euincit, præterire nequeo. εὐπέσης, inquit, ὡς μέλλω, ἐν ἐπιφανοῦσιν τῷ γεννήσαντι. μάλλον δὲ ἀνεκλήθησιν εἰς τὸν λόγον αὐτῶν τὸν σπερματικὸν κατὰ μεταβολήν. *Hactenus ut pars vitæ suppetente substituit: in illud ipsum quod te produxit moriturus aboleberis: aut potius facta mutatione assumeris ad mentem eam, quæ est reliquarum origo.* Porticum itaque redolent istæ loquendi formulæ, quæ animum post mortem ad diuinitatem redire, vel vt Prudentius ait, proprios reuocari in ortus, quibus nonnulli si non impie, certe imprudenter, vtuntur, autu-

(D) lib. VII §. 9. bonf. lib. VIII §. 29. lib. X §. 6.
lib. XI §. 7. G. 18. (p) lib. IV §. 19. (q) hym. X.

tumant. Quod vero Antoninus Deum λόγον σπερματικόν vocat, in eo rursus genuinum Zenonis alumnum se esse, demonstrat. Certe ex Diogene Laërtio in vita Zenonis, hoc satis constat. Prudentius vero dum eodem modo loquitur: *sic cuncta creata necesse est obicere tolerare supremum, ut semina dissociata sibi sumat origo resorbens*, incaute nimis stoicos sequitur, eamque ob causam iure meritoque reprehenditur. Sed id nunc non ago. Rem omnem pluribus edisserunt Lipsius atque I. Iacobus Thomafius s.

§. III. Id vero hic monuisse nos non pœnitebit, non stoicis tantum, sed & aliarum hæresium sapientibus, hunc ipsum errorem defensum fuisse & propugnatum. De Pythagora nemo dubitauerit. Quin non desunt, qui eum pro primo lepidissimi commenti auctore venditant. Quod an ita se habeat, nunc dispicere non licet. Saltem illud addendum, dum stoici, homines, Dei cognatos vocant, in eo ex Pythagoræ disciplina se prodiisse, luculenter demonstrant. Namque & ille hominibus cum Deo cognationem esse, diserte autumat, apud Diogenem Laërtium τ. Platonis menti eundem sedis:

(r) in *physiol. Stoic. lib. I. dissert. VI & lib. III dissert. VIII.* (s) de *exust. Stoica mundi dissert. XIV §. 62. & seqq. it. dissert. XXI per integr.* (t) in *vita Pythagora.*

sedisse errorem, omnia leius scripta loquuntur. Nihil in illis sæpius legas, quam, animam hominis esse ἀπόσπασμα, τμήμα, μέρος τῆς ἑκαστοῦ ψυχῆς, i. e. *segmentum seu ramentum, fragmentum, particulam anima totius vniuersi.* Quod & calculo suo comprobatur Plotinus. Quin & in variis doctrinæ cœlestis deprauatoribus, præsertim in Carpocrate, Cerdone, Manichæis, Priscillianistis, Gnosticis, Marcionitis, aliisque, hunc errorem damnatum esse, annales historiarumque nos edocent monumenta. Extat canon concilii Braccarenfis: *si quis animas humanas ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit &c.* qui hac de re nos dubitare non sinit. Sed accurate hunc errorem profligauit Chrysostrmus. Item Hieronymus γ & Augustinus z. Et hosce quidem diuinæ veritatis impugnatores ex gentiliū scholis hec secum retulisse commentum, nemo dubitauerit. Platonice autem magis an stoicis, eum acceptum ferant, id quidem tam prompte finiri nequit. Sane Platonice doctrinam non recte intellectam multa peperisse monstra,

(v) *Ennead. IV. lib. VII. c. IV. add. Rappaldus, in commentar. in Horat. p. 309. (x) T. II. cons. cap V p. 216. (y) Hom. XIII. in cap. II. Gen. (z) in epist. ad Marcellinum (a) de origin. anima c. II.*

stra, in quibus extirpandis ad hunc usque diem frustra laboratum fuit, non abnuo. Saltem ad Marcionitas quod attinet, eos a stoicis tum alios, tum & hunc præcipue errorem, hausisse, asserere non dubito. Etenim Marcionem sectæ conditorem stoicæ disciplinæ ab ineunte ætate deditum fuisse, memoriæ est proditum. Hinc & Isidoro, philosophus stoicus appellatur. Tertullianus autem, *Marcionitis*, inquit, *Deus melior de tranquillitate a Stoicis venerat.* vid. Lambertus Danaus ad Augustin. b Accedit, quod, ut nonnulli temporum rationes ineunt, M. Aurelio Antonino, sub quo Stoicæ philosophiæ maximum undique pretium statuebatur, dira Marcionitarum hæresis extulerit caput, unde ex porticu multa deliria in eam deriuata fuisse, mirum non est. Qua de re legi merentur, Clemens Alexandrinus c, Sextus Empiricus d & Iulius Capitolinus e.

§. IV. Atque ex hisce fontibus, qui arcanam secretioremque disciplinam inter christianos profitentur, sua irrigasse arua, vulgo censentur, præsertim id quod de hominis in diuinitatem commutatione docere, dicuntur, modo doceant, a Stoicis, aut si alios audias, a

Pla-

(b) vid. Lambertus Danaus ad Augustinum de heres. c. XXII. (c) lib. VII Strom. (d) lib. I de philos. (e) in vita M. Aurelii Anton. cap. XXII

Platonicis accepisse, creduntur. At mea nunc id parum refert. Saltem vel vnico argumento conficere huncce errorem iuuat. Verum memini iam feliciter illud præstitisse Ciceronem. Hunc ergo audire, neminem pigebit. *Pythagoras* inquit, qui censuit (Deam) animum esse per naturam rerum intentum & commeantem, ex quo nostri animi caperentur, non vidit distinctione animorum humanorum discerni & dilacerari Deum, & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, cum Deo pariter esse miseram, quod fieri non potest. Nimirum anima hominis aut ita est pars essentia diuinæ, vt cum toto, in ipso scilicet Deo, adhuc coniuncta sit, aut vt ab eo seiuncta sit & separata. Illud si dicas, ipsum Deum peccare, & multis magnisque vexari miseriis & calamitatibus, largiari necesse est, id quod tamen sine impietate fieri nequit. Sin hoc asseras, Deum in particulas discerni & dilacerari, inde consequitur, quod æque ineptum ac impium est ac prius; quod & agnoscit Augustinus. Cetera taceo, cum intimos huius figmenti recessus excutere, alterius campi sit.

§. V. At quod supra asserui; multos in philosophia morali ex hoc de anima figmento, oriri errores, nunc vel vnico comprobandum est documento. Solet philosophia a nonnullis per meditationem mortis

G

defi-

(e) lib. I. de nat. Deorum p. 9. (f) de origine anima cap. II.

definiri. Plutarchus hanc definitionem Platonis tribuit. ^a Alii Pythagoræ eam vindicant. In Stoicorum scriptis, eam totidem verbis me legisse non memini. At in re conveniunt. Hinc Lipsius, eam, si non Stoicorum sit, illis tamen dignam esse, pronuntiat. ^b Præcipue autem ad eam philosophiæ partem, quæ mores hominum format, spectat. Hæc per eminentiam philosophia sæpius audit, cum ceteris partibus infinitis modis sit præstantior. Marcus Aurelius Antoninus haud semel practicæ philosophiæ præ theoretica, palmam tribuit. Insigne ea de re eius effatum i extat, quod ὡς ἐν παρόδῳ delibare iuvat, Ὅποσα, inquit, Φυσιολογητὸς, Φαντάζη καὶ παραπέμψεις; δεῖ δὲ πάντα ἔτω βλέπειν καὶ πράσσειν, ὥστε καὶ τὸ περιστατικὸν ἅμα συντελεῖσθαι, καὶ ἅμα τὸ θεωρητικὸν, ενεργεῖσθαι. Accuratisissime & plane ad meam mentem hæc verba reddidit Dacerius; *sur combien d' objets un Physicien ne promene-t-il pas son imagination? combien de choses fait il passer deuant luy comme en reuüe? Mais il ne faut passe contenter de connoitre; il faut agir & joindre la pratique a la theorie, si l'on veut bien faire son deuoir &c.* Nimirum hoc sibi vult Antoninus, quæ saltem rerum naturam scrutantur, disciplinarum, nullam esse vtilitatem, nisi quousque & meliores

(g) de placitis philosophorum circa iuit. (h) lib. I
manuducti. dissert. II. (i) lib. X. §. 10.

liores nos reddunt : illis contra quæ mores hominum formant , & ad beatitatem nos ducunt, non posse magnum satis pretium statui, quod uberius edisserit Dacerius. **k** De ethica ergo siue morum doctrina hoc, quod asserunt, capiendum, quod sit meditatio mortis. At quomodo ? num quia mortem forti & intrepido animo expectare docet ? Ita forte Seneca censuit, dum egregiam rem esse dixit, mortem condiscere. **l** Nec ablutere videtur Antoninus noster, dum sapientem virum ita se comparare dicit, *vt tubæ sonitum, quæ receptui tanat ex hac vita, solutus & expeditus expectet.* **m** Sed enim uero, nisi me omnia fallunt, aliud quid veteres hac definitione innuebant. Animus ceu diuinæ essentia particula seiungendus & separandus a corpore erat, & ad diuinitatem, vnde effluerat, magis magisque reuocandus. Hanc separationem mortem vocabant. *Non ita, inquit Antoninus, confudit omnia natura, vt non liceat περιεργασθαι τὸν αὐτὸν circumscribere se ipsum, & quæ sunt propria cuique (partii) ea ipsum in sua retinere potestate.* **n** Potest ergo anima seipsam circumscribere, hoc est, separare a contagio corporis, & ad diuinitatem assurgere. Duos ergo grauisimos errores tacite secum inuoluebat hæc mora-

(**k**) in annot. ad b. 1. (1) epist. XXVI. (m) lib. III §. 6. (n) lib. VII §. 40.

lis philosophiæ definitio. Supponebat quippe & animas nostras esse diuinæ essentiæ particulas : & omne malum esse a materia, adeoque a corpore. Prius hæc tenus exploratum est, alterum deinceps confutabitur. Solet vero hæc mors a nonnullis vocari philosophica, a Platonice autem etiam purgatio dicitur. Rem omne edisserit Iamblichus : *Purgatio autem in eo consistit, ut separatur quam maxime animus a corpore, assuescatque per se esse absque corpore in se ipsum versus liberque a corpore, velut a vinculis. Id quod mori vocatur, solutio scilicet & separatio animi a corpore.*

§. VI. Ceterum non tantum hominum, verum etiam brutorum animas, esse particulas & ἀποσπάσματα essentiæ diuinæ, turpi errore delusi, asserbant Stoici. Per omnes enim creaturas essentiam diuinam diffusam esse, communi consensu docebant. Hinc & Antoninus Deum τὸν διὰ τῆς ὕλης διήκοντα λόγον, mentem quæ per vniuersam rerum naturam penetrat, diserte vocat. p Vnde profecto sua sponte consequitur, quod sicuti homines ita etiam ceteræ res, saltem animantia partem diuinæ essentiæ in se continere debeant. Sed hac de re deinceps exponetur. Nunc saltem istud addere e re nostra est, ex hoc errore alium, non minus ridiculum, fluxisse. Brutis enim etiam rationem tribue-

tribuebant. Hinc lepida ista Vlpiani iuris naturalis definitio, q̄ quæ & in *Institutionibus lib. I.* extat, r̄ qua itus naturæ esse aiunt, quod natura omnia animalia docuit. Porticum redolere hanc definitionem res ipsa docet, & præter alios obseruauit Pufendorfius, qui nostram egregie firmat sententiam. s̄ Profluxisse enim hanc sententiam ait, ex dogmate illo nonnullis antiquorum celebrato, de anima uniuersi, cuius reliqua anima sint quedam ἀποσπασματα seu particula, quæ in se eiusdem naturæ diuersas edant operationes, prout in diuersum corpus inciderint, organaque vires suas exercendi, sortita fuerint. Nec dissentit vir summus & in veteri philosophia versatissimus, Ioannes Schilterus. t̄ Postquam enim de hac ipsa definitione erudite differuit, addit tandem, secutos fuisse iure-consultos hac in re Stoicorum sapientiam, idque iam a Galuano ū ostensum esse asserit. Et sane tanto facilius in hanc sententiam ingredior, si mecum reputo, multis ex priscis iure-consultis, quorum nomina fama celebrat, Stoicorum disciplina fuisse imbutos, vnde & alia Stoicæ doctrinæ vestigia in illorum decretis deprehenduntur, id quod prolixius demonstrat Schilterus. x

G 3

§.VII.

(q) lib. I ff. de Instit. & iure. (r) lib. I tit. II.
 (s) lib. II de I. N. & G. c. III §. 2. (t) in Manu-
 duct. philos. moral. ad Iurisprudent. cap. VI
 p. 227. [v] lib. de usufructu cap. V. (x) l. c.
 cap. 5, 6, 7.

§. VII. At video, fore qui hanc Stoicorum sententiam, bruta ratione prædita esse, adeoque & iura illis esse sancita, a me inter errores referri, ægre ferant. Iuris quidem interpretibus haud difficulter forte illud persuadebimus, si ipsius Iustiniani Imperatoris auctoritate muniti, facere iniuriam bruta posse negemus, vnde nec iuris ea esse capacia colligimus, quod quidem documento luculentissimo est, nec ratione illa pollere. Ita vero Ulpianus y *pau- peries est damnum sine iniuria facientis datum. Neque enim potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu (i. e. ratione) caret.* Hinc & clarissimi doctissimique iuris antistites, definitionis supra commemoratæ varias excogitarunt interpretationes, nonnulli autem eandem plane damnarunt, & reiecerunt, diserte contendentes, neutiquam in bruta ius aliquod cadere. Iohannes Seldenus illorum, qui ita sentiunt, nomina commemorat, inter quos eminent Albertus Bolognetus, Franciscus Connanus, b & ipse Iacobus Cuiacius c; quibus merito addo summum virum, cuius in rem litterariam merita, iam dudum suspicit ac

(y) lib. I ff. si quadrupes. (z) lib I de I. N. & G. iuxta disciplin. Ebraeorum cap. VI. [a] de iure & acquirate cap. V & VI. (b) in comment. de iure civili lib. I cap. VI. (c) ad instit. tit. de iustitia & iure.

ac veneratur orbis eruditus, illustrem Samuelem Strykium nostrum, quippe qui a diserte, *quatenus*, inquit, *ius norma est, ad quam actiones conformandae, brutis applicari nequit, ob denegatam ipsis actionum distinctionem.* Sed plus negotii faceffunt philosophi. Certe Rodericum de Ariaga si audimus, res nondum adeo est expedita. *Difficile est*, inquit, *hanc sententiam*, (quod bruta ratione careant) *persuadere.* Agitur enim de actu existente in bruto, de quo nos nullam possumus habere experientiam e. Sed vero quid obstat, quo minus de actu in alio, existente ex certis signis & *κρίτησις*, iudicare queamus? Tale vero documentum, certe luculentissimum, ex eo capimus, quod bruta non loquuntur, cum ceteroquin & lingua & ceteris organis apte formatis instructa sint, vt per haec sane loqui possint. Est nimirum cum ratione sermo tam arcto vinculo coniunctus, vt nisi ex corporis structura impedimentum accedat, non possint a se seiungi ac separari. Quod ergo bruta ratione non gaudeant, exinde rite colligimus, quia non loquuntur, & loquendi facultate plane destituuntur. Id quod edisserit pluribus Antonius le Grand. f Quae ceteroquin, ad vindicandam brutis rationem,

G 4

&

[d] in notis manuscriptis ad instit. tit. de iust. & iure. [e] in disp. phys. disp. VII. sect. VI sub sect. II (f) in instit. phil. part. VII artic. XVIII.

& iuris communionem afferri solent, diligenter excusit Seldenus, iungendique & Claudius Salmafius h & Horneius i

§. VIII. Nunc Stoicorum de bonis & malis sententia, reuocanda est sub examen. Arguuntur enim hic tum a Peripateticis, tum ab aliis, magni erroris. Nimirum persequitur semper porticus hisce vocibus; nullam rem bonam esse præter solam virtutem. Id vero abnuunt, alii sanitatemque & opes, & cetera aut fortunæ aut naturæ munera, bonis non annumerare nefas crimenque non temere expiandum esse, contendunt. Stoicorum quidem sententiam rotunde effert Seneca, dum *nihil, inquit, bonum nobis videtur, quo quis & male uti possit.* k Alibi vero valetudinem bonam, tam pusillam rem esse putat, ut plane ei non conueniat nomen l boni. Diuitias autem bonas esse pernegat. *Diuitias iudicabis bonum? torquebit te paupertas, & quod est miserrimum falsa.* Quamuis enim multum possideas, tamen quia aliquis plus habet, tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. m Luculentius adhuc hac de re differit M. Aurelius Antoninus. Digna sane sunt eius effata quae hic legantur, cum rarius ab aliis afferri

(g) l. c. [h] de vs. vris cap. IX. [i] tib. IV. c. III. p. 591. [k] ep. CXX. (l) ep. CXVIII. [m] ep. CIII.

ri soleant. *Asidue, inquit, ad quamque rei speciem quae se animo tuo offert, in eius naturam & qualitates inquire ac de iis tecum ratiocinare. Quicumque tibi occurrat, statim teipsum ante interseroga ἔστος τίνα δόγματα ἔχει περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν quatenam is sentit de bonis & malis? Nam si tales eum de voluptate & dolore, eorumque efficientibus, de honore, ignominia, morte, vita, opinionones habere nihil mirum, certe neque debet tibi nouum aut mirum videri, si haec aut illa agat. Nimirum metuebant Stoici, ne, si naturae aut fortunae munera bona vocarent, illis tantum quis deferret; ut ipsam etiam virtutem parum haberet pensi, eamque poneret in minimis. Quin hanc ipsam sententiam iaducere homines, ut in Deum sint iniurii, idem Aurelius noster pronunciat: Quandoeunque ex iis rebus, quae extra te neque in tua voluntate sunt positae, tibi proposueris boni vel mali nomine, id si vel ut malum tibi contingat, vel si, cum pro bono ducas adipisci non possis, efficiet, μέμψασθαι σε θεοῖς, ἀνθρώπους δὲ μισῆσαι τὰς αἰτίαις ὄντας ut & Deos incuses & odio habeas homines, qui vel in causa nunc sunt, aut ut in posterum futuri suspecti erunt vel boni illius auertendi, vel mali conciliandi. o. Nec minus roboris habere videtur, quod a tibi pronunciat. p. Nimirum*

G5

mirum

[n] lib. VIII. §. 2. [o] lib. VI. §. 30. [p] lib. XI. §. 19.

mirum non omnibus eandem de bonis, quae particularia vocari solent, sedere sententiam ait; at in eo consentire omnes, quod illud, quod toti societati prodest, bonum sit: unde sequitur, ita infert Antoninus, quod sola virtus bona sit, quippe quae sola prodest toti hominum societati. ¶ Hinc vero & illud fuit, quod itidem communi consensu Stoici docent, bonum aequae ac malum, semper in potestate hominis positum esse. Quod enim a nobis non pendet, hoc boni aut mali rationem habere negant. Et istud quidem est, quod iterum Antoninus innuit, dum Deum in hominis posuisse potestate ait, *ne in ea quae reuera sunt mala incidere-
ret.* ¶ Rationem addit Dacarius: *Car Antonin ne reconnoit pour veritables maux que les pechez & les vices.* ¶ Præterea, eadem de causa mala saltem in opinione hominum consistere autumant. *Tuum quidem malum,* inquit Antoninus, *non est in alterius animo positum, neque in corruptione vlla aut mutatione coeli: Vbi ergo? ὄπρ τὸ πρὸς κακῶν ὑπολαμβάνον σοὶ ἐστὶ in opinione de malis tua.* ¶ Etenim vt sola virtus bona, ita solum vitium, Stoicis erat malum: ceteras res cunctas ad ἀδιάφορα referebant. Sed adiaphororum rursus alia *producta* siue *eligibilia,*

(q) *conf Dacarius ad h. l.* (r) *lib. II §. 8.* (s) *ad h. l.* [t] *lib. V §. 24.*

eligibilia, alia autem reiecta illis erant. Quaeque medium inter haec tenebant locum, *neutrum* appellabantur. Sed Antoninus quidem hasce partitiones vt ineptas, & parum vtilis, damnare videtur. Etenim cum laudem gloriamque ad res eligibiles referrent ceteri Stoici, ideo quod vtilis essent, Antoninus diserte, *ἀλλὰ πρὸς τὸν ζῶντα, τί ὁ ἔπαινος;* quid vel vno tibi laus proderit? a Ita sane hunc locum capit Dacerius. b Postquam enim rerum indifferentium partitiones, ex mente Stoicorum, commemorauit, addit: *Antonin se moquoit de res vaines subtilitez & sans entre dans toutes ces disputes, qui ne sont bonnes que pour l' Ecole, & point du tout pour la conduite de la vie, il ne faisoit aucun cas de la louange.* Ceterum a Stoicorum de bonis & malis sententia, ex recentioribus non procul abest vir magni ingenii, Arnoldus Geulingius cuius & alii vestigia legunt: rem omnem vero accurate pertractat Io. Baptista du Hamel. d

§. IX. Reiecerunt vero hanc Stoicorum sententiam, vt dixi, tum Peripatetici, tum alii. Certe Aristoteles non semel asseruit, *fortunaee munera esse simpliciter & semper bona, hinc vero vel illi, non semper*

[a] lib. IV §. 12. (b) in comment. ad h. l. (c) & hic tract. III §. 5. & 6. p. m. 65. seq. (d) philosoph. moral. tractat. I. Dissert. I. qu. 2.

semper. Id quod probatum dedit Franciscus Piccolomineus Senensis, & Quo iure itaque a Stoicis Peripatetici ceterique philosophi dissentiant, paucis dispicere iuuat. Duplici autem ratione aliquid appellitari bonum, id quidem est, quod cum primis, nec perfunctorie, est obseruandum. Alia enim bonitas est quae actionibus, alia quae rebus competit: illam moralem, hanc metaphysicam tantisper, more nonnullis recepto, vocare liceat. Illa in conuenientia actionis cum lege consistit, & tum demum ad eam hic attenditur, cum de usu aut abusu, naturae fortunaeque munerum, sermo instituitur. Enimvero si quis ingenio, pulchritudine corporis, aut fortunis suis non recte utatur, tum quidem valde ineptum foret, ex eo colligere, hasce res minime bonas esse. Quod enim homo iis non recte utatur, quo pacto ipsis rebus imputari potest? At si de illa bonitate, quae in rebus inest, sermo fit, eandem rursus non vnus generis esseprehendimus. Aliam enim absolutam, aliam vero cum relatione quadam, coniunctam esse res ipsa docet. Absolute quidem illud bonum est, quod essentiam sibi conuenientem habet. Qua quidem ratione ut nulli rei, ita nec diuitiis

[e] in philosoph. de morib. grad. VIII c. VII.

uitiis, aut ingenii viribus, aliisque naturae aut fortunae, vt vocari solent, donis quam bonitatem denegauerit. Sed ea de re metaphysicae disciplinae consulti dispiciant. Ad relatiuum bonum ea demum quadrat definitio, quam Henricus Morus ^f tradit, quae bonum esse autumat, quod vitae alicui perceptivae, vitaeue huius gradui, gratum, iucundum, & congruum est, & cum conseruatione percipientis coniunctum. Sed, vero cum vitae perceptivae variae sint species & gradus, quorum vnus altero praestat, vnum quoque bonum, altero nobilius, praestantiusque esse, necesse est. Hinc porro consequitur, quae ipsi rectae rationi congrua sunt, ea maxima nobilissimaque bona esse, & quae ita comparata sunt, vt recta ratio non possit sine iis suam exerere operationem, secundum velut locum tenere, cetera vero prout excellentior vel minus excellens, vitae perceptivae gradus est, aut prout magis vel minus ad eius conseruationem faciunt, ita & magis aut minus bona esse. Quae cum ita sint, naturae fortunaeque muneribus, non posse vtique bonorum nomen titulumque denegari, palam est. Sane qui hic de voce saltem litem esse contendunt, non male quidem censent. ipse Seneca non adeo hoc abnue-

[f] in *enchiroid.* lib. I. c. III.

abnuere videtur, g Piccolomineus h vero, diferte ita pronuntiat, reapse non dissentire a Stoicis Peripateticos. Vtique ita est, si tam angustos voci *Boni* relatiue acceptae, ponere limites quis velit, vt quod nobilissimum praestantissimumque est bonorum, virtus tantum hoc nomen sibi vindicare possit, is quidem, fortunae & naturae munera inter bona recte referri, iure negauerit. At vero habeantne Stoici rationem, vt ita constringant & coarctent vocis huius significatum, id certe est, de quo dubito, quin plane hoc abnuo. Euiusco hoc inde, quia contra boni generatim sumpti definitionem, quam ipsimet tradunt, peccant. Apud Diogenem Laërtium i bonum ita definiunt: ἀγαθὸν δὲ κοινῶς μὲν τὸ ὠφέλιον *Bonum communitate est quod utile.* Clemens Alexandrinus k eadem fere ratione, τὸ δὲ ἀγαθὸν, inquit. ἢ ἀγαθὸν ἐστὶ, εἰδὲν ἄλλο ποιῆναι, ἢ ὠφελεῖν, *Bonum igitur qua bonum, nihil aliud quam prodest.* Alii vero bonum id vocant, quod inuitat, vel est expetendum. Alii aliis vocibus id efferunt, sed in re ipsa non dissentiunt. Ipse quoque Antoninus bonum ita describere videtur, dum l ait: *Tu vero, inquam, simpliciter ac libere, id quod est melius elige, aique*

[g] de vita beata cap. IV. [h] l. c. [i] in vita Zenonis [k] lib. 1. paedagog. cap. VIII. [l] lib. III. c.

eique inhaere : κερταυ δὲ τὸ συμφέρον, melius autem est id quod utile est. Ergo id omne bonum, quod utile est. Fortunae autem naturaeque munera utilia esse, quis negauerit? ergo ex ipsorum Stoicorum sententia, ea bona quoque esse, necesse est. Accedit, quod rationes, quibus evincere volunt, haec inter bona non esse referenda, nihil minus euincant, quam quod euincere debebant. Nimirum potest, inquit, aliquis hisce naturae & fortunae muneribus abuti : ergo non sunt bona. Inepte profecto. Hinc enim sequitur, quod perperam agat, qui illis non recte utitur, vel quod abusus ille malus sit, non quod res ipsae, quibus utitur, malae sint. Quidquid itaque hic latet vitii, non ipsis naturae aut fortunae muneribus, sed hominibus est imputandum. Ridiculus vero & inepte superstitiosus est M. Aurelius Antoninus, dum metuit, ne in Deum hominesque sint iniurii, qui naturae fortunaeque munera pro bonis habent. Sane qui sorte sua contenti non sunt, qui per vim perque artes varias exprimere & extorquere aliis pecuniam in animum inducunt, aut eos, quos sibi obstaculo esse putant, quo minus cupitis potiantur, odio prosequuntur, illos quidem in Deum hominesque iniurios esse, ut Antoninus autumat, largior : at enim uero haec omnia ab iis etiam, qui fortunae & naturae munera

munera bona esse negant, fieri posse, & fieri etiam, experientia omnes docet. Nec est quod speres, homines haec fortunae bona minus expeturos, si in porticu didicerint, ea non esse bona. Sufficiet plerisque, si audiant, attamen nec mala esse: & valde omnino metuo, ne ipsa illa suauitas, aut utilitas, qua se res istae mortalibus commendant, ita illis ablandiatur, ut eas expetere non desinant, licet vel omnes Stoici unice velut agmine facto stentorea voce clamitent, eas non esse bonas, sed indifferentes. Sed piget ceteras rationes perlustrare: ad eos enim frigidae sunt, ut cordatioribus grauedinem moueant atque tusim. Quae cum ita sint, mirum non est, quod non satis sibi constare videantur Stoici. Non semel enim hac de re ita verba faciunt, ut non ipsa fortunae munera, sed saltem eorum abusum damnant. De diuitiis ipse Seneca: *Nec se sapiens indignum ullis muneribus fortuitis putet. Non amat diuitias, sed mauult. Non in animum illos, sed in domum recipit. Nec respuit possessas, sed continet, & maiorem virtuti suae materiam subministrari vult.* (m) Desine ergo philosophis pecunia interdiceri. Nemo sapientiam paupertate damnauit. Plane ad nostram mentem, sed & ad mentem diuinarum literarum, in quibus, quae diuitiarum

(m) de vita beata cap. XXI & XXIII.

tiarum contemptu dicuntur, eodem modo sunt capienda. Nec etiam id fuerim inficiatus, vti nefas summum est diuitias vt summum bonum expetere, & in iis fiduciam collocare, aut eas possidentes felices reputare: ita vtile admodum & salutare est, quam fragiles sint, quam cito pereant, quam facile nos dent præcipites, quantis periculis nos exponant, sæpius & serio secum reputare. Antoninus eleganter ait: *Murem montanum ac domesticum huiusque pauorem & fugam in memoriam tibi reuoca.* n Fabula nota est ex Horatio, o quæ hoc docebat, qui diuitias deliciasque sectantur, maximis periculis se ipsos exponere. p Denique & istud non est prætermittendum, licet fortunæ & naturæ munerata sint bona, non tamen inde sequitur, quod summum bonum constituent, aut ad illud necessario requirantur. Hoc enim recte negasse Stoicos, arbitror.

H

EXER

[n] lib. XI. §. 20. (o) lib. II sat. VI. (p) conf.
Rappoldus ad h. l.

EXERCITATIO
HISTORICO - PHILOSOPHICA SECUNDA
DE
ERRORIBVS STOICORVM
IN
PHILOSOPHIA MORALI,
HABITA HALAE SAXONVM
DIE VI. MART. ANNO MDCXCVI,
RESPONDENTE
IOANNE Reich/
BERENBURG. SAXONE.

THE
FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION
OF THE
DEPARTMENT OF JUSTICE
REPORT OF THE
COMMISSIONER OF INVESTIGATION
ON THE
MURDER OF
JAMES EARL RAY
IN
MEMPHIS, TENNESSEE
MAY 6, 1968
BY
SAC, MEMPHIS



ΣΤΟΙΧΙΣΤΙΚΑ



Toicorum de summo bono sententiae
 variae referuntur, & inter se concili-
 antur, §. I. Ulterius in rem eandem
 inquiritur, & quid sit, sequi, ac imi-
 tari Deum, edisseritur, §. II. Ad sim-
 mum bonum pleraque Stoicorum paradoxa re-
 feruntur. Veterum quorundam de illis iudicia,
 §. III. Quid paradoxum? Paradoxa Christiana
 Lippi Brandolini, Ioannis Chrysostomi, & Se-
 bastiani Franci, In Stoicorum paradoxis, quid
 reprehendendum, §. IV. Sapientem sibi suffice-
 re, ut παράλογον reuocatur, §. V. Item, sapien-
 tem inter tormenta beatum esse, §. VI. Actio-
 num humanarum principia, intellectus & vo-
 luntas : De intellectu agente Stoicorum, acto-
 rumque sententia, §. VII. De voluntate: Stoi-
 cos ei quandoque tribuisse libertatem, §. VIII.
 Stoicorum circa voluntatem errores in excessu &
 defectu; Sententia quoque de virtutibus natura, qua
 Pelagio exemplum praeuerunt, exptosa, §. IX.
 Fatum Stoicum homini eripuisse libertatem, §. X.
 Libertas voluntatis asserta, §. XI. Peccata non
 esse aequalia, contra Stoicos, euincitur, §. XII. De

pena

pæna Stoicorum sententia; effatum illorum: sapientem non ignoscere, reicitur; varia Stoicorum λογισματίας reprehenduntur, §. XIII.

§. I.

SI vlla res philosophorum etiam præstantissimorum ingenia exercuit, certe summum, quod vocant bonum, hoc est, illud cuius possessio nos maxime felices reddit, ea ita exercuit, vt torserit admodum atque vexarit. Vtique pretium operæ faciunt, qui ea de re haud perfunctorie sunt solliciti, cum hic errare non liceat, vt non in totum moralis doctrinæ campum error se diffundat. Quare & Stoici nostri hic sine exquisitori examine, neutiquam sunt dimittendi. Equidem quænam summi boni leges sint & conditiones, haud difficulter intelligitur. Nunc de eo saltem lis est, quænam demum res nos felices reddat, summique adeo boni nomen titulumue promereatur. Stoici citra ambages eum felicem esse pronunciant, qui ea agit, quæ ratio hominisque natura, agere iubent. Senecæ, Epicteti, aliorumque documenta, hoc comprobantia, subinde circumferuntur. Nos Antonini effatis idem euincemus. *Expertus es, eleganter inquit, circum quot res vagatus nunquam vitam beatam inueneris: non in syllogemis,*

non

non in diuitiis, non in gloria, non in voluptate, nullibi. Vbi vero est? ἐν τῷ ποιῆν αἰ ἐπιζητεῖ ἢ τῷ ἀνθρώπου φύσει, in agendo ea quæ hominis natura requirit. Quomodo ita aget? si ea habeat dogmata, a quibus consentanea appetitiones & actiones veniunt. Quæ sunt illæ? de bonis & malis. Scilicet nihil esse bonum homini quod non reddat iustum, temperantem, fortem, liberalem. a Equidem non vna eademque ratione suam de summo bono sententiam Stoici efferebant. Zeno Cittieus finem bonumque vltimum esse dixit, ὁμολογημένως ζῆν, conuenienter viuere. Id quod de virtute, vtpote quæ sibi semper constat, capit Seneca. Virtus, inquit, b conuenientia constat. Omnia opera eius cum ipsa concordant & congruunt. Huc & illud M. Aurelii mei spectat: Qui non eundem per omnem vitam propositum habet scopum, is vnus & idem per totam esse nequit. c Cleanthes autem vocem naturæ addidit, asseruitque, vltimum finem esse, ὁμολογημένως τῇ φύσει ζῆν, vel συμφώνως τῇ φύσει ζῆν, conuenienter vel conformiter natura viuere. Id quod Horatius dixit, bene viuere, d itemque, intra natura fines viuere. Lucanus quoque Stoicorum sermone vtitur, de Catone ita verba faciens: e

- - - Hi mares, hac duri immota Catonis

H 4

Setta

- (a) lib. VIII §. 1. (b) epist. LXXIV (c) lib. XI §. 19
 (d) lib. I epist. XI & lib. I Sat. I (e) de laudibus
 Catonis lib. II.

*Secla fuit, seruare modum, finemque te-
nere,*

*Nec sibi, sed toti genitum se credere mun-
do etc:*

*Naturamque sequi, patriaque impendere
vitam. f*

Quid autem naturæ voce innuant, nemo ig-
norare potest, nisi qui Stoicæ disciplinæ pla-
ne fuerit rudis. Nimirum ipsum Deum de-
signabant. *Quid aliud est natura, quam Deus &
diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta.* Ita Seneca g qui alibi eadem docet: *vis, in-
quit, (*) Deum naturam vocare, non peccabis: est
enim ex quo nata sunt omnia.* h Hinc & ali-
quando, misis ambagibus, summum bo-
num in eo positum esse docent, vt Deum
sequamur. Antoninus, virum sapientem,
*alias omnes occupationes, omnia studia missa face-
re, & huic modo intentum esse, ut recta secundum
legem ingrediatur, Deumque sequatur recta via in-
redientem,* diserte docet. Idque est, quod
idem Antoninus alibi asserit, sapientem vi-
rum *cum Diis viuere.* Namque hoc ita ipse-
met explicat: *vitam vero cum Diis agit, qui
continenter iis suum animum ostendit, probantem
ea qua ipsi fatum tribuit, agentemque ea qua ge-
nio placita sunt, quem Iupiter sua quondam par-
ticu-*

(f) *conf. Rappoldus ad Horat. lib. I Sat. I p. 55. (g)
lib. IV. de benef. cap. VII. (*) lib. II Quest.
nat. c. XLV. (h) add. Lactantius lib. II diuin.
Instit. cap. VI. (i) lib. X §. 12.*

ticulam natura unicuique præsidem ducemque dedit, nimirum mentem atque rationem. & Sane nihil soleñius fuit Antonino, quam hæcce cum Deo commercia crepare. Hinc Iulianus Imperator in concilio Deorum eum ita respondentem inducit, quod optimum vitæ finem duxerit, *Deos imitari.* Statim, ita pèrgit Iulianus, *hoc responsum Dii non ab degenerere mente profectum, sed quouis esse pretio dignum, censuere.* I Chrysiippus tamen non de natura communi sed propria, hoc Stoicorum de summo bono effatum capiebat. Et huius quoque sententiæ vestigia tum apud alios, tum maxime apud Antoninum, occurrunt. *Vtile autem, inquit, est unicuique id quod est natura eius & constructioni consentaneum. At natura mea rationis est compos, & civiliæ ætati accommodata.* I Nec vero mirum Antoninum mox cum Chrysippo, quandoque cum Cleanthe, interdum cum Zenone loqui. Non enim nisi verbis discrepant, & a se inuicem dissentiunt. Quod enim generatim per *ὁμολογίαν* suam Zeno extulit, illud rite determinauit Cleanthes. Chrysippi natura propria est pars essentiæ diuinæ, adeoque ipsius naturæ communis, quam asseruit Cleanthes.

§. II. Si ergo cum Chrysippo dicas, sum-
 mum hominis bonum esse, rationi conuenienter viuere, hoc est, virtuti operari, ni-

H 5

hit

(k) lib. V §. 19. (l) de Cas. pag. 516. (l) lib. VI

§. 32.

hil. quidem autumaueris, quod reprehensione dignum sit. Nisi forte quæ cum Peripateticis Stoicis intercessere lites, num in habitu an vero operatione & actione, summum bonum positum sit, resuscitare velis. Et tamen Stoici ne an Peripatetici, ex hoc certamine euaserint superiores, dubitari posset. Certe quæ Franciscus Piccolomineus ^m contra Stoicos disputat, a me nondum impetrant, vt eos errasse credam. Ioannes Baptista du Hamel autem verbis magis, quam re, eos discrepare, contendit. ⁿ Quidquid huius sit, alia omnino in hac qua porticus personuit doctrina sese offerunt, quæ ne utquam admitti possunt. Certe id extra litem est, per naturam eos ipsum intellexisse Deum, vtut nonnulli aliis quandoque vsi sint verbis. Vnde nihil illis frequentius, quam vt *Deum sequantur*, suos adhortari. Id vero non vna eademque ratione intelligi potest. Namque & de voluntatis submissione hoc capere licet, vt sequi Deum, perinde sit ac Deo se subiicere eique parere; & de imitatione identidem accipi potest, vt is Deum sequi dicatur, qui eum imitari an nititur. Priori modo hoc explicat Epicte- tus, *o sequi Deum, est mentem suam submittere.*

gu-

(m) in *philos. I. de morib. grad. IX c. X* (n) in *philosoph. moral. tract. I disp. III quest. I.* (o) *lib. I dissert. XII.*

gubernanti omnia menti, sicut boni ciuis, legi ciuitatis. Nec procul ab hac sententia abesse videtur Antoninus, cum sapissime homines adhortetur, vt fato se submittant. *Vltro te, fato praebe*, inquit, *patereque id de iis, quae ei visum fuerit, rebus destinare*, p. Hinc & eadem de causa mundum ciuitatem non semel vocat, cuius ciues sint singuli homines. *Quidam dixit O! chara Cecropis ciuitas, ego autem de Te O! munde, cur non dicam; O! chara Dei ciuitas.* Et sane recte atque praeclare admodum eos facere, dum nunquam non docent, vt Numinis voluntati nos submittamus, nemo dubitauerit. Nec enim satis id inculcari potest. At si deinceps patuerit, quid per Deum intelligant, constiteritque a maxima impietate illorum de Numine sententiam parum abesse, statim quoque palam fiet, ~~fusum~~ eos venditare, dum de voluntate nostra Numini submittenda praecipiant. Nimirum vt per naturam Deum, ita per Deum ipsam naturam & mundi animam, materiae alligatam, fato obnoxiam, & per cuncta corpora diffusam, intelligunt. Rem sine ambagibus edisserit Antoninus: *Quicquid O! munde, tibi conuenit, id omne mihi conuenit, nihilque mihi vel immaturum est vel tardum, quod tibi sit tempestiuum;*
omne

(p) lib. IV. §. 22. add. lib V. §. 6. [q] lib. IV. §. 15. add. lib. III. §. 9.

omne id fructum meum puto, quod tuæ ferunt ho-
 rae. Ex te sunt, & in te omnia, ac in te vnam
 omnia redeunt, O! natura rerum. r Certe quo-
 ties hæc expendo, audire mihi videor vo-
 ces impiorum profanorumque hominum, ,
 nullum Deum, quam qualem Spinoza sibi
 finxit, admittentium, & ob calamitates ac
 miseras ad summum desperationis articu-
 lum deductorum, & huc demum se recipi-
 entium, hæc ita ferenda esse patienter, ,
 quoniam necessario ferenda sunt, & natura
 rerum, fati legibus itidem subiecta, ferre iu-
 bet. Ecce! illud est Stoicæ disciplinae sum-
 mum bonum. Sane nisi me omnia fallunt, ,
 totius philosophiæ Stoicæ summa hoc ipso
 absolvitur. At potest, fateor, etiam de imi-
 tatione Dei, hoc capi. Videamus, quam be-
 ne sibi consulant, qui ita accipiunt. Certe
 praeclara res est, Deum imitari! In eo pie-
 tatem omnem Numinisque cultum contine-
 ri, nonnulli autumant. Nec errant profecto,
 si rite hoc intelligatur. s Sed introspeciamus
 paulo penitius in Stoicorum sententiam. Sta-
 tim grauisissimi sese nobis offerunt errores.
 Primo enim dum iubebant Deum imitari, si-
 mul Deum iisdem legibus obnoxium esse, ,
 quibus homines tenentur, innuebant. Cla-
 risime

(r) lib. IV §. 15. [s] conf. Henricus Morus in en-
 chirid. cap. V. p. 105.

risime hoc indicat Antoninus, vt alios taceam, hominem vocans, ζῷον ἰσὸνομον θεῶν, animal quod eadem lege regitur qua Deus ipse t. O! impiam vocem! Sed sibi constat error. Deus est anima mundi, siue natura: haec fati legibus; æque ac homines, est obnoxia. Hinc lepida ista Dei imitatio. Sed error errorem, vt cuneus cuneum trudit. Putabant enim, hominem ita Deum posse imitari, vt Deo etiam similis fieret. Seneca: *sapiens ille plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcussus, cum Diis ex parte viuunt.* Hinc & sapientem non supplicem Deorum, sed eorum socium, appellitant. Iouis autem felicitatem nulla parte optabiliorem, meliorem, aut augustiorem esse, quam felicitatem humanam viri sapientis, iidem pronunciant. Quin inter Deum & sapientem non aliud intercedere discrimen, docent, quam opulentiam & diuturnitatem. *Iupiter, inquit Seneca, quo antecedit virum bonum? diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris aestimat, quod virtutes eius spatio breuiore clauduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus qui senior decessit, non est beator eo, cuius intra pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate. Non est virtus maior quae longior. Iupiter omnia habet: sed nempe aliis tradidit habenda.* Ad ipsum hic

(t) lib. VII. §. 2. [u] ep. LIX.

unus usus pertinet, quod utendi etiam
 omnibus causa est. Sapiens tam aequo a-
 nimo omnia apud alios videt contemnisque quam
 Iupiter, & hoc se magis suspicit, quod Iupiter uti
 illis non potest, sapiens non vult. x Eadem &
 duriora abhuc alibi eloquitur. y Nec solum
 Senecam ita in transuersum egit Stoica am-
 bitio. Ipse Chrysiippus apud Plutarchum z
 & Epictetus a plane cum eo consentiunt,
 & virum sapientem Deo nihil deterio-
 rem esse, diserte pronuntiant. Horatius idem sibi
 vult, dum ex Stoicorum mente, ad sum-
 mam, inquit, sapiens uno minor est Ioue: b Hoc
 uno sapientem Ioue minorem esse innuit,
 quod Iupiter potentior sit & diuturnior: in
 reliquis eum non tantum parem Ioui, sed
 & superiorem esse. c Haec & alia eiusmodi
 Stoicorum effata quoties lego, & accuratius
 mecum voluo, toties audire mihi videor vo-
 cem infernalis genii, nobis omnibus funestis-
 simam, primis nostris parentibus accla-
 mantis: scit Deus, si comederitis de hoc fructu,
 tum oculos vobis apertum iri, atque ita vos fore tan-
 quam Deos. Communis iste plerorumque
 philosophorum gentilium est error. Parum
 conten-

(x) ep. LXXIII. (y) in libro de constant. cap. VIII.
 it. de provid. c. VI. (z) de repugn. (a) I dissert.
 XII. (b) lib. I epist. I. circa fin. (c) conf. Rap-
 poldus in comment. ad b. l.

contenti erant humana forte ambitiosi homines, ad diuinitatem adspirabant. Hinc Pythagoras non alium suae disciplinae finem esse voluit, quam *ὁμοίωσιν θεῶν*. Id disertè docet Hierocles a & ex eo Ioannes Schefferus. Hinc Platonici, Stoicique, & alii sua acceperunt commenta. Etsi enim veritas diuina hic subfit, a paucis forte intellecta: plerosque tamen vexabat ambitio. Laudandae inde etiam atque euehendae erant naturae vires, vnde maximis istis grauissimisque erroribus, qui inter Christianos deinceps repullularunt, subministrata fuit occasio. Sed id mea nunc non refert. Redeo ad Stoicos. Hos asseruisse per imitationem Dei, hominem Deo similem & parem fieri, mirum non est. Easdem enim virtutes, & Deum & homines felices reddere, autumabant. Musonii verba apud Stobaeum extant, quae rem omnem egregie edisserunt: *ne inter Deos quidem praestantius aliquid excogitari potest, quam prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia. Quemadmodum ergo Deus propter istarum virtutum praesentiam a voluptate & auaritia nequit vinci, superatque omnem cupiditatem, inuidiam, aemulationem: magnanimus, beneficus, & hominum amans est: talem enim Deum esse animo concipimus, sic & imaginem eius, videlicet hominem, similiter se habere*

(d) cap. LXIX. (e) de philosophia italica cap. VII.

se habere existimandum est. f Suam ergo proderunt, ignorantiam dicam an malitiam miseri, dum putarunt, ad tantum virtutis & sapientiae fastigium eniti posse homines, ut cum Numine ipso queant contendere: cum ipsa eos hoc docere potuisset experientia, inter mortales neminem vivere, quem non ad prava saepius abripiat sua indoles. Praeterea, si ad summam, quae in homines cadere potest virtutem & sapientiam quis perueniret, haec ipsa tamen infinitis modis inferior esset virtute & sapientia Numinis: si modo fas est, virtutem Numini, cuius perfectionem nemo vlla ratione cogitando assequi potest, tribuere. Intellexit id utcumque Architas Pythagoraeus, unde inter Deum probumque virum ingens intercedere discrimen autumat. Deum enim *sincerum & desecatam ab omni mortali affectu virtutem habere & integram atque inculpabilem vim possidere*, ait, hominem autem, *non solum mortali naturae habitu minorem hasce possidere, sed variis etiam de causis ad viri boni culmen non pertingere*; apud Stobaeum, §

§. III. Ceterum si quis summi boni factus fuerit compos, hic demum felix dici potest. Hanc quidem felicitatem ut describerent & designarent Stoici, sua excogitarunt paradoxa.

(f) *serm. CXXI.*

xa. Huc enim pleraque spectare, iam pridem viris eruditissimis observatum est. Nimirum asserunt, sapientem semper beatum esse, eum non errare, nec praeter opinionem illi quicquam accidere, solum sapientem pulcrum, diuitemque esse, eundem quoque regem posse vocari, & quae id genus alia sunt. Q. Horatius Flaccus summam horum effatorum paucis complectitur:

*Ad summam sapiens vno minor est Tone, diues,
Liber, bononatus, pulcher, rex denique regum.*

Præcipue sanus, nisi cum punita molesta est.

Quae omnia, ulteriori commentatione explicari possent, nisi factum hoc iam esset, a viris doctis Iusto Lipsio & atque Caspare Scioppio. M. Tullius Cicero quidem haec Stoicorum effata excusat, & defendit, & quo sensu dicantur, edisserit, in sapientemque vere ista nomina possidere docet, vtut irrideri ab imperitis soleant. *Rectius, inquit, appellabitur rex quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit.* Non tamen desuerunt, qui reiicerent ea, & acerbe perstringerent. Sic apud Plutarchum, *ο ἀπὸ τῆς σοφίας*

(h) confer. Becmannus in fin. doctrin. moral. cap. XII §. 7. (i) lib. I. epist. I (k) in manuduct. ad philosoph. Stoic. lib. II. (l) in elem. phil. Stoic. cap. CXXV. & seqq. (m) lib. III de fin.

ἄσσοφος βῶν μέγας κ' κερραγῶς, ἐγὼ μόνος εἰμὶ
 βασιλεὺς, ἐγὼ μόνος εἰμὶ πλάσις κ' αἰ δ' ἄται
 πολλὰ κ' ἐπ' ἀλλοτρίαις θύραις, λέγων, δὸς
 χλῆναν ἰσπῶναι, κἀρετα γὰρ ριγῶ, κ' βαμ-
 βαλίξω, *sapiens e portica clamans altum & in-*
tonans : ego solus rex sum, ego solus dives, & conspi-
citur interim ad alienas fores, musitans : da re-
gnum Hippoῶναι : namque frigeo totusque contri-
misco. n Nec minus Horatio haec effata va-
 pulant, dum subinde Stoicorum sapientem
 lepide delineat. Ita o hunc Stoicorum re-
 gem ut sutores inducit, & fuste pro sce-
 pto instruit, & turba circumfusum ut pu-
 blicum ludibrium fugit, & quadrante la-
 uantem, omnique aere destitutum sistit.

§. IV. Ne itaque temere Stoicos damne-
 mus, aut erroris incusemus, paulo accura-
 tius in hanc rem inquirere iuuabit. Para-
 doxa haec, Cicerone iudice effata sunt ad-
 mirabilia, & contra opinionem omnium,
 sed tamen verissima. Nec enim quod ad-
 mirabile est, aut cum communi hominum o-
 pinione pugnat, statim falsum est. Ipsa haec,
 qua per Numinis propitium fauorem initi-
 ati sumus, coelestis doctrina, quot admi-
 rabilia effata, quot paradoxa habet? Intelle-
 xit id Lippus Brandolinus, unde septem
 paradoxa Christiana scripsit, Ciceronem i-
 mitatus. Nimirum: diligendos esse inimi-
 COS

(n) de repugn. Stoic. (o) Satyr. III lib. I,

cos, mortem flagitio anteponendam, nullam in hac vita felicitatem esse, non esse in honoribus felicitatem; nec in fama aut gloria. nec in virtute, aut scientia, sed in amando fruendoque Deo. Quorum nonnulla tamen eiusmodi sunt, vt in philosophorum quoque, præsertim Platoniorum, & Stoicorum, scholis audiantur. Quin ipse Chrysofostomus, vir doctissimus aequae ac eloquentissimus, non raro eiusmodi paradoxa, verba ad populum faciens, proponere solebat. Audire de eo iuuat Sixtum Senensem: *Digreditur*, inquit, *in tertia parte quae semper ethica sine moralis est, non solum ad locos illos ethicos omnibus pro concione loquentibus communes, nempe de diuitiarum contemptu, de luxu, crapula, ira, arrogantia, ceterisque vitiis fugiendis, sed exspatiatur saepissime, in selectis quibusdam moralis institutionis paradoxis, sibi uni propriis.* Hinc Chrysofostomi paradoxa subiicit Sixtus, quae cum elegantissima sint, plurimumque bonae frugis habeant, ex eodem repetere nos non pigebit: *virtutem nec esse rem molestant, nec acquisitu difficilem: multo facilius esse bene viuere quam male: parua leniaque peccata maiori studio vitanda esse quam magna: nullum supplicium mala conscientia atrocius esse: neminem laedi posse nisi a semetipso: melius esse iniuriam pati quam inferre: multos iniuste laedere, neminem iniuste laedi: ignominiam huius mundi esse gloriam: gloriam vero mundi ignominiam:*

am : vitam hanc non esse vitam sed mortem : mortem esse vitam meliorem : maximum fieri in tribulationibus & tentationibus lucrum : quod omnia supplicia, mortalibus immixta, magna sint divinae pietatis beneficia : eleemosynam esse artem omnium quaestuosissimam : solitudinis & solitariae vitae comoda omnibus felicitatibus esse potiora : quod regno Dei privari peius sit, quam gehennae supplicium : quod nolle omnia scire, summa sapientia sit : quod Christi divinitatem etiam absque ullis divinarum litterarum testimonio clarissime aduersus omnes gentes demonstrare possimus. . . Eadem ex Sixto Senenfi refert Henricus Iulius Scheurlius. p Longe plura autem, ducenta nimirum & octoginta paradoxa ex sacris literis collegit ediditque Sebastianus Francus anno MDLIX ad ingenium exercendum, vitamque & mores formandos aptissima. Nec vero mirum eiusmodi effatis admirabilibus coelestem doctrinam affluere, cum tota, quanta quanta est, hominum sibi relictorum, nec Numinis gratia afflatorum captum, infinitis modis superet. q Sed ad Stoicorum paradoxa redeo, deque iis ita censeo, ea neutiquam ideo, quod *παράδοξα* sint, reprehendi posse. Sunt tamen alia quae in hoc Stoicorum instituto mihi non placent. Primo namque multa inter haec effata sunt non tantum *παράδοξα* sed &

(p) in bibliographia morali §. CXII p. 185. (q) 1. Cor. II, 14.

& παράλογα, quaeque cum veritate palam
 pugnant. Id euincetur in sequentibus. De-
 inde quae de sapiente suo iactitant, ea qui-
 dem vera essent, si sapiens talis quem ipsi
 sibi fingunt, consummatus videlicet omni-
 busque numeris suis absolutus, unquam
 extitisset. Cum vero nemo eiusmodi sapi-
 entem, quem cum Horatio non immerito
 abnormem dixeris, unquam viderit, nec vi-
 furus vllus mortalium sit, omnia haec, quae
 tam magnifice dicuntur, in fumum abeunt.
 Recte Plutarchus de hoc Stoico sapiente :
 ἔστι δὲ ἄτος, ἕδαμὸς γῆς, καὶ γέγονεν. Est ve-
 ro nusquam gentium τετρακκύννη, nec fuit. Et
 Cicero in Laelio : Stoicis eam sapientiam interpre-
 tantur, quam adhuc nemo mortalis est consecutus.

§. V. Cum veritate pleraque Stoicorum
 paradoxa pugnare, deinceps equidem euin-
 cetur. Hic tamen vnico documento, quod
 luculentum admodum est, illud comproba-
 re, nostra interest. Docent quippe inter a-
 lia, sapientem sibi sufficere, se solo contentum esse.
 Senecae, aliorumque effata, quibus euinci
 possit, Stoicos hoc sibi persuadere, collegit
 Lipsius. Ego vero ex Antonino meo non-
 nulla addo, Lipsio, ceterisque praetermissa.
 Nimirum, diserte asserit, nihil praestanti-
 us inueniri posse, quam *animum se contentum,*

13 sibi

(r) l. c. (s) in *manuduct. lib. III disert. X* (t) lib.
 III §. 6.

sibi que sufficientem, dum suas actiones rectae rationi consentaneas praestat, & quae fati necessitate contingunt, non autem a voluntate pendent, libenter amplectitur. Quin hanc esse naturam mentis ut se ipsa esse contenta, sibi soli sufficere possit, contendit, *ἢ εἰς αὐτὸν συνελθῆ. Φύσιν ἔχει τὸ λογικὸν ἡγεμονικὸν, ἑαυτῷ ἀρκέσαι δικαιοπραγεῖν, καὶ παρ' αὐτὸ τῆτο γαλήνην ἔχοντι.* Hanc perfectionem animae, qua sibi sufficit, Stoici aequae ac Platonici designaturi, eam cum corpore rotundo, utpote perfectissima figura praedito contendere solebant. Hinc illud Horatii *& in se ipso totus teres atque rotundus, externi ne quid valeat per lavemorari.* Ad quæ locum Rappoldus *z* ac Dacerius ad Antoninū *z* plura hac de re commentantur. Haec Stoici. Num bene, merito dubitaueris. Sane si homo sibi sufficit, se ipso contentus est, non desiderabit Deum. Palam itaque hoc Stoicorum effatum cum amore Numinis, & inde resultante *sui abnegatione* pugnat, & adeo rectae rationi non minus, quam Christianae doctrinae legibus, aduersatur. Vidit hoc etiam eruditissimus Beermannus. Hinc postquam hocce Stoicorum paradoxon retulit, addit: *hoc ipso Stoæ, quæ alias iudicio ipsorum SS. Patrum, Christianorum doctrina*

[u] l. VII §. 21 (x) lib. II sat. VII, (y) ad h. l. p. 434, [z] ad Antonin. lib. VIII §. 43. p. 112.

doctrinae proxima est, differentiã suã a religione Christiana manifesto prœdit, cuius inter primã principia est abnegatio sui, h. e. non sibi viuere aut sufficere, sed unice Deo, in Deo, & per Deum viuere.

S. VI. Facere non possum, quin & de illo Stoicorum effato, quod virum sapientem etiam inter tormenta beatum atque felicem esse prædicat, aliquid subnectam. Saepius hoc illis in ore esse, infinita Senecae aliorumque quæ a viris doctis subinde congesta sunt documenta, comprobant atque restantur. Ego rursus Antoninum testem aduocabo, idque eo libentius, quod hunc vtut Stoicorum facile princeps sit, neglectum passim videam. *In maxima, inquit, animi voluptate (εν πλείστη θυμῳδία) licet viuere tutum ab omni vi utcumque omnes quæ volunt, contra nos clamitent, καὶ τὰ θνητὰ διασπᾶ τὰ μελύδρια τῆ περιτετραμμένῃ τῆτ Φυράματος, etiamsi circumdatae corporeae huius molis membra a feris lanientur. Quid enim obstat, quo minus interim mens se ipsam conseruet in tranquillitate, veroque de rebus præsentibus iudicio, & vsu eorum, quæ sunt prae manibus, expedito.* Non dissimulat Antoninus iam a pluribus hocce Stoicæ disciplinæ oraculum reprehensum, ab aliis etiam irrisum esse. Et sanè non immerito hoc nomine vapulant Stoici, id quod præclare & erudite demonstrat Hipponen-

sium praesul Augustinus, b qui hunc Stoicorum errorem *absurdissimum* vocat, eumque non tantum cum ratione, sed & ceteris Stoicorum placitis pugnare, contendit. Quo nomine mirari satis nequeo eundem ab Arnolfo Geulingio reuocatum iterum ab orco, licet paulisper immutatum, & in scenam productum esse. c Et certe rationes quas affert non sunt vllius momenti, modo vocum ambiguitas sedulo euitetur. Etenim si ea sola calamitas est & miseria & infelicitas, quae animam afficit, tum quidem contingere potest, vt inter tormenta etiam aliquis non infelix dici possit. Fingamus hominem sapientem omnibus numeris suis absolutum, cum inopia, morbis aliisque grauissimis calamitatibus colluctari; hunc quidem dolorem sentire nemo sanus abnuerit, at non tamen commouebitur, placido semper tranquilloque erit animo, & quidquid Numen immiserit patienter feret. Felix ergo erit & beatus: eo quod mens eius non commoueatur, si voce *felicitatis* ita uti velis. Quis vero mortalium, praesertim solis naturae viribus instructus, ad tantum virtutis & sapientiae gradum peruenit? Inania ergo & nubes hic iterum prensant, qui Stoicorum iactantiam defendunt. Recte Dacérius iudicat

(b) *epist. LII.* (c) *tract. II. etb. §. 2. p. m. 116. seqq.*

Dicat: Il est certain que cette opinion etoit traitée de ridicule par toute sorte de gens, & avec injustice; car il est bien vray que l'homme a eu cet empire sur luy-meme & sur ses passion; mais il l'a perdu par le peche, & il ne peut plus le recouure que par le grace.

S. VII. Nunc demum de principiis actionum humanarum nobis dispiciendum prius est, quam ad ipsa officia descendamus. Intellectum & voluntatem, pro principiis earum venditari, constat, nec inuitis quidem Stoicis, sed talia iterum admiscentibus, quae tolerari nequeunt. De intellectu insignis extat Antonini documentum, quod hic legi nostra omnino refert. *Anima, inquit, globo similis est, figuræ æquabilis, quando neque effert se, neque contrahit, neque subsidit, addæ Φωτὶ δάμπνηται, sed lumine fulget, quæ veram tum aliarum omnium rerum naturam, tum suam ipsius perspicit ac contemplatur.* Hic quod animam lumine fulgere dicit, omnino de intellectu est capiendum. At num proprio an vero alieno lumine fulgeat, ex mente Antonini, id quidem non adeo liquet. Certe Dacerius de lumine Dei quo anima perfunditur, hoc disertè capit. Nimirum animæ nostræ eandem conditionem esse ait, ac corporis rotundi. *Hoc enim si non*

I 5

perfecte

(d) *add. Malebranche lib. V de inquirenda veritate cap. II, (e) lib. XI §. II.*

perfecte rotundum fit, quibusdam forte partibus eminentibus, aliis depressis, totum corpus lumine non perfunditur: sic & si vitiiis commaculata sit anima, diuini luminis non est capax. *Il en est de meme, inquit, de l'ame, pendant qu' elle est egalle & arrondie en elle meme, elle reçoit également par tout la lumiere dont il plait a Dieu de l' eclairer: mais des que le vice y fait de enfoncemens ou des bosses, il empeche necessairement le cours de cette lumiere.* Et certe cum ceteris Stoaе placitis haec optime cohaerent. Particula ista diuinae essentiae, quam animam vocant, in corpus velut in carcerem est detrusa, & caligine plane obruta, nisi a Deo, vnde manauit, vel cuius potius pars est, illuminetur. Purganda itaque est ab omnibus corporis commotionibus vitiisque, quae a corpore in eam redundant, vt ita coniungatur iterum cum diuina essentia, luminisque particeps fiat. Non procul hinc abeunt, quae de intellectu agente veteres nonnulli commenti sunt. Plato nimirum aequae ac Aristoteles intellectum agentem hominibus vindicant, sed diuerso vterque sensu. Namque ille quidem intellectum istum iuxta numerum indiuiduorum humanorum multiplicauit: hic autem omnium, quotquot sunt aut fuerunt vnquam, aut erunt, vt vnum animum immortalem, ita & vnum intellectum

Etum agentem posuit. Ad Aristotelis sententiam prope accedere videntur Ebraei doctores, dum apud Ebraeos ipsum Numen intellectus agentis munere fungi, sibi persuadent, & huc illud *Psalmi*: *in lumine tuo videbimus lumen*, ^f trahunt. g. Sed in eo rursus dissentiunt, quod suae saltem genti hunc honorem vindicent, apud ceteros autem homines genium quendam siue ministrum intermedium, qui vi atque auctoritate a Numine deriuata, mentem humanam in actu intelligendi illuminet, intellectus agentis vicem sustinere, contendant. Obseruauit id quidem ex Aben Tybhon, R. Iehudah, aliisque Ebraeorum doctoribus Ioannes Seldenus ^h Sed in quo philosophi Ebraeorum Gentiliumque inter se conueniant dissentiantque, non accurate satis docuit. Etenim ex iis quae haecenus commentatus sum patet, nec cum Aristotele plane facere Ebraeos, nec cum Platone, propius tamen ad illius, quam huius sententiam eos accedere. Stoicis itidem illis philosophis annumerat Seldenus, qui intellectum agentem admitterunt, idque Antonini nostri quodam effato comprobatur: sed rursus a ceterorum philosopho-

[f] XXXVI v. 9. (g) *vid. Maimonides in Moreh Neuchim part. II c. IV*; (h) *lib. de I. N. & G. cap. IX. p. 108.*

Iosophorum decretis eorum sententiam non satis discernit. Ego quidem arbitror a Platonis sententia propius eos abesse quam ab Aristotelis. Sane in eo cum Platone consentire videntur, quod unicuique animam peculiarem, & velut separatam diuinæ tamen particulam essentiae, obtigisse arbitrantur. Sane Antoninus, diserte *Iouem unicuique suum genium, diuinæ naturæ particulam*, dedisse autumat. An vero intellectus agentis & illuminantis nomine ipsam animam nostram siue mentem, indigitauerint; an vero Deum ab hoc essentiae suae particula distinctum; id quidem est, quod forte non facile definiri potest. Id constat, plures vna in homine eos statuisse animas. Hinc Antoninus: *Τρία εἰσὶν ἐξ ὧν συνέστηκε σωματίον, πνευμάτιον, νῦς. Tria sunt ex quibus constat, corpus, anima, mens.* i Vnde perquam commode illorum sententia ita explicari potest, vt cum Platone, ex cuius placitis ceteroquin haud pauca hauserunt, consentiant: videlicet; vt mens agentis intellectus nomine indigitetur. Si vero eam amplectamur sententiam, in qua Dacierius haud obscure esse videtur, ipsam mentem siue *τὸ ψυμμοικόν* lumen a Deo recipere, eo quidem modo, vt antea autumauimus, Deo potius

[i] lib. XII §. 3.

potius, intellectus agentis & illuminantis, munus, quam menti humanæ competet, adeoque a Platonice dissentient Stoici. Nisi dixeris, quod mihi valde fit verosimile, nec Stoicos nec Platonicos satis sibi constare. Id certum & Platonicos, aequè ac Stoicos, asseruisse, intellectum siue mentem hominis vitijis a corpore in illam redundantibus commaculari non raro, & velut obfusari, quo minus diuinum recipere lumen possit. Hinc sæpius hoc illorum votum audiebatur: ἡ Φύλη ψυχῆ πάντε μιὰ ἔση, ἢ γυμνὴ καὶ ἀπλή. Id quod bene obseruat celeberrimus Platonice philosophiæ restaurator Henricus Morus. ^k Qui oculum cum anima eleganter contendit, & illud Antoni: ἀπλωσον σεαυτὸν erudite hæc refert. Nimirum optabant hi Stoicæ Platoniceque philosophiæ alumni, vt mens nuda esset & immunis omnium vitiorum, quæ ex corporis commercio in eam redundant, vt diuino intellectus agentis, hoc est, ipsius Dei lumine perfundi posset. Vnde luculenter euincitur eos intellectum illuminantem discreuisse ab ipsa mente: licet hæc iuxta illorum quoque sententiam pars quaedam & ἀπόσπασμα fuerit diuinæ essentix. Atque
hinc

[k] in discourses on Several Texts of Scripture, ad
Matth. VI, 22, 23.

hinc, quae ex illorum mente in actionibus moralibus intellectus sit operatio, haud difficulter intelligitur. Etenim qui hisce Platonicae Stoicaeque sapientiae commentis procul facessere iussis, rectae rationi, ita ut par est, litant, animae humanae hanc esse indolem intelligunt, ut nec pro diuinæ essentiae particula venditari, nec tamen cum brutorum animabus in eandem fortem detrudi debeat. Sed Spiritum esse contendunt, expertem materiae aequae ac finis, intelligendi volendique facultate praeditum. Vtramque facultatem multis magnisque morbis & imperfectionibus laborare vident: interim, intellectus quidem eam esse vim, per experientiam edocti, sciunt, ut naturam humanam contemplando, quid iustum quidue iniustum, quid bonum quid malum, quid honestum quid turpe sit, utcunque assequi possit. At Stoicos contra Platonicosque longe secus hic sentire necesse est. Cum enim mentem nostram ab intellectu agente omne lumen recipere autument, necesse est ut etiam asserant, honesti & turpis, & ut paucis dicam omnium principiorum, quae ad formandas hominum actiones pertinent, cognitionem ex intellectus agentis, hoc est ipsius Dei indicatione & revelatione prouenire. Atque hoc est, quod etiam vidit & late profecutus est Iohannes

annes Seldenus, in saepius nobis laudato libro i. An ergo haec veritati consentanea sint, haud immerito dubitatur. Non dicam, quot monstra secum vehat, haec de intellectu agente sententia, quocunque etiam modo explicetur. Nemo enim tam rudis est qui non videat, per eam magnis erroribus aperiri fenestram, dum cuius diuinas reuelationes & inspirationes iactare, suaque iis palliare & circumuestire somnia possit. Praeterea experientia reclamatur & cuiuslibet sensus. Quisquis enim ad sui intellectus operationes rite attenderit, statim hoc ita vt dixi sese habere deprehendet. Sed tota quoque moles lubrico admodum innititur fundamento, scilicet animam hominis aut esse ipsum Deum aut diuinæ essentiae particulam. Quod commentum, cum iam supra explosum fuerit, etiam qui ei innititur error, sua sponte corruit.

§. VIII. Alterum actionum humanarum principium est voluntas. Hanc libertate gaudere, saltem in actionibus moralibus ciuilibusque, & ratio dicitur, & sapientes omnes communi consensu & confessione docent. Nec diffiteri hoc videntur Stoici. Antoninus menti nostræ dominium diserte tribuit, quod sine libertate esse nequit. *Non magis*

(1) l. c.

magis, inquit, *m ad meam* (voluntatem) voluntas aliena pertinet, quam vel anima eius vel caro. Nam etsi maxime verum est, unumquemque nostrum esse alterius causa natum, ὅμως τὰ ἡγεμονικά ἡμῶν ἐκείνων τὴν ἰδίαν κυρίαν ἔχει, tamen principes nostrum partes, suum qualibet dominium obtinet. Idem Iuluculentius alibi *n* explicat. Cylindro quidem non datur, ut quovis loco feratur suo proprio motu, neque aqua neque igni, neque aliis, quæ a natura aut anima rationis experte reguntur: multa enim sunt quæ obstant eî & intercipient. Mens autem sine ratio per omnia quæ resistunt, pergere potest, secundum suam naturam & voluntatem: hoc est, mens tanta libertate gaudet, ut quidquid velit, facere possit. Taceo cetera: infinita enim fere sunt, quæ hunc insensum afferri possent, documenta, quorum plurima iam congesit Petrus Daniel Huetius o.

§. IX. Sed vero si accuratius mentem sententiamque Stoicorum expendamus, duo grauisissimi, & sese mutuo euertentes nobis offeruntur errores. Mox enim voluntatis humanæ liberique, ut vocari solet, arbitrii limites ultra quam par est extendunt, mox nimis eos coarctant & omni libertate homines priuant. Illud faciunt, dum

(m) lib. VIII §. 47. [n] lib. X §. 31 [o] in quatuor signibus Almetanis lib. II cap. IX p. 169.

dum negant virtutem donum Dei esse, & de proprio Numinis fauore detrahentes, exercitationi & humanae naturae viribus cuncta tribuunt. Hinc Cicero ex illorum mente ad communem *πρόληψιν* siue anticipationem prouocans, virtutem neminem unquam acceptam Deo retulisse, diserte docet p & paucis interiectis: *num quis quod bonus vir esset, gratias Diis egit unquam? at quod diues, quod incolumis.* Nec minus M. Aurelius magnificis verbis subinde hac de re disserit: *quod ubique & semper in tua est manu positum, ut ea, quae in praesentia tibi acciderunt, & approbes pie, & cum hominibus qui tecum sunt, iuste agas, & visa oblata accurate examines.* Eadem & alibi inculcat r. Luculentum vero admodum eius effatum est, quod libro octauo, extat: *contineret te ipsam admone: nunc in mea est potestate, ut in animo hoc nihil sit malitiae, nihil cupiditatis, nihil tumultus.* Seneca vero, *stultum esse,* ait t, *bonam mentem a Deo optare, cum unusquisque eam a se impetrare possit.* Idque & Horatius innuit, dum ex Stoicorum disciplina vitam quidem a Numine petit, at virtutem sectari, id in sua esse potestate, profitetur: *des vitam, des opea, aequum mihi animum*
K
ipse.

[p] lib. III de natur. deor, (q) lib. VII §. 30.
 (r) lib. V §. 14. & lib. VI §. 15. (s) §. 25. (t)
 epist. XLI [v] lib. I epist. XVIII.

ipse parabo. Pulcerrimam fateor, masculae philosophiae speciem haec prae se ferunt. Sed latet sub pulcra veste putidum corpus. Naturae viribus, suaeque industriae omnia dabant, Numinis, fauore procul facessere iusso. Nimirum praeclearum hocce exemplum Pelagio aliisque caelestis doctrinae, deprauatoribus, qui itidem naturae vires supra quam dici potest, quamque par erat, extulerunt, praeruerunt Stoici. Et vero poterant facile ab ipsa experientia, & quam omnes exploratam habebant, naturae ad mala quaeuis propensione, cuius tamen fontem ignorat ratio, conuicti, & meliora edocti rectius sapere, nisi ambitio obstitisset, quae in grauisimos errores eos praecipites dedit. Quanto praeclearius Plato hic censuit, dum in *Menone* virtutem neque natura, neque exercitatione parari, sed donum Dei merum esse asseruit. Id quod tamen caute intelligendum, cum Deus modo, ordinem & leges, quas ipse sibi constituit evertente, virtutem nemini impertiat. Cum Platone etiam facit Homerus x. Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἀνδρῶσιν ὀφέλλειτε μιν ἔδειξε ὅππῃ κεν ἐθέλωσιν, *Jupiter autem virtutem viris augetque minuitque, prout voluerit.*

§. X.

(x) *Iliad. V v. 242.*

§. X. Contra hanc ipsam humanae voluntatis libertatem tollit plane atque evertit impium Stoicorum fatum. Quam istud in Deum iniurium sit, deinceps edisseram. Nunc illud saltem contendo, humanae voluntatis libertatem cum isto Stoicorum fato, plane consistere non posse. Iam ipse, Oenomaus Cynicus philosophus hoc nomine reprehendit Chrysippum, quod mentem nostram subiecerit fati necessitati, nativamque libertatem nobis ademerit, in libro, quem indaginem praestigiatorum vocat, apud Eusebium ^y Interim diffitendum, non est, Stoicos hunc errorem omni opera se amoliri. Chrysippum Cicero refert, putasse quidem fato omnia regi, sed ita tamen ut necessitate liberaret animos ^z, atque ita eodem Cicerone iudice, tanquam arbiter honorarius sedebat inter eos, & qui fato vim necessitatis afferri, & qui motus animorum sine vilo fato voluntarios esse dicebant. At haec pugnare inter se contendebat Carneades, & recte quidem. Nec profecto qui defendere Stoicos annuntur, suis argumentis multum proficiunt, id quod praeclare demonstravit B. Iacobus Thoma-

K 2 sius

(y) Praepar. Evang. l. VI c. 7. add. Theoph. Raynaudus theol. natur. dist. VIII. n. 104. & 196. & Vossius de idololat. gentil. l. II c. XLIX. (z) lib. de fato.

fius a. Equidem non desunt qui dubitant,
 an omnibus Stoicis haec de fato sententia
 haeserit. Diserte id negat Goclenius b. &
 hoc nomine aliis vapulat. Quo iure, non
 disceptabo. Saltem id non obseruare ne-
 queo, M. Aurelium Antoninum hac de re
 ita verba facere, vt Goclenii sententiam
 confirmare videatur, *Omnia sunt*, inquit c,
αὐτὴ ἀνάγκη εἰμαρμένη, ἀπαραβάτῳ τάξις,
necessitas fatalis, atque ordo inenitabilis (h. e. fa-
 tum immutabile, ex mente eorum, quos ri-
 gidiores appellitare posses) *αὐτὴ πρόνοια ἰλάσι-*
μῳ, prouidentia placabilis (h. e. prouidentiae
 Numinis cuncta etiam ipsum fatum, subiecta
 sunt, ex mente aliorum, quos mitiores dix-
 ris) *αὐτὴ Φυρμὸς εἰκαιότητῳ ἢ ἀπροστάτητος*
confusio inanis & nullum habens rectorum (quae
 erat Epicuraeorum sententia) *Quod si est ne-*
necessitas inenitabilis, quid reluctabis? sin prouidentia
quae admittit placationem, dignum praebe te ipsum
diuino auxilio. Sin confusio est cui praesit nemo,
contentus esto, quod in tanto rerum fluctu, ipse in te
habes mentem. Quod si vero quis existima-
uerit, Marcum Imperatorem prouidentiam
a fato distinctam, non ex suo aut Stoico-
rum, sed aliorum philosophorum mente
 pone-

[a] de exust. mundi Stoic. dissertat. XIII p. 166. &
 seq. (b) in lex. phil. p. 571. (c) lib. XVI
 §. 12.

ponere, is me non habebit sibi refragan-
tem. Quin tum eo magis palam fiet, quam
fallantur, qui defendere Stoicos annuntur,
cum hic fatum a prouidentia diserte discer-
natur d.

§. XI. Quod vero Stoicorum, aliorum-
que, hominibus libertatem eripientium sen-
tentia cum recta ratione pugnet, haud dif-
ficulter demonstrari potest. Etenim hoc
vel inde colligitur, quod si secus se res
haberet, nec poenis, nec praemiis, nec le-
gibus, nec consultationibus, aut aliis me-
diis, quibus coercetur & refrenatur impro-
bitas, virtus autem fouetur & excitatur,
locus sit. Quid prodesse leges, si his
non obstantibus, non posset non agere ho-
mo, atque per fati necessitatem raperetur?
Nonne iniquum esset punire improbos, cum
non potuerint non peccare? Etcum illis im-
putantur scelera, quibus se non obstringe-
re, utique penes illos non stabat? Nonne
summa stultitia esset deliberare, consultare,
capere consilia? Nihil enim vel sapientis-
sima proficerent consilia, nihil diligentissi-
mae prodesse consultationes. Quodcun-
que enim quis ceperit consilium, id ramen
eueniret, quod ex fati lege euenire debe-
bat. Procul ergo faceffat & hicce Stoico-

K 3

rum

(d) *add. Antoninus lib. IX §. 22.*

rum, furor dicam, an error, de quo Neme-
sius, e Slevogtius, f Conradus Horneius, g
aliique legi merentur.

§. XII, Sed nec in ipsa actionum humana-
rum natura edifferenda adeo felices sunt Sto-
ici, vt non & hic aliquando a recto aberrant
tramite. Quam enim ineptum est, & cum omni
ratione pugnat, quod docent, peccata esse
aequalia! *Placet Stoicis*, Cicero inquit, h o-
mnia peccata esse paria. In Oratione autem
pro Muraena, ex eorum mente porro do-
cet: omnia peccata esse paria, omne deli-
ctum scelus esse nefarium, nec minus delin-
quere eum, qui gallum gallinaceum, cum
opus non fuerit, quam qui patrem suffoca-
uerit. Marcus Antoninus tamen, videtur
hunc errorem suorum vtcunque corrigere,
dum nihil ob stare dicit, quo minus popula-
ri quadam ratione crimina inter se compa-
rari possint. Dignum eius effatum est, quod
hic legatur: *doctè Theophrastus, & ut philoso-
phum decebat, ubi peccata cum peccatis comparat,*
(nam populari quadam ratione peccata comparari
nihil prohibet) *ea quae per cupiditatem commit-
tuntur peccata grauiora esse iis, quae per iram, pro-
nunciat.* i An vero hinc colligere liceat An-
tonium

(e) *de nat. hom. cap. XLI.* (f) *diff. academ. XXIV*
§. 8. [g] *philosoph. moral. lib. II c. V* §. 3. & aliis
[h] *lib. IV quaest. academ. (i) lib. II* §. 7.

toninum ceterorum Stoicorum de peccatorum aequalitate sententiam, plane reiecit, quemadmodum Dacierius quidem & autumat, ego dubito. Quidquid huius sit, recte Horatius :

Quae paria esse fere placuit peccatis laborant,

Cum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant,

Atque ipsa utilitas, iusti prope mater & aequi, l

Et iterum :

Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,

Qui teneros caules alieni fregerit horti,

Et qui nocturnus Divum sacra legerit.

Ita enim est : possunt actiones tum bonae tum malae duplici ratione spectari, formaliter & materialiter. Liceat enim mihi hisce vocibus, quas usus iam comprobavit, & non plane eliminandas esse docuit, more in scholis recepto, uti. Bonae igitur actiones, priori modo consideratae, quo pacto nihil aliud nisi convenientia cum lege innuitur, ita se habent ut una altera melior esse nequeat. Recto enim nihil rectius esse potest. Quamprimum aliquid minus rectum est, non amplius est rectum. Et i-

K 4

stud

(k) in notis ad h. l. (l) lib. I sat. III.

stud quidem est quod nonnulli dicunt, nullam actionem bonam esse nisi summe bona sit. Cuius asserti haec afferri rationes solent, quod virtus consistat in puncto, quod quia simplex est, summum est. Deinde & omnem virtutem in ens summum Deum, tendere aiunt per quem sola est, & sine quo nihil est. ^m At si posteriori modo actiones bonas aestimaueris, tum unam altera meliorem esse is demum asseret, qui eiusdem conditionis esse, circa quae nostrae occupantur actiones, turpi errore delusus, sibi persuaserit. At ad malas quod attinet, utroque modo eas comparationem inter se admittere constat. Ut enim vna curvitas a rectitudine magis discedit quam altera, ita & vna actio mala a lege longius remota est, quam altera. Et ut bonas, ita & malas actiones ipsa obiecti nobilitas aut ignobilitas peiores aut minus malas reddit. Causae tamen etiam saepius, & omnes *περισσότερον* multum conferunt, ut actio mala, altera vel peior, vel minus mala, censeatur. Quae de re scholastici doctores multa subinde disceptant, ut definiant tandem, quatenam peccata *mortalia* sint aut *venialia*. Sed cum perperam admodum crimina, ut illi quidem faciunt, ita discernantur, omnes illorum labores in summum

[m) *add. Becmannus in lin. doctr. moral. cap. X §. 2.*

num abeunt. Illorum tamen sententiam hic memorasse iuuabit, qui grauitatis & leuitatis, quae actionibus tribui solet, rationem paulo profundius rimati, eam & inde prouenire autumant, quod grauius peccatum plura crimina inuoluat, contra quo simplicior actio quaedam mala sit, eo leuius quoque sit crimen. Nimirum grauitas leuitasque actionum nostrarum non aliter se habet, ac grauitas leuitasque corporum naturalium. Natura omnia corpora sunt grauia. At altero altero grauius est, quia plurimum corporum simplicium complexu constat. Ita & cum actionibus nostris comparatum est. Nullum delictum per se leue est; At unum delictum altero grauius est, quia non simplex est, sed compositum combinatumque ex pluribus delictis. Adulterium grauius delictum est scortatione, quia adulter non tantum se polluit, sed fidem datam in super violat, remque alienam contractat. ⁿ Praeclare quidem & eleganter haec differuntur. Nec video quid in hac sententia desiderari possit, modo ad cuncta exempla, haec grauitatis leuitatisque ratio quadret. Interim quam turpiter se dederint Stoici pertinacissimi mortalium, inde luculenter patet: vt adeo grauisimus hicce error, ab Epicuro apud Diogenem Laërtium o Cicerone

K 5

rone

(n) conf. Becmannus l. c. c. X §. 4. (o) lib. X.

rone, p Augustino, q merito profligatus fuerit atque explosus.

§. XIII. Ad ea quae actiones morales consequuntur, pertinet poena, siquidem actiones fuerint malae. Nec vero & haec moralis doctrinae pars omnis erroris in scholis Stoicorum est immunis. Etenim qui ciuiliū moraliumque rerum indolem accuratius perspectam habent, ita censent, omnium quidem maximopere interesse vt crimina puniantur: at saepius tamen eam rerum esse faciem & conditionem, vt non tantum non expediat scelus punire, sed & plane iniquum videatur. Adhuc hoc Stoici & sapientem nunquam ignoscere clamitant. Ita apud Stobaeum differunt, φασί μηδέποτε συγγνώμην ἔχειν καὶ νομίζειν, τὸν ἡμαρτηκότα, μὴ κατ' αὐτοῦ ἡμαρτηκέναι, πάντων ἀμαρτανόντων παρά τὴν ἰδίαν κακίαν. διὸ καὶ δεόντως λέγεσθαι, τὸ μὴ συγγνώμην ἔχειν τοῖς ἀμαρτανύουσι: aiumt nunquam veniam dare aut ignoscere sapientem & cum existiment, qui peccauit, non contra aut praeter mentem peccasse, omnibus scilicet peccantibus propria malitia. Ideoque & recte dici, veniam non indulgere peccantibus. Rationem itaque hanc afferebant, quod, quicumque peccat, peccet sponte,

(p) de finib. L. IV (q) lib. II de sentent. Iacobi Apost. (r) sermone XLIV.

nee & propria malitia, non itaque dignum esse, cui iudex ignoscat. Quae enim non ex malitia, sed errore aut ignorantia proficiuntur, peccata esse negabant. Sed parum hac ratione proficiunt. Namque id est de quo disceptatur, an eiusmodi peccata semper puniri debeant. Aliam rationem affert Cicero: *Fatetur inquit, aliquis se peccasse, & eius delicti veniam petit? nefarium est facinus ignoscere. At leue delictum est? omnia peccata sunt paria.* Nimirum hoc sibi vult, Stoicos ita ratiocinari, si ignoscendum sit delictis, aut omnibus ignoscendum esse, aut nulli. Cum enim peccata sint paria, non esse causam, cur quibusdam ignosci debeat, ceteris non item. At quis non videt, Stoicos ad vnum errorem firmandum, alterum ineptissime vocare in subsidium. Perperam quippe eos asserere, quod peccata sint aequalia, satis vt puto, haecenus evictum est. Sed instabant Stoici: *quibus quis sit dignus ea omnino illi esse tribuenda.* Rurfus perperam. Etenim si quis praemio dignus sit, & vero eodem praeter culpam priuetur, quin ei fiat iniuria, dubium non est. Poenae autem longe alia ratio est, quam praemii. Namque cui poena remittitur, ille, siquidem sanus sit & mentis compos, nullam habebit conquerendi causam. Sed pergunt:

(s) in orat. pro Myraena.

pergunt : si quis ignoscat , illum in legem ipsumque Legislatorem esse iniurium. Perinde enim hoc esse , ac si existimet , *poenas lege constitutas delinquentibus nimium duras esse, aut legislatorem iniquas praescribere poenas.* Sed iterum nubes confectantur. Etenim si quis leges iustas, iniustas durasque diceret, is omnium consensu & confessione peccaret. Iam vero contingere potest, ut ob certas rationes & *περιστάσεις* poena legibus definita, si ad hanc aut illam actionem applicetur, multa mala & incommoda secum trahat. Quod si tum poena remittatur, tantum abest ut legum aut legislatoris sanctitas violetur, ut potius eidem consulatur prospiciaturque apprime. Seneca hanc causam ita tuetur. *¶ Venia est poenae merita remissio. Ergo ei ignoscitur qui puniri debuit. Sapiens autem nihil facit quod non debet, nihil praetermittit quod debet. Itaque poenam quam exigere debet, non donat.* Sed denuo aërem verberat, & sub ambigua vocis *debitae* significatione latet. Etenim peccantibus *deberi* poenam, hoc est citra iniuriam eos puniri posse extra litem est. Nemo id temere inficiabitur. Sed sapientem debere punire, hoc est, obligatum esse ut semper puniat, & nunquam ignoscat, id quidem est, de quo

[t] lib. II de Clement. cap. VI & VII.

quo adhuc disceptatur. Etenim per sapientem aut quilibet priuatus intelligitur, aut iudex. Si prius sit, ille nunquam punire potest. Sin posterius, tum quidem punire debet: sed falsum est, quod semper punire debeat. Nihil facit vir sapiens quod facere non debeat. Sed quod semper punire debeat, id vero est, quod abnuo. Multae enim rationes esse possunt, propter quas aliquando peccantibus ignoscendum est. Et videntur hoc ipsi intellexisse Stoici, dum sapientem non quidem veniam dare, at parcere tamen asserbant. Ita diserte Seneca, u sapientem non quidem veniam dare, ait, *sed illud quod ex uenia consequi vis, honestiore tibi via tribuit. Parcit enim sapiens, consulit, & corrigit. Idem facit, quod si ignosceret. Nec ignoscit, quoniam qui ignoscit, fatetur aliquid se, quod fieri debuit, omisisse.* Sed recte haec reprehendit Grotius, quasi vero, inquit, nobis non liceat cum vulgo loquendi domino, ignoscere vocare, quod parcere illi vocant. x Nimirum illud quidem est, quod Cicero aliique clarissimi viri docent, magnam Stoicarum disputationum partem circa voces consumi, Galenus testatur, homines istos in inutilibus friuolisque Logicae contemplationis argutiis admodum exercitatos fuisse, in vtilibus vero

(u) l. c. (x) lib. II de I. B. & P. cap. XX §. 23.

vero non tantum inexercitatisimos, sed pravis quoque argumentationum viis adfuetos. y Id quod pluribus euincunt, Io. Shilterus, z atque Fridericus Rappoldus. a Nec diffiteri hoc ipse Lipsius, strenuus ceteroquin Stoicae doctrinae propugnator & vindex potuit. Aliud enim Stoicae disciplinae effatum explicans, quo sapientem misereri negabant, ita tamen ut omnia quae qui miseres faciant, & ipse faciat, quid, inquit, b inhaereo? cum ad examen ventum est, vereor ut verbi non rei sit hoc pugna? Hinc omnino Cicero ita ut res postulat, iudicat, c de Stoicis ita pronuntians: noua verba fingunt, deserunt usitata, at quanta conantur! Quin fidenter assero, plerasque Stoicorum disputationes, in meras λογωμαχίας tandem abiisse. Id quod praeclare etiam obseruauit Samuel Werenfelsius. d Nec vero Stoicos tantum, sed plerosque philosophos, quin omnis generis eruditos, hocce morbo, gravissimo sane foedisimoque laborasse, & hodienum laborare, idem Werenfelsius egregie docuit.

(y) lib. II de Hippoc. & Platon. decretis c. III (z) in praxi artis analyticae in iure cap. I §. 15. [a] in commentar. in Horat. p. 313. it. in Logica Gelliana cap. I. (b) in manuuct. ad philos. Stoic. lib. III dissert. XIX. (c) lib. IV de finib. (d) in dissert. de logomachiis eruditorum.

EXERCITATIO
HISTORICO - PHILOSOPHICA TERTIA
DE
ERRORIBVS STOICORVM
IN
PHILOSOPHIA MORALI,
HABITA HALAE SAXONVM
DIE XXV. APR. ANNO MDCXCVI.
RESPONDENTE
GOTHOFREDO Kölbel /
GERANO.



Σύνοψις.

DE distinctione officiorum in καθήκοντα & κατορθώματα, ex mente Stoicorum, §. I. Distinctio officiorum ratione obiecti, ut alia sint erga Deum, alia hominis erga se ipsum, alia erga alios, idque ex mente Stoicorum, §. II. Stoicorum de officiis erga Deum, sententia, §. III. Illorum de Numine errores, cum erroribus veterum haereticorum conferuntur, §. IV. Refutantur, §. V. Quo sensu Stoici unum Deum admittant, §. VI. Bonitatem Dei euertere Stoicos. Fata Stoici malignitas. §. VII.

§. I.

Priusquam ad singula officiorum genera descendamus, de celebri eorum in καθήκοντα & κατορθώματα distinctione, quaedam monenda sunt. Equidem priori voce saepius ita vtuntur Stoici, ut quodlibet officium denotet. Tum vero eam ita interpretantur, ut illa designari autu-
L ment.

ment; ὅσα λόγῳ κρέκει ποιῆν *quae cuique rationi consentanea sunt, ut facias.* Secus verò accipitur cum τῷ κατόρθωμάτι opponitur. Tum enim καθήκον eiusmodi factum denotat, cuius cur sit factum, ratio probabilis reddi potest. Ratio autem haec, quae probabilis dicitur, vnde enascatur, erudite demonstrat Cicero. ^a Huc ergo quin ple-
 rorumque hominum actiones spectent, dubium non est. Paucis quippe concessum est, in rerum inquirere causas, & ipsos fontes ultimosque recessus actionum humanarum introspicere. Adeoque cur hoc aut illud agendum sit, ἀποδεικτικῶς non sciunt, licet probabiles, quae illos determinent, eis non desint rationes. Quam verò hinc illepidi isti *probabilismi*, ut vocant, defensores, a nobis alibi ^b indicati, nullum praesidium, ad errorem suum palliandum capere possint, nemini, iusta aestimatione rem metienti, obscurum esse potest. Κατόρθωμα contra Stoici vocant, officium rectum, perfectum, ἀποδεικτικῶς certum omnibusque numeris absolutum. Hinc & a nemine κατόρθωμα peragi censent, quàm a sapiente, cuius stupendam, ut ipsimet quidem eum fingunt, effigiem, supra contemplati sumus. Quae cum ita fiat, parum abest, quin de perfectis his-

ce

[a] lib. I Officior. (b) in hist. iuris nat. p. 17. seqq.

ce Stoicorum officiis idem pronuntiem, quod de illorum sapiente censui. Nimirum ut sapiens illorum nullibi gentium reperitur, ita & nullibi est qui *κατορθώματα* exerceat. Ergo & haec in fumum abeunt. Accedit quod observante quoque Cicero-
ne. e Stoici, palam hic secum pugnent. Docent quippe, omnes insanire qui non sunt sapientes: quin eosdem fures, atque latrones esse. Simultamen fatentur, ab iis etiam, qui non sunt sapientes, exerceri posse *τὰ καθήκοντα*. Ergo necesse est ut fateantur, ab insanis, hoc est ratione destitutis edictamen actiones, quae cum ratione consentiunt. Non nescio quidem, regeri posse, Stoicos, cum omnes, qui sapientes non sunt, insanire dicunt, non perfectum itum sapientem, sed *τὸν προκόπτοντα* proficentem, intelligere. Si enim hoc ita non caperent, se ipsos insanientium turbæ adscripsissent: quod Cicero sane illis exprobrauit. At si quis est, qui hoc nobis persuadere cupit, eum luculentis, quibus hoc evincat argumentis, instructum esse oportet.

§. II. Ceterum licebit nobis etiam ex ipsorum Stoicorum disciplina officia ita partire, ut alia sint quae erga Deum, alia quae erga nos ipsos nos praestare decet, alia denique quae alii homines suo iure a nobis

L 2

exigunt.

(c) lib. III de orat.

exigunt. Id licet iam ex Epicteti Enchiridio a constet, vbi docet omnia officia τὰς σχέσεσι; *mutuis affectionibus*, esse metienda: Antonini tamen tam luculenta ea de re deprehendi testimonia, vt ea praeterire nefas existimem. *Perpende*, inquit, *e mentem tuam* (ecce officia hominis erga se ipsum,) *uniuersi*, (hoc est, Dei) *fac proximi*. *Tuam*, vt eam iustam reddas: *uniuersi*, vt recordere cuius pars sis, *proximi*, vt videas sitne in ea ignorantia, an vero prudentia. §

§. III. Ad ea itaque officia quae erga Deum praestanda sunt quod attinet, recte quidem Epictetus duobus capitibus, vero de Numine sensu, & recto cultu eadem absolui docet. *Religionis*, inquit, *h erga Deos immortales praecipuum illud esse scito: rectas de eis habere opiniones, vt sentias & esse eos & bene iustoque administrare uniuersa; parendum esse eis, & in omnibus iis quae sunt acquiescendum, & sequenda vltro, vt quae a mente praestantissima reguntur*. An vero Stoici in vtroque rectae rationis praescriptum fuerint secuti, id quidem est, de quo paucis mihi est dispiciendum. Sane dum illorum de Numine sensum opinionemque considero, tam multi, tam turpes sese mihi offerunt errores, vt si quis recen-
fere

[d] cap. XXXVII. (e) lib. IX p. 17. (f) ad h. l. (g) conf. Dacrius ad h. l. add. Antoninus lib. V §. 25. & lib. VIII §. 23. (h) cap. XXXVIII.

fere omnes aut discutere vellet, is Augiæ quoddam stabulum, Herculeo plane labore, meo iudicio sibi expurgandum fumeret. Iuvat tamen præcipuos indicare, & ex ipso fonte paucis rem ipsam arcessere, vt causæ simul innotescant, quare doctissimi isti viri adeo præcipites dati fuerint. Qui totius philosophiæ gentilis caput in eo positum esse autumant, quod duo admiserint rerum principia, Deum & materiam, illi ita vt par est sentiunt, & in maximorum errorum natales felicissime penetrant. Perantiquam huius erroris esse originem, nos dubitare non sinit Eusebius. Plutarchus ipsi Zoroastri eiusmodi dogma tribuit, quod duos Deos ἀντιτέχνες, bonum & malum admiserit. Quidquid huius sit, Pythagoræ atque Platoni eandem sententiam hæsisse, quæ & in ceterorum philosophorum sectas irrepsit, & suo veneno cuncta infecit, certum est; & ab aliis iam pridem luculenter demonstratum. Quod si in causas quare in hanc sententiam communi velut consensione descenderint Ethnici, inquirere luberet, sane aut me omnia fallunt, aut dubitatio de origine mali, quæ veteres ita vexauit vt dici non posset, eos ad hæc commenta deduxit. Nimirum videbant homines quotidie pecca-

L 3

re &

(1) lib. V præpar. euangelic. c. XXVII.

re & praue agere, nec per naturae conditionem temere secus facere posse; in Deum culpam coniicere, quod tali indole homines instruxerit, sibi ducebant religioni: pugnareque id cum perfectione Numinis animaduvertebant; hinc in materiam tandem omnem coniiciebant culpam, eamque malorum omnium principium esse autamabant. Quod eo quidem facilius credebant, quoniam sibi persuadebant, materiam esse aeternam, rursus celebri isto effato, ex nihilo nihil fieri posse, turpiter delusi. Ergo materiam opponebant Deo: hunc bonorum, illam malorum omnium fontem atque scaturiginem esse, arbitrantes. Stoicos praesertim ita adductos fuisse ad duplex eiusmodi principium admittendum, nemo dubitauerit, qui accuratius secum expendit quae de prouidentia diuina apud Gellium disputat Chrysippus. ^k In omnes enim sese vertit partes, ne cogatur peccatorum aliorumque malorum causam Deum dicere, sed cum omnia tentasset, tandem ad materiam se recipit. Ceterum licet omnes fere gentilis philosophiae magistri in eo conueniant, quod duo admittant principia, materiamque aeternam & Deo aequalem asserant, in diuersas abeunt sententias, sitne a Deo separanda

(^k) *lib. VI N. A. c. XI.*

randa materia an ei coniungenda. Separabant Epicurei, qui fortuito atomorum concursu coaluisse mundum contendebant, Deumque eius gerere curam inficiabantur, Coniungebant Plato, Aristoteles, & Stoicae sectae conditor Zeno, sed diuersa iterum ratione. Libero connubio materiae mixtus erat Deus iuxta Platonem; necessario vinculo illi iunctus ex mente Aristotelis & Stoicorum. Sed Stoici rursus dissentiebant ab Aristotele. Hic enim Deum mundo vt formam, liceat mihi more in scholis recepto loqui, assistentem: illi vt formam informantem dabant. Quae omnia Iacobus Thomafius tam solide tamque accurate demonstrauit, ¹ vt quid illis addi possit, non videam. Hinc vero quae de Deo subinde comminiscuntur, haud difficulter & intelligi & diiudicari possunt. Nimirum nonnunquam de eo ita loquuntur, vt totum illud compositum, quod ex materia & Deo constat innuant: quandoque alteram partem, a materia distinctam designant, interdum etiam haec ita confundunt vt quae materiae sunt, spiritui tribuant. Namque & dum *naturam* & *mundum* Deum vocant similibusue nominibus eum insigniunt, totum quidem compositum, quod ex Deo ceu mente & materia

(1) *de Stoica mundi exust. diff. III & IV.*

ria vt corpore, constat, indicant. Neque inepte eos ita loqui forte quis affirmauerit, cum quæ principis partis sunt, toti tribui, consuetudo & vsus gentium fere omnium permittat. Rursus separatim a materia Deum considerant, dum eum *spiritum, animum, mentem, rationem*, appellitant. An vero spiritus nomine id denotauerint, quod hodie denotari solet, id quidem est de quo ambigo. Sane dum etiam Deum ignem & corpus esse autumant, fere in eam ingressus sum sententiam, spiritus nomine subtilissimum aliquod corpus illis venire. Idque inde porro colligitur, quia & animam nostram igneam corporeamque esse asserunt. Iam vero cum & eorundem iudicio, anima nostra pars sit essentiae diuinæ, hanc quoque corpoream esse necesse est, siquidem & illa corporea recte dicitur. Possem id euincere pluribus si instituti mei migrare vellem limites. Namque ex hisce quam vberime intelligitur, quid Dei nomine Stoici indigitaerint, nimirum spiritum, hoc est, corpus subtilissimum, per materiam ei coaeternam diffusum eamque informantem, & vnum animal, scilicet mundum constituentem. Hinc quem nos Deum dicimus, illi *Mundum, Naturam, Vniuersum* appellitant.

§. IV. Nihil ineptius, nihil turpius, nihil indignius, de Deo dici potuisse res ipsa docet. Nihilofecius inter eos quoque, quibus clarissima doctrinae cœlestis lux affulsit subinde fuerunt, qui infernalis genii fraude, decepti, hisce tenebris rursus immergerentur. Gnosticorum, Manichæorum, Marcionitarum, aliorumque spurcissimorum, impostorum commenta, ex hac philosophia orta, ab annalium conditoribus celebrantur, Nimirum & Manichæi duo esse diuersa rerum principia, sibi mutuo contraria, quorum vnum bonum sit & auctor boni, alterum malum, asserebant: & hoc quidem *diabolum*, itemque ἄλην, i. e. materiam vocabant. Hinc porro ita propagatus fuit iste error, & tam alte radices egit, vt & hodie subinde eius rudera vestigiaque deprehendantur, tantum abest vt diuturnitas eundem extinxerit deleueritque. Non memorabo nunc Dinantianam haeresin, quae in totum a ceterorum haeticorum commentis, tum & gentilium philosophorum scitis dissentiebat, quod materiam cum Deo plane confunderet, ipsasque corporeas substantias ex Deo prognatas assereret: interim haud aliunde quam ex Stoicorum aliorumque de duplici principio figmentis orta videbatur: id quod rursus praeclare demonstrauit Iacobus Thomasius m. **Quin** annon

recentiores Athei in Dei veri vicem, naturam & nescio quam mundi animam substituentes ex hac ipsa Stoicorum sententia, Deum esse animam mundi, sua hauserint, saltem arua sua ex hisce fontibus irrigauerint, haud sine ratione aliquis suspicari posset. Sed id nunc non ago. De veteribus saltem diuinae veritatis corruptoribus hoc addo, mihi quidem videri, eos a Stoicis potius quam Platonice aut aliis similia docentibus, suos accepisse errores. Sane ipsi ecclesiae doctores, Dionysius apud Eusebium ⁿ, Tertullianus ^o & Lactantius ^p & alii, dum in Gnosticis, Manichæis, Marcionitis, hunc errorem damnant & confutant, simul e porticu eum profectum esse haud obscure innuunt. Certe Marcionem erroris huius propugnatorem & disseminatorem haud extremum, in porticu educatum formatumque esse, & inde plurimos secum retulisse errores, iam supra a nobis assertum fuit atque euictum. Accedit, quod nonnulli haereticorum eadem causa, qua Stoici, ad duplex eiusmodi principium admittendum fuerint inducti. Hermogenes, qui cum Marcionitis ceterisque, in hoc capite consentiebat, teste Tertulliano

(n) *lib. VII praeparat. euangel.* (o) *aduersus Hermogenem.* (p) *lib. II diuin. instit. Cap. XIX.*

no ꝛ materiam aeternam cum Creatore, proponebat, vt malum a materia, non a creatore deduceret. Sed & Arnobius r, vt ut pugnam indixerit Marcionitis, prope ab hac ipsa opinione, eadem ratione ductus, abesse videtur. Haesitat namque, *habeatne materia miseriarum causas suis in rationibus inuolutas?* At luculentissime rem omnem, inde euinco, quod Platonici non tam materiam ipsam quam vim quandam & animam in materia habitantem pro causa omnium malorum venditauerint. Haeretici contra veteres, Stoicos secuti, ipsi materiae omnem malorum originem tribuebant.

§. V. Praecipuus itaque & princeps Stoicorum error de Deo erat, duo esse rerum principia, materiamque esse Deo aeternam & coaequalem. Ad vltimum quod attinet, an ex ratione nuda confutari solide possit, ego quidem dubito. Viderint hac de re naturalium rerum consulti. Quod enim rationi aliunde non rectius erudita hoc admodum verosimile videatur, exinde intelligere licet, quod sapientissimi philosophorum gentilium comūti velut consensione in hanc sententiam fuerint ingressi: nec ceteroquin ex variis dubiis se expedire potuerint. Certe malorum originem, vnde occasio hoc principium arripiendi illis fuit suppeditata, sola ratio plane assequi nequit. Et licet ratio hoc

hoc intelligat, falsum esse quod dicebant, ex nihilo fieri nihil posse, cum per potentiam Numinis summam nullisque limitibus circumscriptam, omnino ex nihilo fieri aliquid possit: at quod reuera ex nihilo aliquid factum sit, quodque materia a Deo fuerit, producta, id quo pacto sola ratio persuadere nobis aut euidenter demonstrare possit, plane non intelligo. Quae cum ita sint, nemo nobis vitio vertet, quod diuinarum litterarum in subsidium vocemus auctoritatem, quae vt omnia ita & materiam a Numine conditam atque productam esse, luculentissime testantur. Ergo non fuit aeterna. Eaedem diuinae litterae de malorum origine nos certiores reddunt, dum de angelorum hominumque lapsu, qui voluntatis suae libertate abusi iuere in praecipua, nos erudiunt. Non ergo necesse est ad materiam confugere. Accedit enim, quod, vt nonnulli veterum doctorum bene monuerunt, admodum ineptum sit, materiam aut malam aut malorum causam dicere, cum tamen omnium consensu, & ipsa experientia teste materiae nulla sit operatio. Tandem vero ex eo, quod materia a Deo producta est, sua sponte sequitur, Deum non posse pro anima mundi, siue formam materiam informantem haberi. Etenim quod for-

(s) *Genes. I v. 1. & 2.*

forma producere possit materiam, cum qua coniungatur ad vnum quid constituendum, hæctenus a nemine assertum est aut probatum. Deus ergo cum materiam produxerit, forma eius esse nequit. Falli ergo Stoicos inde palam est, dum mundum animal vocant, cuius anima Deus, corpus materia sit.

§. VI. Et hæc quidem quæ hæctenus disserui eiusmodi sunt, vt nec ipse Iustus Lipsius strenuus Stoicæ disciplinæ propugnator, vt in omnem sese verterit partem, defendere ea aut excusare, ausus fuerit. Idem tamen in aliis Stoicos de Deo recte sentire addit *r.* Dignum profecto assertum, quod paucis a nobis sub examen reuocetur. Primo itaque hoc nomine Stoicos laudandos esse censet, quod vnum saltem colant & venerentur Deum. Ita quidem est. Namque & ipse Athenagoras v Stoicos inter, illos refert, qui vnum profitentur Deum. Minutius Felix autem Zenonem, Chrysippum, atque Cleanthem multiformes quidem esse, sed ad vnitatem prouidentiae omnes reuolui autumat *x.* Hinc & Antoninus non raro quoties de Numine loquitur, non multitudinis sed vnitatis & singularitatis

(t) *lib. I phys. Stoic. differ. IX.* (v) *in legat. pro Christianis p. 57.* (x) *in Octauio p. 42.* (y) *lib. X §. 12.*

tatis vtitur nota. Sic y sapientem adhortatur, ἔπειθαι τῷ θεῷ, ut Deum sequatur. Senecæ, Epicteti, aliorumque documentis idem euincere possem, nisi hoc perinde esset, ac in re non dubia, vti argumentis non necessariis. Equidem utebantur Stoici variis Deorum nominibus, sed hisce vnum eundemque Deum, pro diuersis operationibus varias appellationes sortitum, designari contendebant: quod ex Laërtio & constat & Seneca a. Hinc Lactantius (b) eos culpatur, quod cum non viderint, quid in vero sit, conentur fabulares Deos cum rerum naturalium ratione coniungere. Namque cum fabulas poëtarum suae de vnitae Numinis sententiae maxime obstare intelligerent, variis interpretamentis ad suas opiniones eas detorquere annitebantur. Quo nomine & Tullio vapulant c, qui magnam molestiam & minus necessariam eos suscepisse asserit. Sunt tamen qui obseruant, Stoicos vnum quidem Deum supremum, at plures inferiores eosque iterum diuersi ordinis, prout essentiae supremi Numinis magis aut minus facti sint participes, admisisse. Hoc sensu Antoninus d, iudice, Dace.

(2) in vita Zenonis (a) lib. II quaest. nat. cap. 45.
 (b) lib. I diu. instit. cap. XVII. (c) lib. III de
 natura deorum. (d) lib. IX §. 29.

Dacerio e ait : *ergo nullus inter tot Deos reperi-
tus est, qui ea corrigeret.* Inter inferiores au-
tem istos Deos etiam astra referebant, qui-
bus eos diuinitatem impertiisse, extra litem
est. Haud obscure hoc colligitur ex ipso
Antonino f, ita differente : *quid mirum ?
etiam sol, & reliqui Dii, (hoc est cetera a-
stra) possunt dicere cuius rei causa facti sunt.* Quid-
quid huius sit, ego Stoicos non adeo ex
hoc capite laudandos existimauerim, ac si
bi quidem persuadet Lipsius. Si vel ma-
xime laudem mererentur, illa tamen cum
quibusuis gentilibus prudentioribus illis
esset communis. Namque illis nihil so-
lennius erat, quam obiectum sibi τῆς πολυ-
θεότητος & crimen, hac ratione diluere, aut
a se amoliri, id quod vel ex Iuliano g in-
telligitur. Eandem quoque viam ingre-
ditur Aristoteles, vel quisquis auctor est li-
bri de mundo circa finem. Praeterea non
Stoicos, sed & ceteros gentiles cordatiores
vnum saltem admisisse Deum, Aeschyli,
Sophoclis, Euripidis, aliorumque docu-
mentis comprobauit Clemens Alexandri-
nus h, & ex recentioribus, Petrus Daniel
Huetius i. Sed vero omnes istos qui cum
Stoi-

(e) in annot. ad h. l. (f) lib. VIII §. 15. (g) Orat.
V in salem. (h) lib. V Strom. (i) in quaest.
Almeta. lib. II §. 10. p. 107.

Stoicis vnum Deum profitebantur, variis nominibus insignitum, parum sibi consuliisse egregie demonstrat Augustinus k.

§. VII. Alterum quod Lipsius in Stoicorum de Deo doctrina laudat, est, quod eundem summe bonum dixerint, & omnium rerum prouidam agere curam autauerint. Et ad bonitatem quidem quod atinet, non diffiteor, hanc subinde, verbis quidem splendidis praedicare Stoicos. Non afferam ea quae iam ab aliis ex Stoicorum scriptis sunt congesta. Vnicum Antonini documentum addam: *l natura vniuersi suo gubernatori obediens est ac bene composita: quae vero eam gubernat mens, nullam in se ipsa habet male faciendi causam: quippe nihil in se mali habens, nihil etiam male facit, neque ab ea quidquam laeditur: omnia vero secundum eam fiunt & perficiuntur.* Sed quantumuis egregia sint quae hic Stoici disserunt, lubrico tamen cuncta innituntur fundamento. Paucis dicam quod sentio, bonitas quam Deo tribuunt, aut absoluta illa est, quae essentiae summa perfectione absoluitur, aut relata, quae erga quosuis bonus est atque beneficus. Illam euertunt ipsi, dum Deum fatali lege ut animum materiae alligant, id quod cum

sum-

(k) lib. IV de Ciuit. Dei cap. XI. (l) lib. VI §. 1.
add. lib. VII §. 44.

summa perfectione plane pugnat. Hanc iterum fatum tollit: quidquid enim bonitatis mortalibus obuenit, hoc ex fati lege illis non poterat non obuenire, adeoque ad Numinis bonitatem nulla inde redundat gloria. De morali bonitate recte quidem Antoninus sentit, dum Deum vilius mali causam esse abnuat: sed dum materiam pro ea venditant, iterum errant, vt supra est comprobatum. Ad prouidentiam Numinis quod attinet, recte quidem Stoici ad singulas res eam extendunt, sed id falsum est, quod Lipsius porro docet, ex prouidentia fatum sequi, vel potius fatum esse ipsam prouidentiam, perque illud Numinis libertatem non tolli. Etenim vt supra euictum fuit, fatum illud Stoicum homini eripere libertatem, ita non minus in Deum illud iniurium esse, paucis commonstrandum est. Non urgebo nunc Chrysippeam fati definitionem, qua in eo diserte *συμπλοκήν ἀπαράβατον νεκρῆς ἀνεκλιναβίλου* agnoscit; vnde res plane conficitur, quidquid etiam dicat, in quamcunque se vertat partem Lipsius. Saltem illud addo, pluribus Stoicorum testimoniis posse euinci, eos fatum a prouidentia diuina discreuisse, & illi summam ineuitabilemque necessitatem tribuisse. Antoninum diserte hoc innuere, m dum asserit: *omnia sunt aut*

M *necessi-*

(m) lib. XII §. 12.

necessitas fatalis atque ordo inevitabilis, aut providentia placabilis &c. supra indicaui. Iam aliud non minus clarum & luculentum effectum ex eodem proferam. Omnia, inquit, inter se sunt complexa sacro nodo, nec quidquam ab altero est alienum: ordine enim omnia certo disposita, unum eundemque mundum exornant. Mundus ex omnibus constat unus, unusque per omnia diffusus est Deus, una natura, una lex, una ratio communis omnibus ratione praeditis animantibus, una veritas: siquidem & una est perfectio eorum quae eiusdem sunt generis, eiusdemque participia rationis animantium. Hic fati immutabilem & indeclinabilem necessitatem, sacri nodi nomine, referendo se ad nodum Herculis, vel Iouis catenam Homero o memoratam, eleganter non minus quam luculenter designat. Res vero indicaturus quae sacro hoc nodo colligatae inter se atque connexae sunt, adeoque ineluctabili fati necessitati obnoxiae, Deum quoque ceterasque mundi partes nominat. Sed quod Deum fati legibus non exemptum cupiat, saepius innuit idem Antoninus. Saepenumero inquit p. cogita de omnium in hoc uniuerso rerum connexu, mutuaque affectione. Dum ergo ἐπισύνδεσιν πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ fatalem omnium rerum quae in mundo sunt, connexionem asserit, Deum, non

(n) lib. VII §. 7. (o) lib. VIII. Iliados. [p]
lib. VI §. 28.


non potest non eodem vinculo, constringere, quippe qui pars mundi est, vt ipsimet Stoici docent. Idem repetit q̄ in sequentibus: *τρόπον γάρ τινα πάντα ἀλλήλοις ἐπιπέλεκται, quodam enim modo omnia inuicem sunt implicata.* Nullum ergo dubium est, quin Stoici Deum fato subiecerint. At quanta seges errorum, maximorum hinc efflorescit! Paucos, & praecipuos saltem indicabo. Nimirum hinc consequitur fatum & providentiam diuinam non esse vnum idemque: quin prouidentia Numinis plane tollitur. Cum enim ipse non possit non facere quae fati durissima lex iubet, nonne frustra eius prouidentiae res mortalium subiciuntur? Praeterea potentia Numinis quae ad omnia secum non pugnantia se extendit, limitibus terminisque certis includitur & circumscribitur. Non enim potest facere nisi quae per fati leges illi facere licet. Libertatem quoque eidem Numini liberrimo eripit. Non enim quae vult agere potest, sed quae fatum permittit. Nec obstat quod nonnulli Stoicorum dicunt, *Deum fatum velle*: hoc enim si accurate rem expendas, non ita capiendum est, ac si fatum diuinae voluntati sit obnoxium, sed vice versa, quod Deus velit quae fatum iubeat, adeoque voluntas

M 2

luntas

(9) lib. V §. 6. & lib. IV §. 7.

Iuntas Dei subiecta sit fati indeclinabili necessitati. Paucis : fatum Stoicum Deum diuinitate ipsa spoliat : adeoque non Deum sed monstrum quoddam & finxit sibi & adorauit Stoica sapientia. Merito ergo Stoici fati malignitatem & notarunt & reiecerunt damnaruntque, tum alii tum maxime Philippus Melanchthon, & Io. Baptista du Hamel, & Iacobus Thomafius. †



(r) *lib. II phys. p. 134.* [s] *lib. I de consensu vet. & nou. philosophiae cap IV §. 11. & 12.* (t) *in dissert. de Stoici fati malignitate, de exust. mund. Stoic. p. 166. & seqq.*

EXERCITATIO
HISTORICO-PHILOSOPHICA QUARTA
DE
ERRORIBVS STOICORVM
IN
PHILOSOPHIA MORALI,
HABITA HALAE SAXONVM
DIE XV. IVN. ANNO MDCXCVI.
RESPONDENTE
Io. HENRICO Fischer /
PRETIZ-THVRINGO.

THE
UNION
OF
THE
NATIONS
AND
OTHER
MATTERS
OF
INTERNATIONAL
LAW
AND
POLITICS



Σύνοψις.

Praecipui Stoicorum circa officia hominis erga se ipsum, errores. §. I. De defectibus, & eorum causis ex mente Stoicorum, §. II. Affectus non recte per opiniones ab iis despiri, §. III. *Ἀπάθεια* Stoicorum examinatur. Stoici cum Peripateticis conciliantur. Communis conciliandi eos ratio, reiicitur, §. IV. Περὶ αὐτοχειρίας sententia Stoicorum, §. V. Reiicitur: aliorumque contra αὐτοχειρίαν rationes examinantur, §. VI. An viri sapientis sit, publicis muneribus se subtrahere? quod asserunt Stoici, §. VII. De officiis hominis erga alios, ex mente Stoicorum. Inimicos quoque ex horum sententia, diligendos esse, §. VIII. Cuncta, quae de officiis hominis erga alios Stoici praecipunt, ex falsis fluere principis, demonstratur, §. IX.

§. I.

Iam ad ea officia, quae homo erga seipsum praestare tenetur, accuratius consideranda ordo & instituti nos vocat ratio. Haec autem licet varia sint, duo ta-

M₄ men

men inter ea eminent, quorum alterum est, ut animi perturbationibus, quas & affectus vocant, suos rite ponamus limites, alterum ut vitam, a praepotente Numine benignissime nobis concessam, ea qua par est ratione conseruemus, neque eam pro arbitrio proiciamus, aut violentas nobis ipsis inferamus manus. In utroque capite a recto aberrare tramite Stoici videntur. Qua de re vberiori commentatione nunc exponemus.

§. II. Et sane in morum doctrina nihil celebrius est quam ἀπάθεια Stoicorum. Hanc damnarunt & confutarunt alii, alii defenderunt, nonnulli excusarunt aut cum Aristotelis & illorum qui μετριοπάθειαν suaserunt, scitis placitisque conciliare annifi sunt. Quam recte hoc fecerint, patebit, si quid Stoici affectus nomine indigitauerint, innotuerit. Sine ambagibus rem effero, asseroque, Stoicos affectus per opiniones pravas definiuisse. Testis locupletissimus est Plutarchus: τὰ πάθη σύμπαντα καὶ ὡς κρείσσεις Φαύλας καὶ δόξας ὁμολογεῖσθαι εἶναι. Omnes affectus omnino iudicia prava & opiniones dicunt esse. Dissentiunt tamen hic inter se Zeno & Chrysippus. Ille opinionem esse causam efficientem affectuum contendebat.

Hic

(a) in libello, utrum animalia &c.

Hic affectus opiniones ipsas esse, statuebat, Id quod prolixè docent Laërtius, & Galenus. c. Mihi, si dicendum quid sentiam, Chrysippi impeditior videtur esse ratio. Namque si affectus sunt ipsae opiniones, non videtur satis commode causam affectuum designare posse. Galenus Chrysippi sententiam acerbè ex alio quoque capite perstringit & exagitat, quaeritque ex eo: *Hunc praeter rationem motum qui ex aliqua prodit causa, petimus a te quae causa produxerit?* Nam nos, ita pergit, *την ὑποθεσὴν facultatem, aut τὴν ἐπιθυμητικὴν* eos motus perturbationum propingere affirmamus. Tu verò quid? qui nec sateri hoc audes, nec rationalem facultatem, eorum esse productricem prodere sustines, sed temere eos existere ubi dixisti, sum putas te quaestionis solutione probe esse defunctum. Haec ad nauseam usque Galenus contra Chrysippum inculcat. At Chrysippum, contra Galenum fortiter defendendum suscepit Claudius Salmastius d. Praecipua eius argumenta paucis hic edisserere me non pigebit. Et initio quidem si plura Chrysippi hodie extarent monumenta, sine dubio rectius diiudicari posse, ait, quo iure is reprehendatur a Galeno. Sed

M s. vero

(b) in vita Zenonis, (c) de decretis Hippocratis & Platonis, (d) in comment. in Epictetum & Simplicium p. m. 93.

vero ex paucis, quae adducunt illi a quibus reprehenditur, haud difficulter se intelligere, quaenam eius de causa affectuum fuerit sententia. Non aliam quidem in anima hominis facultatem agnouisse Chrysippum quam rationalem fatetur: nec eundem facultatem concupiscentem & irascentem admittere, quas sedes affectuum esse alii philosophi volunt & ex his velut fontibus eos oriri asserunt. Quin potius Chrysippum censuisse totam mentis *σύσασιν* rationalem esse, & proinde cum nulla alia sit pars, quae istam *σύσασιν* componat, praeter rationem, in illa ipsa *λογικῆ συστάσει* perturbationes existere, non quidem a ratione ipsa productas & generatas, quippe quae contra rationem potius sint, sed ex imbecillitate & infirmitate rationis ortas. Cum enim illa, ita ex mente Salmasii & Chrysippi rem porro deducere iuuat, ad regendum totum corpus corporisque passiones homini indita sit, ubi satis virium non habet ut hoc faciat, regitur ipsa potius quam regit, ubi se perturbationibus corporis, quasi valentioribus, permittit. Ut enim infirmus, vel imperitus auriga, si nactus sit equos ferocios & freni impatientes, tum ipse ab his quos regere debebat abripitur & aliquando etiam effunditur. Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Quos non quit

CONTI-

continere prae imperitia regendi & virium infirmitate, dare se illis cogitur, & ferri se sinere quo ferunt. Hic duo consideranda esse monet, ἀπόσασιν a recto cursu, & ἐνδοσιν in prauum, vbi rectus cursus teneri non potest. Atque hoc esse autumat, quod alii ex Stoicis sibi voluerunt, dum ἀρεάταιων omnium perturbationum causam atque fontem dixerunt. Cicero: e omnium perturbationum fontem esse dicunt, intemperantiam, quae est a recta ratione defectio.

§. III. Haec vero eiusmodi sunt, vt quid de causis affectuum censuerit Chrysippus, inde luculentissime pateat. Praeterea & id hinc constat, perperam Galenum obie-
cisse Chrysippo, quod dixerit, affectus temere existere. At affectus recte per opiniones definiri, quo pacto inde euinci possit, nondum video. Si enim largiamur quendam rationis defectum esse causam perturbationum, non tamen sequitur, ergo affectus nihil aliud est quam opinio. Cum vero hodie satis euictum comprobatumque sit, affectus esse animi commotiones ex rei cuiusdam sub specie boni aut mali repraesentatione & hinc excitato spirituum animalium motu ortas & eadem ratione corroboratas, illorum sane sententia qui opinionem
pro

pro causa affectuum habent, certa ratione probari potest. Nimirum si per opinionem nihil aliud intelligunt, quam rei cuiusdam sub specie boni aut mali repraesentationem, & alias concurrere & conspirare causas non abnuunt, tum demum ita ut par est eos sentire existimo. Quare qui affectus opiniones vocant, aut ita interpretandi sunt, ut causam affectuum indicare, censeantur, aut si non errant, certe ἀνύτως admodum loquuntur. Marco Aurelio Antonino quidem nihil frequentius est, quam suos adhortari, ut opinionem tollant. Non inepte quidem, si hoc sibi vult, ipsam affectuum causam esse euellendam, ceteroquin in iis coercendis frustra laborari. Effatum eius quod s̄ proferemus, longe elegantissimum est, & quid per opinionem intelligat, simul indicat. *Opinionem tolle, ἐξάλειψαι φαντασίαν, siste impetum animi, extingue appetitum, partem principalem liberam sibi que intentam serua.* Diffiteri tamen nequeo, eundem Antoninum sapius ita hac de re verba facere, ut quid opinionis nomine sibi velit non definire audeam. Quin ni fallor omnes Stoici hoc vitio laborant, ut in natura affectuum declaranda admodum obscuri sint, & in usu vocis *opinionis* sibi non consent.

(f) lib. IX §. 5.

ffent. Et Antoninus quidem non tantum ita hanc vocem vsurpat, vt an ipsum affectum, an causam, denotare velit, non diiudicari possit, sed interdum etiam *συνκατάθεσις*, alterum affectuum gradum, ea indigitat.

§. IV. Nimirum vt de tota ista lite quae Stoicis cum aliarum sectarum philosophis de affectibus intercedit, ferri sententia possit, haud perfunctorie obseruandum quod de generatione affectuum, eam tribus velut gradibus absolui, praecipunt. Rem omnem diserte explicat Seneca § : *Vt scias quemadmodum incipiant affectus aut crescant, aut efferantur, est primus motus non voluntarius, quasi praeparatio affectus & quaedam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci. Tertius motus est iam impetus qui rationem euicit.* Secundum gradum vel motum *συνκατάθεσις*, tertium *ορμήν* appellabant. Antoninus autem secundum gradum siue consensum *opinionis* voce indigitare solet. Id quod vel inde colligitur, quod vt plurimum addat, in hominis potestate positum esse opinionem eiicere & penitus euellere, quod de causa affectuum & primis motibus accipere etiam ipsorum Stoicorum iudicio ineptum est, vt deinceps patebit. *Si propter extraneam aliquam*

quam rem perturbabis, inquit h non illa tibi sed
 iuum de ea iudicium (h. e. opinio, namque &
 hanc κῆμα it. κῆσιν appellitare solent) mole-
 stiam affert: id vero ut aboleas in tua est potestate. &c.
 Rursus. i Eūce opinionem, βάλε ἔξω τὴν ὑπό-
 ληψιν, & saluus es, nemo id prohibebit. Quid-
 quid huius sit, id potius monuisse nostra
 interest, Stoicos voce affectus, vt pluri-
 mum ita vfos esse, vt συγκατάθεσιν & ὀρμὴν
 per eam denotarent: ceteros contra philo-
 sophos aut hōsce gradus affectuum non ri-
 te discreuisse, aut saltem voce affectus vel
 perturbationis ita vfos fuisse, vt primum si-
 mul gradum vel motum designarent. Hinc
 non poterat non in multis huius doctrinae
 capitibus pugna oriri: quae tamen si ad vo-
 cis diuersum significatum attendissent, faci-
 le potuisset declinari. Asserebant Stoici af-
 fectus esse voluntarios non naturales. Re-
 cte quidem, quoniam omnino rationis &
 voluntatis opus est consentire motibus a
 phantasia primum excitatis, vel vt Chrysip-
 pi ferebat sententia, iis non satis mascule
 se opponere. Primos autem istos motus
 voluntarios esse nunquam asseruerunt.
 Aristoteles contra & alii, affectus motus na-
 turales non voluntarios esse docebant. It-
 idem bene. Intelligebant quippe affectus
 nomi-

(h) l. VIII §. 4. (i) lib. XXII §. 20.

nomine primos motus, quos necessarios esse non inficiabantur Stoici. Vtrumque sane admitti potest, at de diuersis gradibus. Docebant porro Stoici, omnes affectus esse malos. Nec poterant secus sentire. Consentire enim motui in bonum aliquod apprensens tendenti, vel eum non impedire, non potest non in vitioponi. At malos esse affectus abnuebant Peripatetici & alii Stoicæ doctrinae oppugnatores. Nechi sane fallebantur. Motus enim ille praeter nostram voluntatem excitatus, quem affectus nomine insigniebant, saltem ex illorum sententia nemini imputari potest, qui vt ad peccatum intellectus pariter ac voluntas conspirent, necesse esse arbitrantur. Hinc rursus eradicandos, tollendos, euellendos esse affectus clamitabant Stoici. Nec istud quidem male. Quis enim illud quod malum prauumque in affectu est, tollendum esse negauerit? Non tamen ferebant hoc Peripatetici, cöercendos, mitigandosque esse affectus, docentes. Neutiquam inepte. Qui enim primos istos motus tollere & eradicare ausus fuerit, nae! eum egregie insanum esse necesse est. Quae si rite expendantur, nec errasse Stoicos, nec cum illis qui *μεισιονάθεσαν*, defendunt, reipsa eos pugnare palam fiet. Non quidem me fugit, eos qui conciliare Stoicos cum Peri-

pate-

pateticis voluerunt, aliam ingressos esse vi-
am, & voces tollere; euellere, eradicare,
quibus utebantur Stoici, in mitiorem inter-
pretatos esse sensum, quod faciunt Augu-
stinus, k Gassendus, l Heiderus, m Rappol-
dus, n Sed hisce non opus est ambagibus.
Taceo quod saepius repetitae & inculcatae
hae loquendi formulae vix vllam mollio-
rem interpretationem admittant. Quin &
aliquando ita verba faciunt, vt nullo modo
in alium ea trahere sensum liceat. Fidem
facit vel vnicum Antonini effatum o: nunc
*in mea est potestate vt in animo hoc nihil sit mali-
tiae, nihil cupiditatis, nihil tumultus &c.*

§. V. Alterum caput in quo de officiis ho-
minis erga se ipsum praecipientes, aber-
rant Stoici, eo minus excusari potest aut
emolliri, quo manifestior ipse error est. Af-
ferunt enim fas esse homini praesertim sa-
pienti, violentas sibi inferre manus & spon-
te e vita abire. *Nihil melius aeterna lex fecit,*
inquit Seneca, p *quam quod unum introitum*
nobis ad vitam dedit, exitus multos. Idem Ci-
cero docet, q vbi probare annititur ex mente
Stoicorum, in his quae secundum naturam
sunt

k) *lib. IX de C. D. cap. IV.* (l) *in philos. Epic.*
fol. 10. 11. (m) *in philos. moral. part. II p. 391.*
seqq. [n] *in Horat. p. 1224.* [o] *lib. VIII*
§. 250. (p) *epist. LXX.* (q) *lib. III de finibus.*

sunt, esse quoque excessum e vita. Taceo Epicteti, aliorumque effata, tantum non vbiuis obuia. Temperare quidem nonnulli hanc sententiam videntur asserentes, non semper viro sapienti hoc licere, at si opus fuerit mortem prompte subire, ei hoc non esse detrectandum. Tum ergo vitae statio demum deserenda, cum hoc ratio iubet. Haec vero, ita pergunt, neutiquam iubet vt paupertati, doloribus, aliisque calamitatibus morte voluntaria nos subtrahamus. Id enim effaeminati mollisque animi esset, tantum abest vt in fortitudinis & constantiae, quam tamen semper iactabant Stoici, argumentum possit trahi. Licere itaque sapienti, quin hoc ipsum maxime decere, vt ex vita excedat, si iam ita sibi viuendum esse videat, vt nulla ad humanam societatem, cui vnice homines natos esse dicebant, redundaret utilitas. Hoc est quod sibi vult M. Aurelius Antoninus, dum omnibus ex vita excedere concessum ait, si ita illis viuere non licet, vt *Φύσις τῆ λογικῆ καὶ κοινωνικῆ ζωῆς* natura animantis ratione praediti & ad societatem nati postulat. r Huc & illa quorundam effata pertinent, quae expectandam mortem, moram eius non indigne ferendam esse pronuntiant, vt Antonini s.

N Epicte-

(r) lib. V §. 21. (s) lib. V §. 8. lib. IV §. 39.

Epieteti, & Senecae. u Quae quidem eiusmodi sunt, vt ab Ebraeorum quorundam sententia, Grotio x quoque memorata, prope abfuisse videntur. Namque & hi licet *αυτοχειρίας* crimen damnent, vnam tamen excipiunt causam tanquam *εὐλογον ἔξαγωγήν*, si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Fateor, non omnes Stoicos, sed praestantissimos saltem suam *περὲ τῆς αυτοχειρίας* sententiam hisce limitibus circumscripsisse. Plerosque vero eousque insaniae progressos esse, vt vel morbi, vel doloris, vel cuiuscunque miseriae euitandae causa vitae finem sibi accelerare pulcrum & gloriosum duxerint, ego nullus dubito, & exempla illorum qui sibi ipsis conficiuere mortem luculenter, ni fallor, comprobant.

§. VI Illos ergo qui aut morbi aut alterius mali euitandi causa fas esse in mortem ruere docebant, erroris & stultitiae conuincere, hand adeo difficile fuerit. Saltem alia quibus ceteroquin porticus personuit, decreta hic nobis reuocare in memoriam iuuat. Virtutem solam, vitam beatam efficere, autumabant. Nec vlla tormenta, ita pergebant, id a sapiente imperare

(t) lib. I diff. cap. IX. (u) epist. XXX. (x) lib. II de I. B. & P. cap. XIX. §. 5.

trare posse, vt se infelicem aut non beatum esse iudicet. Epicuri vox fuit, at a Stoicis quoque vsurpata: *si vnatur sapiens, si crucietur, in Phalaridis tauro si erit, dicet: quam suaue est hoc! quam hoc non curo!* Quid ergo causae est ex vita discedere, si beata, si felix est? Aut si morbi, paupertas, & quaeuis tormenta non efficiunt, vt quis felix esse desinat, quid necesse est voluntaria iis sese subducere morte? Praeterea vitam inter indifferentiâ collocabant Stoici. Quo iure hoc fecerint non disputo. Nec id nunc vrgebo, quod hinc omnis error fluxerit. Saltem illud assero, si vitam pro re non mala habuerunt, nullam illis fuisse causam cur eam exuerent. Cum primis vero non video qua ratione viri & fortis & constantis, quales tamen videri volebant Stoici, nomen is tueri possit, qui quauis statim calamitate frangitur, vt eam sibi vitam non tolerandam putet, in qua cum quibusdam sibi conflictandum sit calamitatibus. Perinde profecto se res habet ac si miles Herois titulum honoremque ambiat, qui tamen ne ferre quidem adspectum hostium potuit. Piget me cetera addere quibus confici turpissimus error potest, ne in re non obscura, pugnare argumentis non necessariis videar. Plura autem desiderantibus adeunda est doctissimi

mi viri Samuelis Rachelii a de hoc argu-
 mento commentatio, quae Stoicorum in-
 eptias summo iudicio conuellit. Illi tamen
 qui prae ceteris sapere volebant, adeo mihi
 dimittendi non sunt ut potius singulari cer-
 tamine cum iis congregari, illorumque pro-
 fligare copias, mea magnopere referre arbi-
 trer. Mortem, inquebant, sibi sapiens
 consciscere potest, quando ratio hoc iubet.
 At nunquam hoc iubet ratio. Ergo & nun-
 quam licet. Enimvero quod ratio omnem *αυ-
 τοχειρίαν*, qua quis ex instituto sibi mortem
 accelerat, prohibeat, haud difficulter, ut
 opinor, demonstrari potest. Non quidem
 prouocabo ad illud diuini Numinis praecep-
 tum: *non occides*, quod multis dum in hoc
 campo ingenii periclitantur vires, solenne
 est, ut ex Lactantio, b Walaeo, c patet. Li-
 cet enim non abnuam, hoc Numinis effatò,
 quamuis hominis caedem, siue in seipsum,
 siue in alium ea saeuat, prohiberi, nec dis-
 fitear, leges istas a Mose repetitas, quae *de-
 calogi* nomine veniunt, summa iuris natu-
 ralis capita complecti: nihilosecius haec
 verba: *non occides*, ex rationis praescripto
 nemo deriuare potuerit. Finge tibi rem
 esse

(a) *de morte voluntaria* §. 43. *seqq.* (b) *instit.*
diuin. lib. III cap. XVIII, [c] *comp. eth. Ari-*
stot. p. 198.

esse cum homine decalogum ignorante, aut Mosis auctoritatem spernente, nunquam illi persuaderes, rationis hoc esse effatum, adeo nullis limitibus circumscriptum; *non occides.* Quid enim obstaret quo minus regerere posset, ergo nec bestias esse occidendas. Si reponeres, at de hominibus hoc esse intelligendum, iure aliam efflagitaret rationem, quare nec homines alios, nec se ipsum quis interficere posset: aut quare hoc Numinis effatum hisce circumscribendum esset limitibus. Nec maiori robore pollent quae ab aliis subinde afferri solent. Namque *αυτοχρησιαν*, vel ex hoc capite illicitam esse pronunciant, quod vnicuique suum sit tribuendum, itemque quod depositum sit reddendum, quem in modum & Iosephus rationes subducit. d. Et enim hasce iuris naturae praeceptiones non nisi per tropum quemdam ad *αυτοχρησιαν* trahi, neminem fugit. Orator ergo rite hisce argumentis utetur, ne utique autem philosophus. Hinc enim argumentationes quae stringant remque plane conficiant, ne utique nec tere licet. Sunt & qui aequae infeliciter gentium sapientumque consensum in subsidium vocant. Plane ac si nec gentes, aut sapientes, in quodam iu-

N 3. ris

(d) lib. III de bello Iudaico cap. XIV.

ris naturalis capite errare possent. Mihi ergo ea demum ratio hic militare videtur, quae ab ipsa hominum natura est deprompta. indidit Deus tum hominibus tum etiam animantibus brutis tenerrimum affectum, quo ad sui conseruationem feruntur. Hunc agnouerunt ipsi Stoici, teste Cicero-
ne e eumque ad τὰ τεῶτα τῆς φύσεως retulerunt vt Gellius, f Grotius, g Boeclerus & Henniges h pluribus edisserunt. Iam nemini accuratius rem contemplanti obscurum esse potest, Deum velle, vt homo quamdiu potest, se conseruet. Potest autem quamdiu sibi ipsi mortem non consciscit, sed potius ea omnia agit, quae ad vitam conseruandam pertinent. Nisi enim hoc Deus vellet, hunc affectum mortalibus non indidisset. Ergo se non conseruare, multo magis vitam abrumpere, nefas est. Id quod erat demonstrandum. Sed plura hac de re disserunt Rachelius, i Schilterus, k Grotius, l & Zieglerus m itemque Becmannus n, & Geulingius. o

§. VII.

(e) lib. III de finib. (f) voc. Attic. lib. XII. cap. V. [g] lib. I de I. B. & P. cap. II §. 1. (h) ad h. l. (i) l. 1. (k) in manu duct. philos. moral. ad iurisprud. cap. IV §. 20. (l) lib. II de I. B. & P. cap. XIX. §. V. (m) ad h. l. (n) in lin. doct. moral. cap. XV. §. 11. (o) de virtut. cardinal. sect. II §. 4. & 5.

§. VII. Si confectari minutias vellem, longe plura hic in Stoicis reprehendere possem. Namque profecto nec illud mihi, ut vnicum hoc addam, placet, quod ignauum otium officiis, praesertim ad reipublicae administrationem spectantibus, praeserunt. Etenim cum homo non sibi, sed societati, ut ipsi docebant Stoici, natus sit, tale quoque eligere vitae genus debet, quo prodesse aliis possit. *p* Et tamen nihil solennius Stoicis, quam magnificis verbis illud otium, in quod reipublicae se subducentes se abscondebant, extollere. Senecam audire iuuat: *consilio tuo accedo: absconde te in otio sed & ipsum otium absconde. Hoc te facturum Stoicorum etiam si non praecepto, at exemplo licet, scias: sed & praecepto quoque facias. Id tibi cum voles approbabo.* Chrysippus idem suo approbat calculo apud Plutarchum: *qui opinantur philosophis congruere maxime otiosam vitam, non videntur mihi errare: censent enim delectationis aut similis rei gratia hoc esse factum &c.* Quam etiam non plane improbare sententiam videntur Cornelius Nepos q, & Cicero, *r* Et sane nunquam illis aut magna verba, aut speciosa argumenta

N 4

defue-

(p) *epist. LXVIII & epist. LV, LX, & LXXVII.* (q) *in vita Attici cap. XV.* (r) *lib. I epist. ad Attic. epist. XIV.*

defuerunt, quibus ignauiam suam aut tegerent aut excusarent, Nihilosecius accuratius rem expendentibus, statim patebit, eos qui vnquam ex Stoicis otium sectati sunt, non ex rationis praescripto hoc fecisse, sed metu siue inuidiae & odiorum, siue repulsae & sequioris euentus. Quod & aliis iam obseruatum est, speciatim Plutarcho & ac Balduino. :

§. VIII. Restant officia hominum erga alios. De his vero quae Stoici praecipunt, adeo praeclara esse videntur, vt proxime hoc quidem in capite ad sanctiorem Christianorum disciplinam eos accedere clarissimis etiam viris persuasum fuerit, tantum abest vt temere in hac doctrinae parte quidquam ab illis tradatur, quod reprehendi debeat. Nonne aliorum amore hic omnia absoluuntur? Nec enim vllum temere officium erga alios a nobis praestandum est, quod non ex amore velut fonte limpidissimo fluat, & rite deriuetur. Iam quod amor aliorum vtramque in Stoicorum scholis faciat paginam, haud difficulter demonstrari potest. Ex multis, quin infinitis documentis pauca adferre lubet. Marcus Aurelius Antoninus totam de officiis doctrinam in compendi-

[s] in libello, an recte dictum sit latenter esse viuendum. (t) in casib. cons. IV 4. 1.

pendium missurus, Φίλησον, inquit, τὸ
 ἀνθρώπινον γένος, ἀκολούθησον θεῷ. *Dilige
 humanum genus, obsequere Deo.* Et iterum:
 quibus te hominibus satum adiunxit, τέττας Φί-
 λει, ἀλλ' ἀληθινῶς, eos amore idque vero pro-
 sequere. Sed ulterius progressi sunt Stoici,
 & ipsos inimicos diligendos esse praecepe-
 runt. Non disceptabo nunc superetne hoc
 omnem rationis vim, Stoicorum saltem pro-
 feram documenta. Antoninus prodeat: x
 cum te alius reprehendit aut odit, his aut aliis con-
 tem te verbis exclamat, ἀσπίδα τῶν ἀνθρώπων ἀντι-
 στασάτω ἀπὸ τοῦ στήθεος, ἀσπίδα τῶν ἀνθρώπων ἀντι-
 στασάτω ἀπὸ τοῦ στήθεος. *Cernes nihil esse cur labo-
 res, hoc vel illud de te tales iudicant. Bene qui-
 dem illis velle debes, εὐνοεῖν μὲντοι αὐτοῖς θεῖς,
 natura enim amici sunt.* Infinita mihi vel ex
 vnico Antonino suppetunt documenta,
 quibus hoc euincere possum. *Stud tamen
 cumprimis quod y plane praeterire nequeo:
 contemnor ab aliquo, viderit: ego iurabo ne quid
 contemptu dignum agam aut loquar. Odit me a-
 liquis: viderit. Ego quidem omnibus sum pla-
 cidus & benivolus &c.*

§. IX. Haec & alia de officiis hominis er-

N 5

ga

(v) lib. VII §. 22. & lib. VI §. 29. (x) lib. IX
 §. 21. (y) lib. XI §. 12.

ga alios præcipiunt Stoici, egregia sane & præstantissima, modo non omnia hæc effata rursus lubrico inniterentur fundamento. Proprium hoc est Stoicis, ex falsis principiis splendidissimas elicere conclusiones. Nulli fere gentilium ineptius de Numine censuere: nulli de eius cultu rectius aut præclarius locuti sunt, quam Stoici. Sic quis reprehendere ausit quæ de amore aliorum, & hinc fluentibus officiis inculcant? At in fontem introspecte. Diligendi sunt, inquit, omnes homines. Quare? quia *membra sunt vniuersi*. Homines velut ramos esse unius arboris asserit Antoninus: & *ramus a proximo amputari rano non potest, quin & a tota arbore refecetur: sic homo etiam ab uno auulsus homine (per eundem) non potest non etiam toto excidisse coetu*. Et idem eandem rationem homines inter se habere, asserit*, quam in vnitis & compactis corporibus habent membra. Quæ omnia eo tendunt, vt significant, homines vnus animæ, essentia scilicet diuinæ per vniuersum orbem diffusæ, factos esse participes. Hoc venenum, cuncta Stoicorum affluit dogmata. Eandem enim ob causam & cognationem inter omnes homines intercedere autumant, ad

(2) lib. XI §. 1. (*) lib. VII §. 9.

ad quam cumprimis prouocant, quoties homines ad se inuicem amandos inducere volunt. Seneca: ** *Membra sumus corporis magni, natura cognati sumus ex iisdem & in eadem geniti, amorem nobis indidit mutuuum, ex eius lege miserius est nocere, quam laedi.* Sed ex vngue leonem, ex hoc specimine, Stoicorum philosophiam moralem, quilibet cordatus agnoscer.

S. D. G.



(**) *epist. XCV.*

The first part of the paper is devoted to a discussion of the
 general principles of the theory of the structure of the
 atom. It is shown that the structure of the atom is
 determined by the laws of quantum mechanics. The
 results of the calculations are compared with the
 experimental data. It is found that the theory
 is in good agreement with the experiment. The
 results of the calculations are also compared with
 the results of the calculations of other authors. It
 is found that the results of the calculations are
 in good agreement with the results of the
 calculations of other authors.

G. D. ?



1924

EXERCITATIO
HISTORICO - PHILOSOPHICA
DE
SCEPTICISMO MORALI

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XI. NOV. ANNO MDCXCIX,

RESPONDENTE

IOACHIMO HENRICO Engelbrecht,
BIELFELDENSIS GVESTPHALO.

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO
130 St. George Street
Toronto, Ontario
M5S 1A5



Σύνοψις.



*S*cepticismus bonarum artium pestis est, §. I. quidam tamen perpennem Scepticismi arguuntur, §. II. Est vel universalis, cuius propugnatores indicantur, §. III. Vel particularis, isque rursus vel philosophicus; §. IV. vel theologicus, §. V. Philosophicus vel physicus est, §. VI. vel moralis §. VII. Moralis Scepticismus primo illorum est, qui summam hominis felicitatem in ἐποχῇ constituunt, §. VIII. deinde illorum, qui ius naturae, turpisque & honesti discrimen tollunt, §. IX. aut honestum ex solo utili metiuntur, ut Epicurus, §. X. in cuius sententiam ulterius inquiritur, §. XI. tertio, illorum, qui disciplinis moralibus certitudinem denegant, §. XII. quarto, illorum, qui ex consensu aut institutis gentium, honestatis fontem accersunt, §. XIII. quinto illorum, qui recte fieri aiunt, quaecunque ex probabili

bili opinione sunt, quae ad Scepticismum ducunt, §. XV. Nonnullos non tam doctrina, quam vita moribusque Scepticismum proderere docetur, §. XVI. In causas Scepticismi moralis inquiritur, §. XVII. Scepticismus universalis destruitur, §. XVIII. Scepticos quaedam in moralibus pro certis & firmis admittere indicatur, §. XIX. Refelluntur qui summam felicitatem in εὐνοχῆν quaerunt, XX. & ad argumenta illorum respondetur, §. XXI. XXII. Confutantur qui discrimen turpis & honesti tollunt §. XXIII. Profligatur sententia Epicuri, simulque demonstratur, eos qui ex socialitate ius naturae deriuant, cum Epicuro non consentire, nec Scepticismi argui posse, §. XXIV. XXV. Disciplinis moralibus certitudo vindicatur §. XXVI. & ad rationes dissentientium respondetur, §. XXVII. Consensus gentium labijactatur, §. XXVIII. XXIX. XXX. Probabilis opinionis figmentum proscribitur, §. XXXI. Reliquorum Scepticismus detegitur, & conuellitur, §. XXXII. Scepticismum in vita moribusque etiam fugiendum esse ostenditur, §. XXXIII.

§. I.



Olluctandum semper bonis artibus, cum hostibus quibusdam, & acerrimis earum osoribus fuit: qui omnes ingenii eo contulere vires, vt profligata atque proscrip̄ta liberalioris doctrinae, veraeque sapientiae luce, ignorantiae, errorum, dubitationum nunquam finiendarum tenebris omnes inuoluerent. At grauiores capitaliores que non expertae vnquam hostes sunt, quam Scepticos callidum & lubricum hominum genus, qui certitudinem omnem scientiamque sublatum euntes, ipsa fundamenta, quibus diuina humanaque innititur sapientia, labefactant, atque tantum non penitus euertunt. Horum improbos qui repellerent insultus, nunquam equidem defuere: qui vtique de omni re litteraria non potuerunt promereri praclarior, assertaeque & vindicatae sapientiae gloriam apud posteros quoque retulere. Quare & nos, quod pretium operae sit, facturos existimo, si eius philosophiae partis, cuius praecipue nos cura tangit, causam disceptandam tuendamque suscipiamus, eamque contra Scepticorum tela muniamus diligenter.

§. II. Non vnum vero est Scepticorum genus. Nonnulli etiam inuiso hocce nomine,

ne, per summum nefas insigniuntur, saltem quod nihil nisi aut diuina auctoritate, aut claris solidisque rationibus munitum, pro vero exploratoque admittere velint. Qui cum recto itinere ad sapientiae arcem contendant, tantum abest vt eos hostium loco habeamus, vt potius in eorum nos militare castris profiteamur aperte. Vt vero quilibet sibi ipsi maximopere fauet, & quod ipse sentit, id alios quoque sensisse facile credit: ita mirandum non est, ipsos Scepticos Homerum, Socratem, Platonem, aliosque sapientiae laude claros viros, a ordini suo adscripsisse: nisi alii, vt inuidiam illis conflarent, eos huic gregi annumerauerint. Non magis tamen inter Scepticos referri poterunt, quam Ioannes Gerson, Ludouicus Viues, Henricus Cornelius Agrippa, Franciscus Baco Verulamius, quos recentior aetas tulit, quiue ad Scholasticorum & quorumuis Dogmaticorum fastum omnium ludibrio exponendum, acriter saepius impugnarunt, quae vulgo certissima & supra quorumuis hostium tela posita credebantur. Nec aliorum quae Franciscus Sanchez in libro Scepticismum haud obscure prae-

se

(a) *vid. Diogenes Laërtius in Pyrrhone s. lib. IX
segm. 71. p. 585, edit. Marci Meibomii.*

se ferente, b commentatus est, spectare arbitror, quam ut inde pateret, lubrica admodum esse ista Philosophorum decreta, quae pro diuinis tamen subinde venditantur oraculis.

§. III. Sed qui serio apertissima quaeque certissimaque impugnant, illi vel cuncta sine discrimine evertenda sibi sumunt, vel certam doctrinae diuinae humanaeque partem conuellere, sedeque sua mouere an nituntur. Scepticismum hinc in vniuersalem & particularem dispescere soleo. Vniuersalis a Pyrrhone ad summum fastigium prouectus est. Praeludit illi viamque quodammodo munitur Zeno Eleates, logicarum cauillationum summus artifex. c Secutus est Heraclitus, contraria vni& eidem inesse asserens. d Arcefilas secundae Academiae conditor, quantum modestia a primae Academiae philosophis recessit, tanto eos superauit audacia & cuncta impugnandi libidine. e Carneades tertiae Academiae stator.

○ 2

mo-

- (b) *de multum nobili & prima vniuersali scientia, quod nihil sciatur: prodiit Lugduni a. 1581. recensum cum refutatione Hartnaccii Sedini, a. 1665. (c) vid. Diog. Laertius lib. IX. segm. 29. pag. 566. (d) vid. Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotyp. lib. I. c. XXXIX pag. 439. edit. quae a. 1569 prodiit. (e) vid. Cicero quaeß. academ. lib. IV n. 13. 14. p. III. 21.*

moderatioꝛ videri voluit, fontemque incertitudinis non tam in rebus ipsis, quam mentis nostrae imbecillitate quaesivit, diuina tamen humanaque labefactauit iura. f Pyrrho citra controuersiam omnes superauit : cumque Arcesilas diceret, hoc saltem se comprehendere, quod nihil comprehendi posset, illud quoque quod nihil comprehendere posset, se comprehendere negauit. Veteribus etiam quosdam recentiorum & quidem ex Scholasticorum turba Rodericum, Arriagam, & Iohannem L'Allemandetum, addit Petrus de Villemandy g.

§. IV. Cum vero ineffabilis Numinis benignitas, praeter lumen rationis, Scripturam Sacram quoque mortalibus impertiuerit, per quā res, quae longe mentis humanae captum superant, edocemur; haec vero humani ingenii petulantiam quantumuis diuina auctoritate munita, non magis coërcere semper possit, quam illud, rursus Scepticorum duo inde oriuntur genera. Alii enim rationi omnia, reuelationi diuinæ nihil: alii contra reuelationi omnia, nihil rationi tribuunt. Et hi quidem, si peccant, longe excusatius peccant quam illi, cum rationis imbecillitas, voluntatisque prauitas, secundissimi errorum omnium fontes facile aliquem in
eam

(f) vid. Lactantius *instit. diuin. lib. V c. XVI.*

(g) in *Scepticismo debellato c. IV p. 32.*

eam adducere opinionem possint, homines diuinitus per Scripturam non collustratos, in maxima rerum omnium versari ignorantia. Hoc quoque nomine illorum sententia, si non laudem, saltem veniam promereri videtur, quod quantum rationi per eam decedit, tantum Scripturae Sacrae auctoritati accedat, quam factam tectamque, seruari, omnium maximopere interest. Sic Franciscus Mothaeus Vayerius, vir amoenissimi ingenii, licet ἐποχὴν subinde celebret atque commendet, cuncta tamen ad Scripturam Sacram, ceu lapidem lydium, regulamque certissimam, exigi & posse, & debere, profitetur. At serio & omni conatu in id incubuit Hieronymus Hirnhaim, edito libro de *Typbo*, vt vocat, *generis humani, siue scientiarum humanarum inani ac ventoso tumore, difficultate, labilitate, falsitate, iactantia, praesumptione, incommodis, & periculis*: h in quo omnem mouet lapidem, consilio forte non adeo reprehendendo, at non aequae felici successu, vt philosophiae fundamenta subuertat, & ad Scripturam Sacram, ceu vnicum verae sapientiae fontem, homines ableget.

§. V. At longe aliam ingrediuntur viam, qui rationi ita litant, vt ea, ad Scripturae Sacrae firmissimum praesidium hominibus eripiendum abutantur. Agmen inter eos

O. 3

du-

ducit Benedictus Spinoza, quocum certamen impietatis iniisse videtur Thomas Hobbesius. Vterque ut hominibus persuaderet, quas sacras vocamus litteras a Deo profectas non esse, nec tuto quemquam iis inniti posse, nihil fecit reliqui. Sunt vero & alii, qui licet de diuina Scripturae Sacrae auctoritate nihil se detrahere, videri velint, talia tamen asserunt, per quae haec vix salua esse potest. Certe qui cum Isaaco Vosio, Richardo Simonio, aliisque, criticae artis censoriae virgulae Scripturam Sacram audacter subiiciunt, & ut habeant quod mutant, corrigant, emendent, corruptam eam depravatamque contendunt: aut qui vel ab Ecclesiae testimonio, vel a rationis iudicio, ut inter clarissimos doctissimosque viros Henricum Hulsium, i atque Iohannem Regium k disputatum fuit, fidei, qua diuinam eius auctoritatem credimus, certitudinem suspendunt, an in sacris diuinisque rebus absolui a Scepticismi crimine plane possint, non temere affirmare ausim.

§. VI. Cum his quidem alii certent, quibus id datum est. Nobis cum illis nunc res est, qui philosophiae infesta arma inferunt.

Qui

(i) in libro de principio credendi Lugd. Bat. a. 1688. edito. (k) in libro de modo percipiendi Scripturae S. diuinitatem Franqueuae a. 1658. edito.

Qui tamen rursus in duas abeunt classes. Nonnulli enim naturalium rerum certitudinem sollicitant, physicam labefactaturi: alii ad moralem doctrinam impugnandam arma sua conuertunt. Vtrumque vel aperte fit & citra ambages, vel per anfractus atque cuniculos talia ponendo principia, quæ cum per se ambigua sint, certi quid & extra dubitationem positi progignere nequeunt. Aperte fatis contra physicam in circulis suis Pisanis insurgit Claudius Berigardus, a quo non procul recedit Sebastianus Basson in sua aduersus Aristotelem philosophia naturali, parumque abest quin de Gasfendo, Bernerio, aliisque Epicureæ philosophiæ alumnis idem sentiam: sentit sane ita de illis Petrus de Villemandy. ¹ Renatus Cartesius autem licet ad Scepticismum debellandum suam ex instituto comparauerit philosophiam, nihilominus dum sensibus omnem plane abrogauit fidem, ^m tale quid admisit, quod saltem in rebus naturalibus munire ad Scepticismum viam possit: in quo præter alios magistrum secutus est Malebranchius, sed ita secutus est vt fere superauerit ⁿ.

O 4

§. VII.

- (1) in *Scepticismo debellato*, cap. IV pag. 29. (m)
 conf. princip. lib. I art. IV. & lib. II. art. III.
 (n) de *inquirenda veritate* lib. I per integr.

§. VII. Pari ratione qui in moralibus Scepticos agunt, non vno eodemque modo incedunt. Alii aperte quid velint prae se ferunt: alii aut per insidias, aut per imprudentiam morali doctrinae eiusmodi substernunt fundamenta, lubrica utique & vacillantia, ut quod iis inaedificatur non possit non aut nutare, aut collabascere penitus. Vtrique impugnandi & quantum per ingenii vires licuerit debellandi veniunt: licet vtri periculosiores sint, non facile definiri queat. Certe qui Scepticismi suspicionem a se amoliuntur, dum incautis venenum propinant, magis nocent, minus tamen negotii facillunt, cum Scepticismum horum detexisse, sit eos refutasse. Faciemus tamen periculum, & ordine primum eos quibuscum nobis in certamen descendendum est, recensēbimus, deinceps copias illorum, si quas habent, profligabimus.

§. VIII. Primum itaque inter eos qui Scepticismum moralem profitentur locum obtinent, qui summam hominis felicitatem in ἀποχήν constituunt. Fecisse hoc Pyrrhonis discipulos testem auctoremque habemus Sextum Empiricum, o. *Dicimus autem etiamnum*, inquit, interprete Gentiano Herueto, *finem esse sceptici imperturbatum mentis statum circa ea, quae ad opinionationem spectant,*

(O) Pyrrhon. hypotyp. lib. I cap. XII pag. 410.

Et in coactis μετριοπάθειαν. At hunc finem obtineri non posse nisi per *εποχήν*, fuisse edisserit, tandemque concludit: *cum autem id efficere non potuissent*, [quasdam res pro malis, quasdam pro bonis reputando] *assensum retinuerunt: at hanc assensus retentionem quasi fortuito imperturbatus mentis status consecutus est, tanquam umbra corpus.* Luculentius & rotundius alibi: *p* qui itaque sustinet assensionem de omnibus quae sunt ex opinione, *perfectissima fruitur felicitate.* Nec desunt Scepticis quae pro palliando errore afferant. Diuersas de summo bono esse opiniones conqueruntur, quarum nulla tam splendidis rationibus firmata, ut non aequae graues & ponderosae illi opponi possint. Satius igitur esse suum hanc de re suspendere iudicium, & in ipsa suspensione summam quaerere felicitatem. Porro is felix demum, inquit, censeri potest, qui animi perturbationum est vacuus. Vacuus vero earum nemo erit, nisi qui *εποχήν* fuerit amplexus. Eos qui felicitatem certi quid esse statuunt, ingenti semper teneri sollicitudine, ut istud quod summum bonum esse credunt consequantur, aut si consecuti sint, partim nimio eos conturbari gaudio, partim noua angusti cura, ne multo labore parata amittant, & quo nunc

O 5

E

[p] *aduers. mathematic. lib. X p. 38.*

se efferunt eo mox se spoliatos, exutosque videant.

§.IX. Iungendi his omnino sunt, qui natura nihil turpe aut honestum esse statuunt. Ita existimavit itidem PYRRHO ἄδὲν ἔφασκεν, inquit DIOGENES LAERTIUS ἢ ἔτε καλόν, ἢ τε αἰσχρόν, ἢ τε δίκαιον, ἢ τε ἀδίκον. *Nihil aiebat pulcrum aut turpe, nihilque iustum aut iniustum.* Suffragabantur illi Cyrenaici, duce & auctore ARISTIPPO, asserentes itidem apud LAËRTIUM, ἢ μὴδὲν τε εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ καλόν ἢ αἰσχρόν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει. *Nihil natura esse iustum aut bonum, aut turpe, sed lege & consuetudine.* Cum primis Carneades ad sententiam hanc tuendam omnes ingenii atque doctrinae intendit nervos, asseritque apud Lactantium, s. *iura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus saepe mutata: ius autem naturale esse nullum: omnes & homines & alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri: proinde aut nullam esse iustitiam; aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis consulens.* Addebat idem Carneades omnibus populis qui florent imperio, & Romanis quoque ipsis, qui totius orbis

(q) in Pyrrhon. s. lib. IX segm. 61. p. 587. (r) in Aristippo s. lib. II. segm. 93. p. 135. [s] diu. instit. lib. V. cap. XV.

bis potirentur, si iusti velint esse, hoc est si aliena restituant, ad casus esse redeundum, & in egestate ac miseriis iacendum.

§. X. Non procul hinc abit Epicurus, cuius mentem sententiamque ita effert Horatius.

*Cum ventum ad verum est, sensus moresque
repugnant,*

Atque ipsa utilitas, iusti prope mater & aequi.

Cum prorepserunt primis animalia terris

Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter

Vnguibus & pugnibus, dein fustibus atque ita porro

Pugnabant armis quae post fabricauerat usus,

Donec verba quibus voces sensusque notarent

Nominaque inuenere: dehinc absistere bello,

Oppida coeperunt munire, & ponere leges,

Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

Et paucis interiectis :

Jura inuenta metu iniusti fateare necesse est,

Tempore si fastosque velis euoluere Mundi,

Nec natura potest iusto discernere iniquum.

Non poterat Epicuri sententia delineari accuratius. Namque de primo hominum ortu ita existimabat v prorupisse eos e terra

vt

(t) lib. I sat. III. v. 96. seq. [v] vid. Lucretius lib. V. p. 173. edit. Giffanii.

vt fungos : hinc ferarum ritu dispersos ,
nec vlllo aut societatis aut sermonis vincu-
lo iunctos in mutua exarsisse certamina.

- - - prius omnis in armis

*Spes fuit, & nuda sylvas virtute mouebant
Inconsulti homines. x*

Perspectis autem incommodis periculisque,
quae hanc vitae rationem comitabantur ,
coiuisse eos in societatem, eamque firmasse
pactis, constituisse ciuitates, iuraque & le-
ges sanxisse, & ita demum squalore omni &
barbarie abiecta, ad cultum & humanitatem
fuisse traductos.

§. XI. Sunt qui emollire Epicuri senten-
tiam volunt, y asseruntque vtilitate quidem
compulsos adductosque mortales iura sibi
legesque constituisse, sed simul ab ipsa natura
eos vt hoc facerent, fuisse concitatos, quam
ille non seiunxerit, sed amico potius fe-
dere cum vtilitate sociauerit. z Parumque ab-
esse quin Epicuro iniuriam inferant Cicero,
Cuiacius,* & quotquot eius sententiam vell-
cant, aegreque ferunt, quod leges & iura ab
vtilitate potius quam a natura deduxerit. Nō
potuisse

(x) *Gratius in Cynegeticis p. 93.* (y) *vid. Gassend.
in lib. X. Diog. Laërt. fol. 1526. it. Rappoldus in
Horatii lib. I. ferm. sat. III. p. 98.* (z) *de fi-
nibus bonor. & mal. n. 5. p. m. 88.* (a) *in lib.
IX ff. de I. & I.*

potuisse eum iura deducere ab vtilitate, quin simul ab ipsa natura ea deriuaret. Fecisse idem & alios philosophos, qui tamen ideo tam male non audiant. Ipsum Aristotelem ^b idem docuisse, quod *videtur*, inquit, *ciuilis societas vtilitatis gratia initio co-isse, atque etiamnum perstare.* Parum tamen mea opinione, qui ita differunt, proficiunt. Namque eo cuncta redeunt, si vel maxime omnia admittantur, homines non sola vtilitate adductos, sed instinctu quodam naturae impulsos iura legesque ciuiles sanxisse. Nullum ergo ius, nullam legem praeter ciuilem Epicurus agnouit. Instinctus vero ille naturalis, qui homines adduxit ad colendam societatem, non est ius naturae, nec ab Epicuro aut eius discipulis pro eo venditur. Si ergo non aliis, praeterquam ciuilibus legibus orbis regitur, quae ab hominum nutu arbitrioque pendeant, in incerto posita erit omnis honestatis ratio, & Scepticismus moralis vbique triumphabit.

§. XII. Proximum ab his locum occupant, qui moralem disciplinam demonstrationibus vti inficiantur. Enimvero licet a Sceptico, de omnibus dubitante, differat, qui verosimilem cognitionem admittit, prope tamen ad eum accedit. Saltem facillime

(b) *lib. VIII. ethic. ad Nicomachum cap. X.*

me vt cuncta in dubium vocent, adduci possunt, qui nihil tam firmum certumque esse credunt, vt non contrarium grauis-
 mis itidem solidisque rationibus queat com-
 probari. His autem ipse praeiuit exem-
 plum Aristoteles, moralis disciplinae certi-
 tudinem non mediocriter labefactans. τὸ
 γὰρ ἀκριβές, inquit ε ἔχ' ὁμοίως ἐν ἅπασι
 τοῖς λόγοις ἐπιζητέον, ὥσπερ εἰδὲ ἐν ταῖς δη-
 μιουργημένοις. Τὰ δὲ καλὰ καὶ δίκαια, περὶ
 ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει δια-
 φορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι,
 φύσει δὲ μὴ. Τοιαύτην δὲ τινα πλάνην ἔχει
 καὶ τ' ἀγαθὰ, διὰ τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλά-
 βας ἀπ' αὐτῶν. Ἦδη γὰρ τινες ἀπώλοντο διὰ
 πλῆτον, ἕτεροι δὲ δι' ἀνδρείαν. ἀγαπητὸν εἶναι
 περὶ τοιούτων καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, παχυλῶς
 καὶ τύπῳ τ' ἀληθεῖς ἐνδείκνυσθαι. *Accurata tracta-
 tio non simili modo in vnoquoque genere exquirenda
 est, quemadmodum nec in operibus manufactis.
 Atqui in iis rebus quae honestae, quaeque iustae
 sunt, quas civilis scientia considerat, tanta est dis-
 sensio, tantaque in eis versatur erratio, ut lege
 tantummodo non natura consistere videantur. Ea-
 demque de bonis quoque controuersa est, & idem
 error extitit, propterea quod ex his multi detri-
 menta capiant. Aliis enim diuitiae, aliis fortis-
 tudo corporis exitio fuit. Ergo satis erit, si nos*

CUM

(c) lib. I ethic. ad Nicomachum cap. 1.

cum de talibus & ex talibus differamus, pingui quadum Minerua, atque adumbrata figuratone verum ostendamus. Diserte hic non tantum quae menti suae de moralis doctrinae certitudine sedeat sententia profiteretur, sed causam quoque subinnuit, quod natura nihil iustum & honestum sit, cum a lege civili honestatis omnis origo sit deriuanda: ὥστε δοκεῖν μόνω νόμῳ εἶναι, τῇ δὲ Φύσει μή. Quin nec quid bonum malumue sit determinari posse contendit. Ut adeo haud difficulter nunc accedam illis, qui Aristotelem eandem de iusti atque honesti origine cum Epicuro fouisse sententiam arbitrantur. Eum praeter alios secutus est Hugo Grotius, d cui libera ceteroquin philosophandi ratio placuit. *Verissimum est, inquit, quod scripsit Aristoteles, in moralibus non aeque ut in mathematicis disciplinis, certitudinem inueniri.* Idque ex eo comprobare annititur, quod in moralibus circumstantiae etiam minimae variant materiam, & formae de quibus agitur, soleant habere interiectum aliquid, ea latitudine, ut modo ad hoc modo ad illud extremum propius accedatur. Quod quam vim probandi sententiamque hanc confirmandi habeat, deinceps exquiremus: nunc eos qui

Scepti-

(d) de iure B. & P. lib. II cap. 23. §. 1.

Scepticismo morali patrocinantur, enumerasse sufficit.

§. XIII. Accedimus nunc ad illos, qui cum Scepticismum summopere fugere videantur, eiusmodi tamen assertiones ponunt, quae recto itinere huc ducunt. Pertinent huc utique illi qui gentium aut omnium, aut moratorum consensum pro iusti honestiue norma venditant. His rursus Aristoteles viam monstravit. ὁ πᾶσι inquit ille εὐδοκεῖ, τῷτο εἶναι φάμεν: quod omnibus videtur, seu in quo omnes consentiunt, illud ceu verum recipitur. Rationem huius effati reddit alibi: εἰ τῷ μὲν ἀληθεῖ πάντα συνάδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευθεῖ ταχύ διαφωνεῖ τ' ἀληθές. Quod verum est cum eo congruunt omnia, quae extant inter homines: a falso autem cito verum disfidet & discrepat. Similia & in Rhetoricorum libris g docet. Suffragantur interpretes. Alexander Aphrodisiensis, h naturae ius id vocari posse putat, quod apud omnes idem est. Sic & Eustratius: i utitur vero in hoc communi consensu: utpote ex se fide digno, nulloque extrinsecus ad confirmationem indigente. Nec aliter ex Romanis sentiunt Cicero & Seneca. Ille k quidem omnis, inquit,

in

(e) lib. X ethic. ad Nicom. cap II. (f) ib. lib. I cap VIII. (g) lib. I cap. III. (h) ad lib. II de anima cap. XLII. (i) ad lib. I Nicom. cap. VIII (k) lib. I suscul. quaest. n. 30. p. m. 171.

in re consensus omnium gentium, lex naturae putanda est. Hic autem: ¹ multum dare solentis praesumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri: tanquam Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec vlla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos Deos credat. Cum de animarum aeternitate differimus non leue momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut confidentium. At cum nonnulli intelligerent, frustra ad omnium gentium consensum provocari, nec vllum temere moralis doctrinae caput reperiatur, in quo omnes gentes consentiant, moratorum gentium consensum, at non feliciore successu, ut deinceps demonstrabitur, substituerunt. Quae sententia, ut multis arrisit, ita nec ipsum Hugonem Grotium ab ea plane alienum esse constat.

§. XIV: Piget me illorum quoque hic iucere mentionem, qui probabilem opinionem pro fundamento omnibus actionibus hominum, ipsique doctrinae morali substernunt: instituti tamen ratio, ne eos praetermittamus postulat. Barbaram & ab omni ratione alienam sententiam facile agnoscas, quae inter barbaros homines veritatisque

(1) *epist. CXVII p. m. 186, (m) lib. I de I. b. G. p. cap. I §. XI.*

non minus quam liberaliori doctrinae inimicos, Scholasticos, inquam, orta, ab iisque in humani generis perniciem, sui autem, quo se efferunt, regni, ad tuendam, ignorantiam & impietatem comparati incrementum sedulo inculcata est, atque defensa. Ita quippe existimant, eum bene sibi consulere, & a peccandi periculo longe remotum esse, qui probabilem opinionem, qua ipsi, actionem quam perpetrat, minime pravam esse, persuasum sit, sequatur. Perinde autem illis est migretur ne lex diuina, an obseruetur, modo probabili quis nitatur opinione. Nec est, quod putes, argumenta quae momentum trahant requiri, ut probabili ratione tibi aliquid persuadeas. Vel vnus, jeiuni & illepidi Doctoris auctoritas, ad hoc sufficit. Efficitur inde, ut nihil tam turpe & ab omni honestate alienum sit, quod non aliquando, qui hanc viam ingreditur, sibi licere existimare possit, cum nullum crimen, nullumque scelus sit, cui aliquis ex istis non fuerit patrocinator. ⁿ Quo ipso perditissimorum Scepticorum stultitiam non adaequant tantum, sed & superant. Possem si vellem erroris originem a Thoma de Aquino deriuare, & quo pacto per Bonauenturam, Vasquezium, Sanchetium, Nauarrum, Cernam, Cordubam, Escobarium propagatus, ab

Hono-

(n) *vid. Ludouicus Montakius in epist. pron. epist. V p. m. 61. seq.*

Honorato Fabro, Antonio Terillo, Amadeo Guimeno aliisque acriter strenueque propugnatis sit ostendere, nisi religioni mihi ducerem inconditæ sententiæ, iamque confectæ penitus, & profligatæ, commemoratione tempus frustra perdere.

§. XV. Ceteros, quos indicare operæ pretium fuerit, nunc vnico complectar fascæ. Sane subinde a præstantissimis viris ad eiusmodi prouocari principia videas, quibus si concederetur locus, incerta omnia, lubrica, & ambigua forent. Sic nonnulli ex his, quæ hominibus brutisque communiter competunt, honestatis naturalis regulam capiunt, pleraque hoc ipso in incerto relinquentes. Namque præter instinctum quo ad se defendendum seque & sobolem suam conseruandum feruntur, quicquam cum brutis homini commune esse, asseuerare non audent. Nisi forte singularia quaedam *αἰνιωτά τῆς ἀνθρώπινος ζωῆς*, vt Aristoteles p. vocat, huc referre velint. Qualia quidem de nonnullis brutorum Aristoteles & Varro, Aelianus, Plinius, & alique memoriae prodiderunt. Quæ tamen hic recte in

P

ex.

(o) vid. Seldenus de I. Nat. & gent. iuxta disciplinam, Ebr. lib. I cap. IV. (p) de histor. animalium lib. IX cap. VII. (q) l. c. cap. XLVII. (r) de rustica lib. II cap. VII. (s) de animal. lib. IV cap. VIII. (t) hist. nat. lib. VIII c. VIII.

exemplum venire, ipsemet, qui hanc sententiam tuentur, abnuent. Porro in censum hunc & illi veniunt, qui in gravissimis quaestionibus ad pudorem naturalem provocant, subinvenientes veluti quicquid pudorem insuit, vetitum esse, legeque naturae prohibitum: secus contra se habere, quae perpetuatus, ut nullo inde suffundamur pudore. Sed & illi in hunc ordinem referendi sunt, nisi me omnia fallunt, qui quaedam per se ante omnem legem honesta aut turpia esse statuunt. Certe quo pacto quid turpe, quidne honestum sit definire queant, cum verum ut nicumque honestatis fontem, convenientiam cum lege, negligant, non video. Nec tamen dum hos Scepticis mihi arguo, statim illorum sententiam approbo, qui ita cuncta a voluntate Dei pendere asserunt, ut contrarium sancite statuereque possit. Namque hos quoque a Scepticismo prope abesse affirmare non dubito cum Petro de Villermandy. Denique & illi praetermittendi non sunt, qui supremam actionis regulam cuiusque conscientiam statuunt; siue simul asserant conscientiam errare non posse, quod in quibusdam Cartesii discipulis merito reprehendit Petrus Poiret, siue contentant, errant.

(v) vid. Grot. de I. b. § p. lib. II cap. V §. XII. 2. (x) in Scepticismo de bellato cap. II p. 10. (y) de erudit. solida, superfic. & falsa lib. III. §. LIV.

erranti etiam conscientiae semper obediendum esse. Hos omnes a Scepticismo non posse liberari, deinceps constabit.

§. XVI. Superest adhuc aliud Scepticismi genus, occultius quidem istud, idem tamen longe frequentius, & nunquam non in vita quotidiana observandum. Illos inuimus qui cum se uere admodum in Scepticos quoscunque declamasse didicerint, aut saltem a Scepticismo praesul abesse videantur, in tota uita rationem omnibusque negotiis in se gerunt ut quae tendit ad quorsum uitae cursum dirigant, ipsimet nescire uideantur. In hos quadrat illud Senecae: *si quis prope sit uagantibus ante portum, quae desinat uenerunt, agunt, sed in quae inciderunt, in con- fultus illis municipalis cursus est, qualis formicis per arbores & penitentes cauae in summum cacumen deinde in inuicem insinas aguntur. Illis plerique sumunt vitam agunt, quorum non imperito quis inquietam mercedem dixerit.* Atque hoc cum in singulis quorundam actionibus intelligere liceat: tum ad summum bonum, quod in ore semper habent, uix inquam, respicere uidentur. Nautis haud absimiles esse uidentur qui de hoc loco ad quem cursum dirigere uelint uerba multa facientes inu-

(2) vid. auct. comm. philos. in hac uerba: coge eum intrare part. II cap. IX. (a) de tranquill. animi cap. XXIX. (b) de tranquill. animi cap. IX. (c) de tranquill. animi cap. IX. (d)

quam tamen, ut eò perueniant, in animum inducunt, sed huc illuc fluctibus iactantur. Praeclare iterum Seneca: *b* *proponamus oportet finem summiboni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat: veluti nauigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito vaga est.* Pari ratione maxima mortalium pars, Scepticorum, iusti in iustitiae discrimen tollentium errores verbis detestatur, factis comprobat. Idque & in aliis doctrinae moralis capitibus contingit. Sic, etsi multi probabilis opinionis commento valde se infensos profiteantur, ita tamen vitam suam instituant, ut auctoritate potius quam ratione, vel quod Christianos potius decebat, diuinarum litterarum praefortio ducantur. Indeque plerisque, maximum obstaculum, quo minus de moribus suis emendandis serio cogitent, ponitur. *In ter causas, inquit Seneca, c* *malorum nostrorum est, quod bilis ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abduimur.*

¶ §. XVII. Sed ruat, priusquam proteliamur. Vt enim, paucis in causam, quae quosdam in Scepticismum dat praecipites, inquirere. Non utar ambagibus, sed quod res est dicam, plerosque aut ambitione, aut ignorantia ad Scepticismum aut verbis utunque assertionibusque suis profitendum, aut in

vita

(b) *epist. XCV p. m. 791.* (c) *epist. CXXXII p. m. 885.*

vita vsurpandum, adduci. Ambitione quidem, dum praesentia ceu trita & vulgata fastidientes, semper noua quaerunt, aut inconsulto ad quaelibet impugnanda abripiuntur impetu saltem vt ostendent ingenii vires, & plus aliis sapere videantur. Vnde tandem intelligendo faciunt vt nihil intelligent, & dum omnia carpunt & sollicitant, ipsi in quo pedem figant, non inueniunt. Disputandi enim & sugillandi pruritus, postquam in consuetudinem abiit, nunquam non mentem vexat, nec quiescere finit. Fit inde, vt apertissima quaeque clarissimaque praetermittat, aut caligine, quam lubido confundit, praepedita pro obscuris & incertis habeat. Ignauia autem homines in transuersum agit, dum non explorata veritate rerumque certitudine, quod molestum illis est, caeco impetu aliorum sequuntur auctoritatem. Ergo quod illi dicunt non tantum amplectuntur promiscue, sed virtutis etiam actionumque suarum regulam aut in virorum doctorum sententiis, aut hominum consuetudine, gentiumque moribus & institutis quaerunt. A voluntate itaque mali origo arcessenda est, prorsus vt ceterorum vitiorum, quibus intellectus laborat. Cui nisi adhibeatur medela, frustra in purgando corrigendoue intellectu laboraueris. Ignauiam & torporem excutiat, remoueat.

P. 4. ambi-

ambitionem, nec excellere aut eminere cupiat, ingenue litet veritati, qui sanitati restitui desiderat, frustra ceteroquin in Scepticismo ex mente sua eradicando laborauerit.

§. XVIII. Qui animum ita vitis purgatam secum attulerit, haud difficulter vel deponat errorem, adduci poterit, si quas afferemus rationes, secum expenderit. In primo quidem quod ad eos attinet, qui cum Pyrrhone rerum omnium certitudinem tollunt, hi suismet placitis atque decretis se ipsos refutant. Dubitamus, inquit, de omnibus! Quid? de omnibus? Ergone etiam dubitas an existas? Sed hoc ipso idem fateris te dubitare, negare nequis te existere. Frustra ceteroquin, te dubitare, dices. Potro, si dubitas, necesse est animo tuo obuersetur aliquid de quo dubitas. Qui enim animo cogitationibusque suis nihil agit, ille etiam nec dubitat. At hoc ipsum quod animo tuo obuersatur, siue notionem, siue speciem dixeris, siue alio nomine appellaueris, supponit aliquid cuius sit notio, siue actu hoc existat, siue existere possit. Ergo in quamcunque te vertas partem, confiteare necesse est, existere aliquid, vel existere posse, de quo dubitas, deque eo, quod existat, vel existere possit, te non posse dubitare. Adde & istud: negare nequis, quasdam notiones ita esse comparatas, vt a te ipso non

non procedant, ut cum eiusmodi quid exhibent, quod removere potius quam accersere velles. Quare cum istae notiones non possint non rei alicuius notiones esse, nec a te procedant, eas rem extra te designare necesse est: adeoque rursus de rerum quarundam extra te positarum existentia ambigere nequis. At de earum diuersitate non satis constat? periculumque deceptionis forte imminet? Sed si dubitas, quod profiteris, quaedam rerum diuersitatem admittas necesse est. Dubitas, virtusne aliquid sit an vitium? Exploratum ergo habes aliquid virtutem esse, quod vitium non sit. Ambigas quod tibi accidit, malumne an bonum sit? Ergo concedis, quod si malum dicit, bonum esse non possit. Certe dum dubitamus, res diuersas & a se distinctas consideramus inter se atque comparamus: atque hoc ipso eas diuersas esse, profiteremur. Possem si opus esset, ex inuito omnibus sciendi desiderio, vano utique, ne quid grauius dicam, si nulla rerum certa cognitio daretur, itemque ex mentis humanae indole, certis perspicuisque plene acquiescentis, incertis dubisque per se assensum suum denegantis, nostram prolixè muise sententiam: sed instituti nostri hoc minime concedunt leges. Nec immotabimur nunc in cavillationibus eorum sollicitè diluendis. Falli eos, siue res

ipsas sollicitent, easque incertas, fallaces, abstrusas, inuolutas esse, nec vlllo indicio nobis allucere clamitent, siue humanæ mentis imbecillitatem, labilitatem, sensuumque fallaciam & errores crepent, siue denique in methodis inueniendi verum quicquam desiderent, euictum iam ab illis est, qui Scepticismum debellare conficereque instituerunt, Petro scilicet Gassendo, & Samuele Parkerō, Merfennof quoque, Schoëckio, & Hartnaccio, h & qui ceteros omnes vincit, Petro de Villemandy. *

§. XIX. Prætermittendum hæc nobis non est, quod ad causam, quam tuendam suscipimus cum primis pertinet, ipsos Scepticos licet de omnibus se dubitare videri velint, in moralibus tamen quaedam ceu certa & indubitata admittere. Huiusmodi illud est, quod asserunt, & in quo consentiunt, huius vitæ felicitatem in animi ἀταραξία & tranquillitate esse constituendam, eamque partim ex opinionum æquilibrio, partim ex affectuum moderatione fluere. Patet id ex locis supra hallatis. Duplex ex hac confessione

(d) lib. II. de logicae fine tom. I. opp. (e) contra Scepticos & academicos. (f) de veritate scientiarum aduersus Scepticos & Pyrrhonicos. (g) de Scepticismo. (h) in libro Sanchez aliquid sciens. (*)

hinc ad nos redundat commodum. Vnum quidem, quod iam certi quid admittant, in *αταραξία* videlicet summam felicitatem esse quaerendam. Quo ipso vniuersalis illa *σκέψις* penitus corrumpitur. Alterum, quod in moribus etiam aliquid, quod certum sit & exploratae veritatis, admittant, dari videlicet summam hominis felicitatem, eamque esse quaerendam. Quin & illud concedunt, ambabusque largiuntur manibus, vnicam esse perueniendi ad felicitatem viam, *σκέψιν*. Ergo & hoc ratum apud illos, & extra dubitationem positum est. Et licet se dubitare aiant, an res, quae illos afficit, hoc vel alio modo se habeat; rursus tamen pro certo ponunt, aliquid hoc vel alio modo sibi videri. Proinde concedunt, & pro certo habent, aliquid sibi videri malum, aliud bonum, licet an bonum vel malum sit, definire nolint. *τὸ μὲν ὅτι ἐστὶ γλυκὺ*, inquit Timon apud Diogenem Laertium (1) *ἔ τιθῆμι, τὸ δὲ ὅτι φαίνεται ὁμολογῶ. Quod istud dulce sit, non pronuntio: quod autem videatur, assentior.* Cetera, quae afferri possent, mitto.

§. XX. Iam quod asserunt, in ipsa *εποχῇ* summam hominis ponendam esse felicitatem, in eo falluntur turpiter. Quod ita euincitur. Summa felicitas, nihil aliud est, quam summi boni possessio. Boni summi autem

(1) in *pyrrhon. s. lib. IX. segm. CV. p. 597.*

tem titulo nomineque illud demum dignum est, quod mentem hominis perficit, morbisque & vitiis, quibus misere vexatur, eam liberat: immo quod in se etiam praestantissimum est, ut nihil bonum dici aut cogitari possit, quod istud non complectatur. Non abnuet hoc Scepticus, cum si aliud summum bonum sibi fingeret, tale quid statueret, quod secum pugnaret. At pugnantiis secum admittere, quantumvis velint, non tamen possunt. Haecine autem an in *εποχῇ* quadrent, ipsorummet Scepticorum iudicium esto. Nemo puto, tam bonae mentis inops erit, ut affirmare ausit, maioris perfectionis esse, dubitare, quam certa cognitio ne praeditum esse. Multo minus *εποχῇ* intellectus voluntatisque mederi vitiis, affirmabunt. Reclamat enim experientia. Quod vero nec *ἀταραξία* inde expectari possit, mox demonstrabitur. Proinde infirmitas potius & morbus mentis est *εποχῇ* ista, tantum abest, ut hominem felicem reddat.

§. XXI. Nec rationes, quas afferunt, a me, ut secus sentiam, impetrabunt. Diversae, inquit, sunt de summo bono sententiae. Non abnuo. Nec causam ignoro. Metuntur plerique summum bonum, non ratione, sed pravis suis cupiditatibus. Nam haud facile animus verum providet, ubi affectus officiant. *Vbi intendere ingenium,* inquit Sallustius,

stius, & valet: si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Quid mirum si auarus in opibus summam felicitatem quaerat, aut ambitiosus in honoribus? Nihil aliud, quam quod cupit, menti eius obuersatur. Adeoque coeco haud absimilis est: nec magis, in quo vera posita sit felicitas, cognoscere, quam hic de coloribus iudicare potest. Ut vero ineptus esset, qui ex eo, quod coeci solem se videre negant, cum alii eius lumine se recreari profiteantur, inferre vellet, de sole non posse certi quid definiri: sic non magis Sceptici sapiunt, dum ex opinionum varietate, summum bonum ipsum, in dubium vocant. Diuersitatem opinionum, veritatem rei non tollere, sapientum scitum est. Quod vero potro addunt, omnes de summo bono sententias, aequae grauibus rationibus confirmari posse, in eam firam aut impudentiam, aut insipientiam produunt. Res ipsa hoc refellit. Nec enim vlla ratione, quae momentum, trahat, impugnari illorum sententia potest, qui in ipso Deo, summam felicitatem quaerunt.

§. XXII. At instant: ἀταραξίαν, in qua summa hominis felicitas consistit, nemo sine iudicii suspensione, consequi potest. Sed primo, falluntur, dum summam felicitatem in ista ἀταραξία constituunt. Consequi

qui

(k) ¹⁰¹ de bello catilin. cap. 51.

quitur haec summam felicitatem, non est ipsa felicitas. Deinde *ἀταραξία* ista, mentisque tranquillitas, quae quidem in mortales cadit, hominis cum Deo unionem semper comitatur. Proinde vel Scepticorum iudicio, in ista unione summa hominis felicitas consistit. Ex *εὐνοχῆ* autem, qui illam sibi pollicitus fuerit, frustra laborauerit. Namque quantacunque ista fuerit, ad motus animi ex impressione in sensus externos facta, aut phantasiae repraesentatione, vel inuitis nobis, ortos, sistendos, & coercendos, non sufficit suspendere iudicium. Sed nec conscientiae insultibus, mentisque sua crimina poenamque promeritam agnoscentis decretis opponi vlla *εὐνοχῆ* ita poterit, ut non cruciatus grauissimos sentiat, fictitiaque ista quiete priuetur.

§. XXIII. Nec firmiori fundamento inniuntur, qui actionum humanarum honestatem laceffunt. Etenim, si & naturam hominis expendamus, ponamusque a Deo eum conditum, nec temere in hunc mundum proiectum, sed sapientissimo consilio immisum esse: porro, saluo homini esse non licere, nisi ad certas leges actiones suas exigat, atque componat: Deum denique non posse non per suam benignitatem homini a se creato bene cupere, eique consultum, quam rectissime velle: huius insuper vo-

lun,

luntatem pro lege non posse non reputari: colligere inde pronum erit, datam homini a Deo fancitamque legem esse quam obseruare sanctissime debeat. Quae nunc assumo, confirmare facile possem, si crederem, tantam cuiusquam insaniam esse posse, ut inficiari quicquam istorum auderet. At lege diuina posita, actionum humanarum, sponte inde resultat honestas, si cum ea conueniant, pariter ac turpitudō, si illi sint aduersae. Atque hoc ad Carneadis profligandum errorem sufficit. Turpiter autem se traducit, dum ex eo, quod homines omnes atque animantes ad utilitates sua natura, ducente ferantur, colligit, aut nullam esse iustitiam, aut eam a stultitia summa parum abesse. Namque coniungenda sunt, quae ab ipsamet natura arctissimo vinculo inter se sunt colligata, neuiquam separanda. Quaecunque enim honesta sunt, ea hoc ipso etiam sunt utilia: & qui non essent, cum ad humani generis salutem & conseruationem, hasce leges fanciuerit supremum Numen. At fieri potest, ut utilia quaedam videantur, quae non sunt honesta. Sane, hoc ipso perniciosum sunt: at homines errore ducti, pro utilibus ea reputant. Unde nec stultitiae argui possunt, qui iustitiam sectantur. Hoc ipso enim recte sibi consulunt, Stultissimi autem imprudentissimi-
que

que mortalium sunt, qui leue aliquod commodum, saltem quod pro commo-
 habent, aucupantur, nec pensi ha-
 bent, quod simul longe grauius incommo-
 dum subeant, quin extremam hoc ipso sibi
 attrahant perniciem. Socrates itaque, vir
 sapientissimus, execrari eos solebat, qui haec
 natura cohaerentia, opinione distraxissent.
 Recte Cicero: *1 in hoc verbo (de utili loquitur) lapsa consuetudo flexit de via, sensimque eo ad-
 ducta est, ut ab honesto utile secerneret, & constitueret honestum aliquid, quod utile non esset, & utile
 quod non honestum. Qua nulla perniciēs maior homi-
 num vitae potuit afferri. Quod autem addit Car-
 neades, iustitiae si locus concederetur, ple-
 risque imperio florentibus redeundum ad
 casus esse, eiusmodi quidem est, ut multis
 durissimam sortem iniuste aliis ablata resti-
 tuendi imponat; iustitiae legisque diuinae
 vim non infringit, cum stabilis haec sit, &
 immota perduret, quantumuis ab homini-
 bus improtidis & inconsultis neglecta.*

§. XXIV. Hoc ipso vero & Epicuri com-
 menta prostrata iacent. Namque ciuilia is
 tantum iura admisit, sublato vero honesta-
 tis fonte, naturae videlicet lege. Ad quam
 in honestate ex vera sua propriaque origi-
 ne arcessenda, assurgendum esse, iam de-
 monstratum est. Sic & utilitatem ab hone-
 state separauit Epicurus: perperam quidem,

vt

vt itidem est euictum. At qui cum Hugone Grotio, aliisque ex societatis custodia, ceu primo, vt vocant, principio, leges naturae deriuant, vt neutiquam ad solam utilitatem respiciunt, ita ab Epicuri mente, quam longissime absunt, nec Scepticismi vlla ratione accusari possunt. Cuius profecto essent manifesti, si nihil aliud quam utilitatem, fundamenti loco iuri naturae substernerent. Quam sententiam vir quidam doctus illi tribuit. Neque etiam, inquit, principium de societatis custodia, pro firmo ac stabili habendum. Si enim videtur aliqua, ex qua societas constat, fons iuris naturalis esset, sequeretur ius naturae in potestate hominum esse, cum quilibet utilitati suae renunciare possit, l. p. C. de pact. & sine naturali iure quod fundatum esset in communi utilitate, vivere. Deinde, hoc principium valde indefinitum est, nam societas multis & variis, imo contrariis modis promouetur. Quin si ius naturae ex hoc principio fluere, sequeretur illud ius in infinitum posse mutari. Nam quod hodie utile est ad societatem colendam, alio tempore noxium esse potest. Tolleretur insuper differentia ista, quae inter ius naturae, gentium, & civile est: quorum duo postrema utilitatem aequè intendunt: quin nulla certa huius iuris obligatio foret: quod enim ob utilitatem statuitur ius, mutari potest l. 12. 13. ff. d. LL. inde sequeretur hoc ius pro lubitu mutari posse. Accedit & illud, quod principium hoc potentissimos & a nobis remotos Principes haud obligaret, tum enim hi suis terris

contenti nullos alios populos curent, nullo alio iure obstricti essent.

§. XXV. Enimvero si cum Epicuro aut Carneade in sola utilitate ius omne ponerent, qui societatis custodiam pro iuris naturae principio venditant, non omni forte efficacia allatae rationes destituerentur. At cum custodiam societatis a Deo iniunctam, fateantur, qui hanc sententiam defendunt, nec in sola utilitate, sed potius in voluntate Dei, quae ex natura hominum sociali intelligatur, iuris naturae fundamentum collocent, nihil mea opinione euincunt. Namque quod dicitur, quemlibet suae utilitati renuntiare posse, id concedo de utilitate ad quam promouendam iussu imperantis non est obstrictus. Societatis autem custodia, nobis quidem commodum affert: sed Deus insuper eam praecepit nobisque iniunxit: adeoque nuntium ei mittere integrum nobis non est. Porro quae ad societatis custodiam faciunt, Deus quidem tam accurate non determinat, ut non pro *περὶ ἀσων* varietate variare possint. Sed nec necesse fuit: cum stabilis lex ipsa, principiumque eam cognoscendi firmum esse possit, licet obiecta eius mutantur. Quodcumque assumeris iuris naturae principium, labefactari id ex hac ratione posset, si vlla probandi vi polleret. Interim cum causa efficiente iuris, quam nonnulli fundamentum dicunt, non est con-

fun-

fundendum principium, vt in scholis loqui
 amant, cognoscendi. Voluntas Dei citra
 controuersiam est causa iuris naturalis: ac
 quando disceptatur haec vnde quam clarissi-
 me intelligatur, saltem quoad officia homi-
 nis erga alios, recte dicitur, non aliunde
 melius, quam ex natura hominum sociali
 eam cognosci posse. Sed nec discrimen in-
 terius ciuile, gentium, & naturae, ita tol-
 litur. Ius gentium quidem, prout a iure
 naturae discernitur, iam a sapientioribus
 proscripsum est. Naturae autem, ciuile-
 que ius, tum Legislatore, tum ipso fine,
 maximopere a se inuicem differunt, cum
 illud ad humani generis, hoc ad ciuitatis cu-
 iusdam salutem sit comparatum. Obligan-
 di autem vis tum demum denegari posset iu-
 ri naturae, si a voluntate Numinis non deri-
 uaretur, quod vtique illi faciunt, qui soci-
 etatis custodiam eius principium esse con-
 tendunt. Hugoni Grotio enim, asserenti
 huic iuri locum fore etiamsi concedere-
 tur, non esse Deum, nemo sanae mentis vn-
 quam suffragatus est. Vnde & sua sponte
 sequitur, recteque inculcatur ab omnibus,
 hominis nutu atque arbitrio illud mutari non
 posse. Reges denique Principesque, quan-
 tumuis locorum interuallo a se inuicem re-
 motos, magnae tamen quae inter omnes in-

Q²

ter-

(m) in *proleg. op. de i. b. & p. §. XI.*

tercedit, societatis participes, Dei que imperio subiectos, aequae naturae lex obstringit ac alios quosuis: ita ut si eius praescripta migrare in animum induxerint, gravissimas sui criminis Deo daturi sint poenas.

§. XXVI. Qui vero demonstrationibus in morali disciplina locum concedere noluunt, minus quidem negotii nobis faecessunt. Sane quo pacto Scepticismi effugere suspicionem queant, non video. Hanc tamen cum subire noliunt, iam habent quod agant, & in quo ingenii exerceant vires. Nobis quidem, demonstrare, nihil aliud est, quam ex clavis luculentisque, & extra omnem dubitationem positis principiis, iuxta concludendi leges fite quid deducere ac derivare, inevitabili adeo necessitate, ut inficiari istud nemo, nisi ratione sua palam abuti velit, possit. Moralem itaque doctrinam ita comparatam esse autumo, ut non quidem omnia, pleraque tamen asserta sua hac ratione demonstraret. Idque de civili pariter mihi scientia persuadeo: & ita statuo, non minus, turpisne actio sit an honesta, quam, num, noxia an utilis sit, defini posse. Nec movet me, quod rerum, actionumque humanarum magna sit varietas & incertitudo. Namque id saltem hinc consequitur, caute hic verandum, quando actiones nostras ad honestatis aut prudentiae regulas exigere velimus. Si autem ponamus, actionem ita

se habere, omnesque περιπτώσεις determinatas definitasque statuamus, indubitato profecto, honestane sit an turpis, noxia an utilis pronuntiari potest.

§. XXVII. Commemorari quidem subinde latitudinem quandam moralem video, quae cum ἀνεξέβεια mathematica non pari passu ambulet. Sed ab actionum bonitate prauitateque eam procul facessere iubeo. Non abnuo, vim legum non vno eodemque modo vbique sese exerere, maioremque in quibusdam ad legis praescriptum nos componendi impositam nobis esse necessitatem, quam in aliis: sed & leuiorum aberrationum in foro humano non semper haberi rationem, scio. Unde si quis hoc modo moralem latitudinem asserere velit, me non habebit sibi repugnantem. At moralis disciplinae inde non labefactatur certitudo. Namque in his omnibus quid iustum, iniustum, turpe, honestum, laudabile, illaudabile sit, accuratissime definiri potest. Cum vero leges indoli hominum interdum, attemperandae sint, non conuenit sane, eodem rigore cuncta ab illis exigere. Sic & quod ipse Hugo Grotius non porro obiicit, minimam circumstantiam variare rem, certum quidem est, sed ad rem non facit. Namque hinc conficitur, pro περιπτώσεων varietate de actionum honestate

Q 3

state

(n) l. c. lib. II. cap. XXIII. §. 1.

state & turpitudine aliter aliterue esse sentiendum : sed quo minus cognitis exploratisque circumstantiis, quid iustum, iniustumue sit, definiri queat, nullo modo obstat. Medium quoque aliquod esse fateor, inter id quod fieri oportet, & inter id quod fieri nefas est, scilicet id quod licet : at non tale id est medium, vt ab Hugone Grotio describitur, quod cum aqua tepida aut crepusculo comparari possit, quodue in scholis *medium participationis* vocant : sed est medium, vt loqui amant, negationis, quod incertitudinis cuiusdam in moralibus causa esse nequit. Obseruatum quoque iam pridem est, in *quantitatibus*, quas appellant *moralibus*, latitudinem quandam omnino dari, easque aut nunquam, aut raro admodum κατ' ἀνάγκην defini posse. Sed de iis cum moralis disciplina non sit sollicita, labefactari inde eius certitudo nequit.

§. XXVIII. Paucis nunc rectiora edocendi sunt ceteri. Certe qui ad consensum gentium subinde prouocant, iusti iniustique discrimen palam tollunt. Pugnancia quippe secum gentium instituta in plerisque, si non in omnibus iuris naturae capitibus, proferre licet. Equidem qui aut hominum aut gentium omnium consentientes opiniones & mores, huc aduocaret, vix quemquam fuisse arbi-

arbitror : adeo istud per se *αδύνατον* est o-
cum ne nomina quidem gentium omnium
nobis consent. Proinde de multis aut ple-
risque forte hoc intelligendum fuerit. Quam
vero hoc irritum est, in tanta morum & opi-
nionum discrepantia, quaerere consensum ?
Egit hoc Sextus Empiricus p, vt pugnantes
inter se gentium mores legesque ordine re-
censeret. Et postquam demonstrauit ince-
stus, aliaque foeda & atrocia flagitia damna-
ri ab aliis, ab aliis admitti, ita pergit : *hu-
manas carnes edere apud nos quidem est illicitum :*
at sint quaedam nationes barbarae in quibus omnes
*ad unum hoc pro indifferenti habent. Humano san-
guine aram Dei contaminare apud bonam partem ho-*
minum, atque adeo apud nos impium est : at Lacer-
daemonii in ara Orthosiae Artemidis flagris acerrime
caeduntur, vt multus in aram Deae defluat sanguis.
Quid quod Saturno hominem nonnulli immolant :
quemadmodum & Scythae Artemidi hospites sacrifi-
cant. Adhaec apud nos lex in adulteros animad-
uertere iubet : at apud nonnullos cum aliorum uxori-
bus congregari indifferens est. Apud nos liberi paren-
tum curam gerere lege iubentur : at Scythae ipsos sex-
aginta annorum spatium praetergressos iugulant.
Quin etiam Solon Atheniensibus legem πρὸς τῶν ἀ-

Q 4

νεῖτων

(o) vid. Sam. Rabelius in dissert. de honesto, com-
ment. eius in offic. Cicer. praemissa §. XXV. ii.
Hobbesius de ciue cap. II. §. 1. (p) lib. III.
pyrrhon. hypotyp. cap. XXIV. p. 130. seqq.

νετρον statuit, per quam unicuique suum filium in-
terficere permisit: at vero apud nos filium occidere
vetant leges. Praeterea lex est ut homicidae puni-
antur: at gladiatores perpetrato homicidio, honore
etiam saepe afficiuntur. Lexque apud nos unica,
uxore contentum esse unumquemque iubet: at vero
ex Thracibus & Getulis multas quisque habet. Prae-
dari quoque apud nos quidem legibus contrarium &
sceleratum habetur: at vero apud multos Barbaros
infame non existimatur: imo vero etiam hoc fertur
apud Cilices gloriosum fuisse, adeo ut eos qui inter
praedandum obiissent, dignos esse, quos honore
prosequerentur, iudicaret. Furari quoque apud
nos quidem legibus contrarium & iniustum habetur:
Lacedaemonios autem aiunt solitos punire fures, non
quod furati, sed quod in furto deprehensi essent.
 Nullum ergo tam immane scelus, tam ex-
 crabile crimen est, quod, si moribus legibus-
 que gentium standum esset, perpetrare non
 liceret.

§. XXIX. At, inquit, si forte quae-
 dam gentes in diuersum abeant, ex cetera-
 rum tamen consensu res definiri poterit. Non
 minus tamen & hoc lubricum est, cum haud
 raro si gentium numero certandum sit, haud
 pauciores reiiciant aliquid, quam idem ap-
 probant. Sit disceptatio de polygamia, aut
 incestu. Nescio an tot quae ab hisce crimi-
 nibus abhorruerint enumerari queant, ut
 non totidem, quibus eiusmodi impurae
 commissiones fuerint approbatae, proferri
 pos-

possint. Cornelius Tacitus q. de Germanis verba faciens, *prope soli*, inquit, *Barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis uaptiis ambiuntur.* Idem Ptolomaei, Caesaris, Athenaei aliorumque confirmare testimoniis possem, si rem non dubiam pluribus euincere operae esset pretium. Nec tamen tanti horum cuiquam erit auctoritas, ut non dubitare possit, annon forte plures adhuc, iique saniores modestioresque populi, alia hic habuerint instituta. Haerebis ergo, ne quicquam de hisce definire poteris. Idem & de aliis quaestionibus censendum.

§. XXX. Sed moratorum forte gentium consensus rem conficiet, aut saltem Christianarum. At dictu difficile est, quatenam sint moratiores. Num istae, quae vitae splendore, maiori & exquisitiori cultu in vestitu, aedificiis, ceterisque rebus ad vitam commode transigendam pertinentibus, prae ceteris conspicuae sunt? Incultissimae tamen genti interdum vix persuaseris, ut hisce in rebus, cultissima etiam se concedere quicquam profiteatur. Suum cuique pulcrum est: moresque quibus quisque nutritus est, illi ad vitam commode transigendam accommodatissimi videntur. Accedit, quod sub sordido pallio & incultis moribus

(q) *de moribus German. cap. XVIII. n. 1.*

ribus praestantissima quandoque latitet virtus : cum contra foedisima vitia illis haud raro propria sint, quibus nihil nisi cultum, politum, & nitidum placet. Quam ergo hoc a ratione alienum est, gentem flagitiosissimam, in honesti & iusti regulam trahere, saltem quod grauius quidem, splendidius tamen, & maiori cum apparatu peccet? Sed literae inquis, gentem moratiorem faciunt. Debebant quidem. At haud raro in ambitionis, libidinis, aliorumque vitiorum veruntur instrumenta, & quae per eas eradicari penitus debebant, fouentur, aluntur, irrigantur, vt felicius crescant. Certe quod de Scythis Iustinus r, ait cum Graecis eos contendens, notum quidem satis est, nobis tamen non praetermittendum. *Admirabile, inquit, videtur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina, praeceptisque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultae barbariei collatione superari. Utinam, vero quod literae bonaeque artes efficere nequeunt, vt mores emolliant, nec finant esse feros eos qui se illis dedunt, utinam, inquam, Christiana religio hoc efficeret. Posset quidem efficere, eoque comparata vnice est : sed medicinam non patitur hominum prauitas. Quaerunt semper quo pereant, indeque res innocentissimas, sanandisque eorum*

(r) lib. II. cap. II. add. Val. Maximus lib. I. cap. I. §. u.

rum morbis destinatas, aut ad tegendam, aut ad augendam prauitatem suam, inflectunt atque detorquent. Vel bella Christianorum hoc comprobant, in quibus quod moratam gentem deceat nihil fere, plurima contra deprehendere licet, quae apud Barbaros etiam in vitio ponuntur. Nisi forte ex hisce moribus tam corruptis lepidum aliquod ius gentium, nescio ridendo potius, quam detestando labore, exsculpere velis. Tam praeclare ergo sibi consulunt, qui in gentium consensu fontem honestatis quaerunt.

§. XXXI. Pergo ad illos, qui ex probabili opinione cuncta recte agi autumant. Non abnuo, posse interdum homines rudiores opinionem, quam vocant probabilem, sequi, cum per ingenii imbecillitatem, aut vitae conditionem paucis concessum sit, animum bonis erudire artibus, ut quid ubique sequendum fugiendumue sit, perspicere ipsimet & ex veteris genuinisque legum rationibus definire queant. Verum enim utique est illud Hesiodi :

ἄτ' ἔμην πανάριτος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει
 φρασσάμενος τὰ κ' ἔπειτα κ' εἰς τέλει
 ἦσιν ἀμείνω,

Ἐΐθ' ἔμην δ' αὖ κακῆν ὃς εὖ ἐπὸντι πί-
 θηται,

Ὅς δὲ κε μηδ' αὐτῷ νοήη, μηδ' ἄλλ' ἀκῶν,

Εὖ

Ἐν Συμῶν Βάλληται, ὁ δ' αὐτ' ἀχρεῖς ἀνὴρ.

Quod Minutius apud Liuium : ita exprimit, eum primum esse virum qui consulat quod in rem sit, secundum eum qui monenti obediat, qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenii esse. Vnde nec principibus viris rerumque dominis vitio verti potest, quod in rebus dubiis atque perplexis, illorum, quorum fidem prudentiamque exploratam habent, auctoritatem sequantur. At coeco impetu vbiuis auctoritati aliorum se permittere, hoc nihil aliud est, quam serio desipere. Quid? si vnus dicat faciendum hoc esse, quod alter vetat, vterque autem eiusdem sit sapientiae & auctoritatis, nonne haerebis? nonne ad ἐποχὴν erit confugiendum? Esto vero, sit eruditissimus quem sequi decreuisti, ideone ab errandi periculo est exemptus? Scio qui vulgo eruditi audiant: sint tales: sed qui credit, eos nec errare, nec falli posse, nimium non modo eruditis, sed omnino hominibus tribuit, quasi non libri pene omnes doctorum hominum erroribus scateant, vt recte iudicat Wendrockius v: Ergo cuncta sapientissimorum hominum placita, reuocanda prius sub examen sunt, & postquam constitit, ea nec diuinae Scripturae, nec rationi rectae aduersari, tum demum, si expediat, iis concedere

(t) lib. XXII. p. m. 218. edit. quae a. 1588. in fol. praedit. (v) in notis ad Montaltium. p. m. 82.

tedere locum, prudentiae erit. At si quis existimet, criminis se immunem fore, si auctoritate viri docti munitus, legem diuinam migret, ne dignus quidem est in quo refellendo, vllus collocetur labor. Recte Tertullianus x: *Erramus: nusquam & nunquam excusatur quod Deus damnat.*

§. XXXII. Quod denique ad illos attinet, qui inter eos, quibuscum in certamen descendimus, agmen claudunt, Scepticismi recte eos argui, sine ambagibus euincere possum. Nimirum, vt primo de illis, qui ius naturae hominibus cum brutis commune statuunt, dicam, constat, actiones brutorum non esse vniusmodi, sed alia magno imperu ad quaedam ferri, a quibus alia abhorrent. Sic; quae de camelis, apibus, columbis, narrantur, ea in leones, pardos, ursos quadrare neutiquam dixeris. Vt taceam; instinctus naturales hominum, ab instinctibus brutorum maxime diuersos esse. Ponamus itaque ius aliquod legesque in bruta cadere, quod tamen admitti non posse, comprobatum ab aliis abunde est y, non posset tamen honestatis capi argumentum ex eo quod brutis cum hominibus commune

(x) *de spectaculis* c. XX. (y) *vid. Samuel Rasch. in dissert. de honesto* §. VIII. *Io. Seldenus de i. n. & g. iuxta disciplin. Ebraeor. lib. I. c. V. Salmas. de usuris. c. IX.*

mune est, cum si a paucissimis discesseris, ne ipsa quidem bruta inter se, multo minus bruta cum hominibus in plerisque motibus suis & instinctibus consentiant, quin toto potius discrepent coelo. Proinde si incertum, quidnam demum cum brutis hominibus sit commune, nonne incerta quoque honestatis aut iuris naturalis ratio erit, quae illi innititur? Rem porro sic conficio: si honestatis iurisque hinc derivanda ratio, aut ad omnia bruta, aut ad quaedam respiciendum. Illud non dixeris, cum paucissima sint, in quibus indoles brutorum omnium plane conspiret: sin ad quaedam, rursus dubitatio recurret, quatenam, prae ceteris in censum venire debeant, aut quo iure reliqua excludantur. Non dabitur via hinc se expediendi, nisi ad rationem recurras: quo ipso ficta iuris bruta inter hominesque communio corrui. De pudore, ad quem alii prouocant, non aliter censeo. Quam multa sine pudore committuntur, quae tamen omnium iudicio, pro criminibus, sceleribusque grauissimis reputantur. Iactant & ostentant insuper improbi haud raro vitia sua, tantum abest vt illos pudeat quod iis se obstrinxerint. Contra paupertatem, errorem innoxium, deformitatem, pudorem saepius nobis incutere, intempe-

sti-

(2) *conf. Lamb. Velchusius de principis iusti & decorip. 59. seqq.*

stium illum quidem, at nullius criminis indicem, quis nescit? Ergo si hinc quicquam definiendum, mox iniusta turpiaue erunt, quae omnium consensu nihil vitii trahunt, honesta autem quae rectae rationi e diametro aduersantur: & quod vni vetitum, id alteri licitum erit, hoc est, quid iustum, iniustum, turpe, honestum, sit, non amplius sciri poterit. Simili ratione qui quaedam per se ante omnem legem turpia aut honesta statuunt, quantumuis longe remoti ab hoc errore videantur, illi tamen haud obscure patrocinantur. Si enim horum sententiae locus concedatur, recurret semper dubium, quinam sint illi actus per se illiciti, & quo iudicio ab aliis actibus liquido internoscantur. Quamdiu autem certo & indubitato iudicio non constat, quid turpe honestumue sit, tamdiu Scepticismi nondum sublata est suspicio. Sic adulterium, inquit, in vitio ponitur, quia per se turpe est. Quod si quis itaque negaret se percipere posse illud per se turpe esse, & forte quibusdam aequae prouum fuerit illud inficiari, quam aliis est affirmare, res eo rursus deueniet, ut licitumne an vetitum sit definiri certo non possit. Ita hisce profecto contingit, quod euenire illis solet, qui solerti non vtuntur circum-

(a) *conf. Samuel. b. a. Buffendorff de i. nat. & gent. lib. II. cap. III. §. IV.*

cum spectione, ut moralis disciplinae vincula laxent, vel rumpant potius, dum nimis ea adstringunt. Quod vitium cum evitandum est, non tamen in contrarium currere fas est, quod stultitiae argumentum est. Currunt autem in contrarium, qui cum videant a lege honestatem omnem provenire; inde inferunt, potuisse Deum sancire contraria his quae nunc ab eo praecepta constitutaque novimus. Parum profecto habent pensati, tum hominem ratione plane exui, & quidvis potius quam hominem fore, si legem diuinarum inuersa ita esset ratio. Nimirum liberum quidem erat Numini & in eius arbitrio positum, velletne condere hominem, necne: at postquam decreuit, condere hominem, animal ratione praeditum, sapientiae quoque ac bonitati diuinae erat conueniens, leges homine dignas illi praescribere. Hae leges itaque a voluntate diuina profluxerunt: simul tamen necessariae sunt, quia *ἐδύνατον* est, ut Deus contra sapientiam & bonitatem suam quicquam agat: egisset autem contra eam, si contrarias hisce leges homini praescripisset. Unde profecto illi ex Scholasticorum grege *b*, qui istud afferunt, more suo nec quid homini conueniens sit, nec quid Deum deceat, perpenderit vlla ratione

(b) *Garriguel. lib. II. theol. moral. fol. 252. ii. Vasquius controuers. illustr. lib. I. cap. XXVII. n. 9. seqq.* Digitized by Google

one mihi videntur. Scepticis autem ideo annumerantur, quod qui ita existimant, facile in eam ingredi sententiam possint, incertum esse, an non forte Deus hanc aut illam legem mutauerit, praeceperitque quod vetitum putamus, cum nihil quo minus semper hoc facere possit, obstat. Hic ergo, ut in Deum iniurii sunt, ita forte nobis mitius promerentur iudicium, qui quod solius Dei est, ut nullo modo errare queat, id hominibus quoque intellectui tribuunt, eum pro regula & norma omnium actionum vendicantes. Profecto humanae conditionis & fragilitatis plane immemores esse videntur, qui tantum sibi vendicant. Experientiae quoque impudenter satis refragant non verentur, quae, quam etiam sapientissimi, iustissimi, perspicacissimi mortaliū, haud raro aberrant a veritatis tramite & hallucinantur gravissime, omnes condocet. Quae ergo temeritas, in intellectu unicam actionum ponere normam? Scepticismus autem firmisimum inde accipit robur. Cum enim paucissimi consentientes habeant de faciendis fugiendisue opiniones, & quilibet non minori intellectus se pollere acuminis putet, quam alterum, id consequi inde necesse est, ut aut cum duo conscientiam suam secuti contraria agunt, uterque recte egisse censendus sit, aut rursus ut in plerisque

R

non

non constare concedatur, iustane an iniusta sint, cum hic pro iustis habeat, quae alius ceu iniusta damnat & execratur, Rursus tamen nec isti audiendi, qui tantis tenebris inuolutum intellectum clamitant, ut quid verum, quidue bonum sit, assequi nulla ratione valeat. Obediendum ergo conscientiae inquit, quantumvis erranti & a veritate procul remotae. Perperam quidem. Etenim vero licet homo falli quandoque possit, & fallatur re ipsa saepius, idem tamen si caute & circumspecte se gerat, industriamque afferat, quam negotii indoles requirit, cognoscere utique potest, quid fugere, quidue conseruari debeat. Proinde error, quem euitare declinareque potuerit, eum ne utiquam excusat, aut poenae in legis transgressores a Deo statutae subtrahit. Et qui hoc sibi persuadet, erroremque adeo suum secure sequitur, is, se ipsum decipit quam turpissime. Etenim suprema actionum nostrarum regula lex est, a Deo sancita. Haec per rationem innotescit, si discedas ab ea, quam ex diuinis haurimus litteris. Rationis autem humanae haec est conditio, ut infirma sit & imbecillis, errorisque periculo exposita: sed tamen ut si rite temperetur,

&

(c) *add. quae contra auctorem commentarii philosophici prolixè disputat Elias Saurinus in cons. iur. consc. part. II p. 45. seqq.*

& excolatur, facienda fugiendave in moralibus intelligere possit. Quod si tamen contingat ut erret, contra errantem conscientiam agendum quidem non est; nec tamen sequenda est, utroque modo enim peccatur, sed excutiendus error, purgandusque eo intellectus, ut ita demum legi recte obediatur. Quod pari ratione faciendum, si in lege divina ex Scriptura sacra haurienda, fuerit aberratum. Unde patet nulla nos adigi necessitate, ut errantem sequamur conscientiam, cui, qui actiones nostras attemperandas docent, hoc demum agunt; ut Scepticorum perditissimis dubiam reddant palmam. Si quisque hoc recte agit, quod opinione quantumvis erronea ductus, rectum esse sibi persuaserit, quid relinquetur, quod certum firmumque dici in morum doctrina possit? Cuiuslibet enim ea ratione integrum fuerit, sibi ipsi agendi normam regulamque ex arbitrio praescribere: cum si vel maxime aberraverit, ipse error inhumanum quoduis & improbum excusare facinus possit. Sed aperte satis Scepticis se associant sententiae huius propugnatores, dum hac maxime nituntur ratione, quod veritas lateat, nec cognosci liquido ab ullo mortalium, aut certo diiudicari possit.

§. XXXIII. Illi denique, ut & hoc adam, qui vita potius moribusque, quam doctrina, Scepticos agunt, ut per se sui erroris suaeque miseriae latis conficti sunt, ita cohortandi saltem sunt, ut serio animum inducant hinc eluctari, cursumque ad portum dirigant. Praecipua eorum in eo versetur cura, ut finem vitae suae recte constituent. Hoc ni fiat, fluctuabimus semper. *Si vis eadem, semper velle*, inquit, Seneca, *et vera, oportet velis*. Deinde constantia, & animi firmitate opus est, ut nulla res a recto nos dimoueat tramite. Sed qui a se ipsis haec impetrare volunt, posthinc demum, quam destituti viribus omnibus sunt, intelligent. Ad Dei ergo confugiendum misericordiam, qui largissime, quae nobis desunt, omnibus se impertiturum, promisit, viaque ab eo in diuinis litteris praemonstrata ingredienda. Ita demum coelesti lumine mens perfundetur, & omnibus dubitationum & fluctuationum laqueis plenissime expedietur. Philosophia vero, quidquid certi & indubitati habet, ut huc nos ducat, confert sedulo, certe conferre debet.

S. D. G.

(d) *epist. XCV p. m. 793.*

**EXERCITATIO
HISTORICO-MORALIS
DE
SVPERSTITIOSO MORTVORVM
APVD CHINENSES CVLTV.**

**HABITA HALAE SAXONVM
DIE XVI. IVNII ANNO M DCCI.**

**RESPONDENTE
GVILIELMO STEPHANI,
MITOA - SEMGALLO.**

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
CHICAGO, ILLINOIS
3
ILLINOIS STATE LIBRARY
ALBANY, ILLINOIS
JULY 10 1911
CHICAGO, ILLINOIS
1911



Σύνοψις.

Controversia Dominicanorum & Iesuitarum de cultu mortuorum apud Chineses, indeque orta dissertationis occasio, §. I. Chineses olim Serum nomine noti fuerunt, §. II. Christianae religionis vestigia apud eos reperta ex mente Trigautii, §. III. Certiora iuxta alios, §. IV. Missionario Ecclesiae Romanae in Chinam veniunt, §. V. Iesuitae statim in quibusdam moribus Chinesum sese attemperant, §. VI. Dominicani A. 1645. decretum a Pontifice contra Iesuitas obtinent, §. VII. Quod Martinus Iesuita A. 1656. impetrato alio decreto, euerit, §. VIII. Dominicani rursus aliud decretum A. 1669 a Pontifice obtinent, §. IX. Quo pacto, hac occasione inter Iuriaem & Arnaldum, orta sit controversia §. X. Qua ratione Iesuitae contra Arnaldum irritati sint, & quid contra eum egerit Iuriaeus, §. XI. Iesuitarum, tum contra Iuriaem, tum maxime contra Arnaldum, & huius contra Iesuitas hac in causa edita scripta, §. XII. Iuriaei contra Iesuitas defensio, itemque lites hinc inter Ildephonsum atque Arnaldum ortae, §. XIII. Quo pacto de novo controversia ista Dominicanos inter & Iesuitas excitata sit, §. XIV. Scripta plurima vtrunque edita recensentur, §. XV.

mentum continuatur, §. XVI. Sententia Iesuitarum a Sorbonna damnatur, variaque hac occasione in lucem proferuntur scripta, §. XVII. Alia scripta ab utraque parte recentissime edita, enarrantur, §. XVIII. Argumenta Dominicanorum, §. XIX. Iesuitarum, §. XX. Dominicanorum, ad argumenta Iesuitarum exceptio, §. XXI. Praecipuum momentum controversiae, in discrimine cultus religiosi & civilis constituitur, §. XXII. Hinc iudicium de ista controversia fertur, & dissertationi finis imponitur, §. XXIII.

§. I.



Utrorum hodie celebratur sermonibus controversia, quae Dominicanos inter atque Iesuitas agitur, de cultu quem Chineses tum Confucio, sapientiae, quam profitentur, summo Antistiti, tum maioribus suis parentibusque iam defunctis, deferunt. Illi namque eiusmodi eum esse contendunt, ut ab idololatria parum absit, adeoque & rectae rationi, multo autem magis Christianorum repugnet disciplinae. Hi contra pro civili saltem cultu eundem venditant, planeque cum vero & genuino Numinis cultu eum consistere posse, asseuerant. Nostra sane parum refert, quaecumque demum pars ex hoc certamine victoriam referat, aduersariorumque certaminibus

bus adeo non delectamur, vt nihil magis in votis habeamus, quam vt coniunctis omnes animis in vitæ potius morumque emendationem incumberent, misis controuersis, ad animos saltem irritandos, aptis, & ita ipsi quoque ad diuinæ veritatis lumen recipiendum, magis magisque præpararentur. Viri sapientis tamen esse arbitror, quæcunque se offerunt, in occasionem salubria quaedam proferendi, vertere. Adeoque & nobis vitio nemo vertet, quod hocce dissertationi nostræ destinauimus argumentum, quod intra historiae rationisque limites nos continentes ita pertractabimus, vt primo controuersiae ipsius historiam proponamus, deinceps vtriusque partis paucis indicemus argumenta, & tandem nostram quoque subiungamus ἐπίκρισιν.

§. II. Sinae olim Serum nomine Graecis Romanisque cognitos fuisse, eruditorum est sententia. Adstipulatur hisce vir illustris, G. G. Leibnizius, c qui sequentia hac de re bene obseruauit: *Iustiniani Magni temporibus vermes serici textores allati sunt, in Romanum Imperium, tunc etiam Cosmas Monachus Indopleustes supra alios remotarum gentium notitiam dedit. Ex eius scriptis excerptam Inscriptionem Adulitanam Africae interioris Holsteinius edidit. Idem Cosmas, quod nemo ante ipsum, quantum constat, regionis*

Sericæ verum nomen prodidit. Nam Tzin vocat, quæ pronuntiatio magis veritati accedit, quam nostra vulgaris, cum Sinas, aut Chinam nominamus.

§. III. An primis ecclesiæ temporibus euangelii doctrina ad Sinas peruenerit, nondum adeo certum est & exploratum. Affirmat hoc præter alios Nicolaus Trigautius in *descriptione regni Chinae*.^d Matthæo enim Riccio Iesuitæ magnæ inter Chineses auctoritatis viro, iudæum quendam Chinesem narrasse refert, in metropoli Caisunfu eius patria, & in alio emporio celeberrimo Lincino nomine prouinciæ Sciantum, & in Sciansi prouincia externos quosdam viuere, quorum maiores e regnis externis aduenerunt, eos esse crucis adoratores, eamque solere in cibo atque potu exprimere, sed neque se neque illos scire, cur eum ritum adhibeant. Hoc Israelitæ testimonium, ita pergit Trigautius, cum eo consentiebat, quod iam diu ex variis patres audierant, de eodem crucis exprimendæ ritu variis in locis usurpato. Immo infantibus in fronte characterem eundem salutaris signi, atramento exprimi, contra puerilia infortunia. Haec & similia christianismi apud Chineses vestigia conquirat Trigautius, incerta valde, atque lubrica.

§. IV. Certiora prædunt, qui ad monumentum aliquod prouocant apud Sinenses repertum, quod Athanasius Kircherus edidit,

&

(d) c. XI p. m. 278.

& Andreas Müllerus illustravit, ex quo constat Syriae christianos penetrasse ad Sina & Christo ecclesiam fundasse. Quod tamen cum omnibus eruditorum dubitationibus nondum exemptum sit, Melchisedechum Theuenotium, quaedam subsidia iuandae eius auctoritati in Mahometanorum scriptis inuenisse, refert ille quem laudauimus celeberrimus vir Leibnizius, meritoque dolet, non magis haec, quam doctissimi viri Herbelotii translationem relationis cuiusdam itineris per Vsbecenses ad Catairos vel Sinenses, lucem publicam adspexisse,

§. V. Quidquid demum huius sit, cum institutae in Indiam orientalem profectioes in Chinae quoque imperium viam aperuissent, docti quidam ecclesiae Romanensis viri suarum partium esse arbitrati sunt, inter reliquas orientis gentes Chinesibus etiam euangelii doctrinam annunciare. Primus omnium in Chinam venit Martinus de Rada Augustinianus A. M. D. LXXV. cui A. M. D. LXXXI. succesit Matthaeus Riccius Iesuitarum ordini adscriptus. Rursus A. M. D. XCVI. Dominicani quidam ibi appulerunt, fixamque collocarunt sedem, quod ante Riccium Iesuitam nemini contigerat. Hoc ex libello quodam Clementi VIII. Pontifici

tifici a Bartholomaeo Lopezio exhibito, refert Auctor tomi III. libri: *Morale Pratique des Iesuites* e.

§. VI. Vix autem pedem in hocce regno posuerant Iesuitae, cum summa fertilitate & felicitate regionum Chinensi Imperatori parentium allecti, omnia eo consilia conuerterent, vt amplissimas hinc colligerent opes. Ita quidem Auctor libri: *Theatrum Iesuiticum* dicti, cuius summa, quantum ad hoc negotium attinet, in Tomo II. libri: *Morale Pratique des Iesuites*, continetur, refert. Hinc & de Matthaeo Riccio narrat, eum statim ac Chinam ingressus est, *Bonzios*, hoc est, Sacerdotes Idolorum cultui apud Chineses destinatos, in corporis cultu, vestituque imitatum fuisse. f Mox cum intelligerent Iesuitae, difficulter admodum ad disciplinam christianam adduci Chineses potuisse, consultum eos duxisse, aliquid de disciplinae suae rigore remittere, idque tandem eo vsque extendisse, vt nouellis christianis etiam permiserint tum Confucio, tum Maioribus suis, tum etiam idolo Chin-Hoam, sacrificia, idololatrigo plane more, modo intentionem suam ad crucem sub floribus altaris occultatam dirigerent, offerre.

§. VII. Dominicani, haec aliaque aegre ferebant, maximumque in discrimen adduci

ci putabant religionem christianam, si ecclesiae tam proterue migraretur disciplina. Magnae hinc acerrimaeque inter Dominicanos ac Iesuitas ortae sunt contentiones, quarum contexere historiam nostri non est instituti. Suffecerit hic annotasse A. M. DC. XLV. Iohannem Baptistam de Morales Romanam demum hanc controuersiam vocasse, & a Romano Pontifice obtinuisse decretum, quo nouellis Christianis Chinesibus ea omnia interdicebantur, quae a Iesuitis contra religionis ecclesiaeque Christianae disciplinam, illis erant concessa. Excipiunt quidem Iesuitae ipsum Iohannem Baptistam de Morales cum in Chinam reuersus esset, & Iesuitarum instituta accuratius reuocasset sub examen, deprehendisse, multa perperam Iesuitis fuisse imputata: deinde, nec Pontificem hoc ipso controuersiam plane definituisse, sed sistere saltem voluisse contentionum impetum, donec accuratius in hocce negotium inquireretur. Quae utcumque sese habeant, nostra certe non referunt, interim a Dominicanis ea prorsus negari constat.

§. VIII. Nec sane defuerunt sibi Iesuitae. Immo Martinius, cuius nota sunt in gentem Chinesem merita, A. M. DC. LVI. Romanam profectus, cum Pontifici exposuisset, longè aliter rem se habere ac retulissent Domini-

minicani, aliud obtinuit decretum, quo vitae morumque regulas Chinenſibus a Ieſuitis praefcriptas, Romanus comprobabat Pontifex. At moleſte hoc ferebant Dominicani, indignabundi conquerentes, Martinium, non ea, qua decebat, fide, rem omnem expoſuiſſe, ea inſuper eum reticuiſſe, quae ſcire Pontificem cum primis oportuerit, ſi ferre voluerit hac de re ſententiam; paucis, pro cultu ciuili eum venditaſſe cultum, quem Confucio & maioribus ſuis exhibent Chinenſes, qui tamen non poſſit non pro religioſo reputari.

§. IX. Dominicani contra egerunt, quod ſuarum eſſe crediderunt partium, & A. M. DC. LXIX. obtinuerunt a Pontifice decreti in ordinis ſui fauorem A. M. DC. XLV. conditi, confirmationem. Immo acceſſit A. M. DC. LXXX. die XXIII. Febr. reſcriptum ex Congregatione de propaganda fide ad Generalem Ieſuitarum emiſſum, in quo huic iniungitur, vt ſocietatis ſua ſacerdotes, Emmanuelem Ferreiram, Dominicum Fucitum, Iosephum Candonium, & Bartholomaeum Acoſtam ex miſſione Indica reuocet, omnibusque functionibus ſacris priuet, reliquos autem ad obſequium vicariis Apoſtolicis praestandum iureiurando adſtringat, quo ceſſent obſtacula propagationi doctrinae euangelicae eouſque obiecta, & vt poſthac omnes

omnes catechetæ & administratores ecclesiarum, a vicariis illis constituentur, addita comminatione, ni pareant, fore, vt concepta iam constitutio siue bulla publicetur, & Iesuitæ ex regnis Tunquini, Cochinchinae, Cambaiae, Siamis & ipsa China excludantur. Haec rursus refert Auctor Tomii III. libri: *Morale Pratique des Iesuites.* 8 Responsum equidem Verbiesto Iesuitæ ab Innocentio XI. Pontifice die 3. Decembr. A. M. DC. LXXXI. datum benignissimum fuisse, idem Auctor non negat, at addit, non aliud tum expectari potuisse a Pontifice, qui dona ex China missa a Iesuita acceperat.

§. X. Neque vero tantum Dominicanos inter atque Iesuitas hae agitatae fuere lites, sed ad alios etiam viros doctos fuere propagatae, eoque maiorem in orbe litterato dederunt strepitum. Idque sequenti ratione. Prodiit scilicet liber, cui titulus: *la Politique du Clergé de France*, quem fama Petro Iuriaeo, doctissimo viro, tribuit, certe haud obscure hoc facit Petrus Baelius. ^h In eo cum & generatim contra Romanensium machinationes, & speciatim etiam contra Antonium Arnauldum multa dicta essent, hic non impune se passus est irritari, ediditque librum sub titulo: *Apologie pour les catholiques.*
Pro-

(g) cap. XV p. m. 371. seqq. (h) in V. Arnauld.
P. 374.

Prodiit Leodii A.M.DC.LXXXI, & LXXXII. quobus voluminibus, Etenim cum Iuriaeus, vel quisquis est auctor libri: *la Politique du clergé de France*, inter alia Romanenses ob res in conuersione Indorum, speciatim Clirrensiū gestas perstrinxisset, Antonio Arnaldo ampla occasio de hoc argumento differendi, & causam Romanensium, Iesuitarum quoque, agendi, enata inde fuit.

§. XI. Sed eodem fere tempore A. M. DC. LXXXIII. prodiit Tomus II. operis, cui titulus: *Morale Pratique de Iesuites*, quem fama itidem tribuebat Antonio Arnaldo, ipse sane Iuriaeus, in opere mox allegando, diserte hoc contendebat, auctoritatem eius sequente Ildephonso Episcopo Malaccensi, qui tamen dubitanter hac de re loquitur: *modo sic Arnaldus, ut innuit Petrus Iuriaeus in suo spiritu*, & aliis etiam suffragantibus, at repugnantem Arnaldo ac diserte hoc negante, ut pluribus edisserit Petrus Baelius. Interim & Iesuitas haec inuaserat opinio. hinc cum Arnaldus, dictam istam Apologiam pro catholicis edidisset, non tantum Iuriaeum, sed & ipsos Iesuitas, quorum tamen se egisse causam profiteretur, hostes expertus est. Et Iuriaeus quidem edidit famosissimum istum librum de ingenio Arnaldi (*L'Esprit de Mr. Arnauld*) in quo quidquid

quid fere inueniri potuit, ad famam Arnaldi proscindendam, magno & incredibili studio colligitur. Negat tamen Iuriaeus hunc a se editum librum esse, quam litem nunc nostram non facimus. Baëlius certe Iuriaeus istum tribuere nullus dubitat, sed neutiquam etiam nos fugiunt controuersiae, quae huic cum Iuriaeus intercedunt.

§. XII. Sed & Iesuitarum, quorum tamen, vt diximus, causam egerat Arnaldus, sustinendus illi impetus fuit. Prodit namque ab illis editus libellus sub titulo: *De- fense des nouveaux Chretiens & des Missionaires de la Chine, du Japon, & des Indes, contre deux livres intitulez: la Morale pratique des Iesuites, & L'Esprit de Mr. Arnald*, cuius quidem scripti auctor Tellerius Iesuita perhibetur. Nimirum & illi in ea versabantur sententia, Arnaldum auctorem esse Tomi secundi libri *la Morale pratique des Iesuites*, cumque simul non omnia placuissent, quae Iuriaeus, vel quisquis auctor est libri *L'Esprit de Mr. Arnald* de Iesuitarum apud Chinenses moribus disciplinaque ab illis ibi instituta, scripserat, vna quod aiunt, fidelia, duos voluerunt dealbare parietes, & tum contra Iuriaeum tum contra Arnaldum causae suae susceperunt patrocinium. Tum vero Arnald-

S

nal-

naldus, hostibus suis obviam eundem ratus, edidit Tomum III. libri: *Marale Pratique des Jesuites*, in quo Iesuitarum libro respondet, horumque apud Chineses instituta acriter perstringit, Iuriaeque autem libro nihil reponere voluit, obseruante Petro Baelio. k Etenim licet pro priorum operis huius Tomorum auctore haberi non sit, nec habendus etiam sit Arnaldus, tertium tamen, sequentesque Tomos ab eodem profectos esse, nemo forte dubitauerit. Prodiit attem tertius ille Tomus A. M. DC. LXXXIX. quem A. M. DC. XC. excepit Tomus quartus, exhibens historiam Iohannis de Palafox Episcopi Angelopolitani & controueriarum; quae illi cum Iesuitis intercesserant: & A. M. DC. XCI. Tomus quintus, edisserens certamina Iesuitarum cum Bernardino de Cardenas Episcopo Paraguaensi in America meridionali, & Philippo Patro Archiepiscopo Maniliensi & Metropolitanis Insularum Philippinarum in India orientali. At cum nec Iesuitae causam suam desererent, nihilque omitterent, quo possent suam circa Chinesium conuersionem innocentiam asserere, A. M. DC. XCII. sextus prodiit Tomus operis memorati sub titulo: *Histoire des differens entre les Missionaires*

res Iesuites d'une part & ceux des ordres de S. Dominique & de S. François de l'autre, touchant les cultes que les Chinois rendent a leur Maître Confucius, a leur Ancestres, & a l'idole Chin-boan. Maxime is ad nostrum pertinet institutum, cum Auctor id cumprimis agat, vt euincat, superstitiosum & idololatricum esse istum cultum, quo Chineses ad religionem Christianam conuersi Confucium atque maiores suos profequuntur, nec consistere vlla ratione cum vera ac genuina Christianorum disciplina posse, quidquid etiam dicant aut contendat Iesuitae. Continuatur item, argumentum in septimo Tomo, qui A. M. DC. XCIII. lucem publicam aspexit, sub titulo: *Suite de l'histoire des differens sur les Iesuites de la Chine d'une part, & des Missionaires des ordres de S. Dominique & de S. François de l'autre*, in quo itidem multorum in hoc negotio criminum Iesuitae redarguuntur. Vltimus autem eiusdem operis tomus, qui A. M. DC. XCV. prodit, Iesuitis equidem etiam oppositus est, titulumque gerit: *de la Calomnie ou instruction du Proces entre les Iesuites & leurs aduersaires sur la matiere de la calomnie*, sed ad praesens tamen hic adeo non pertinet institutum.

§. XIII. Ceterum Tellerius Iesuita, vel quisquis est auctor libri: *Defense de nouveaux chretiens, &c.* antea memorati, non tantum

Arnaldo, sed & Iuriaeo, vti vel ex titulo libri patet, nonnulla reposuit. Hinc pro Iuriaeo aut, vt nonnulli volunt, ab ipso Iuriaeo, editus liber est sub titulo: *La Religion des Iesuites, ou Reflexions sur les Inscription du Pere Menetrier &c.* Impressus is est Hagae Comitum A. M. DC. LXXXIX. In eo primo quidem Claudium Franciscum Menetrierium foedisimae erga Galliae Regem adulationis reum agit, ob inscriptionem, quandam, statuae Regis Lutetiae Parisiorum erectae, additam: deinde ad gesta Iesuitarum aliorumq; Romanensi ecclesiae addictorum in China progreditur, & inter alia ea, quae Arnaldus ex Tabernario de Hollandorum in India hypocrisi & Christianismi neglectu, retulerat, magno studio refellit, asserens plusquam trecenta hominum millia Belgarum opera ad religionem Christianam ex paganismo conuersa esse, praecipue in insula Ceilan. Hic *ως εν παροδα* obseruandum, quod huic certamini etiam immixtus sit Ildephonsus Malaccensis Episcopus. Hunc enim cum fama traderet esse auctorem libri celeberrimi *Theatrum Iesuiticum* dicti, cuius, vt supra innuimus, summa negotium hocce Chinesse spectans, in Tomo II libri: *Morale Pratique des Iesuites*, exhibetur, auctor Tomi istius secundi, eandem secutus est opinionem, licet postea

com-

compertum fit, auctorem potius eius esse Ioh. de Ribas, magnae inter Dominicanos famae virum. Ildephonsus itaque, a Iesuitis, vti creditur, concitatus, edidit, *Querimoniam*, vt vocat, *catholicam*, A. M. DC. LXXXVI. ad exemplar Madritense recusam, in qua & in Petrum Iuriaeum & in Antonium Arnaldum, ceu in pessimos haereticos, vehementissime intehitur, & vtriusque scripta flammis adiudicat, Arnaldo cum primis aegre ferente, in vnam eandemque ab Episcopo Ecclesiae Romanae cum Iuriaeo se referri classem. Proinde vt famae suae vt-cunque consuleret Arnaldus, libellum edidit sub titulo sequenti: *Lettre de Mr. Arnould Docteur de Sorbonne a Monseigneur l' Eveque de Malaga*, in quo strenue contra Ildephonsum se defendit, & ea quoque, quae in Tomo II. libri: *Morale Pratique &c.* de Iesuitarum apud Chineses institutis dicta fuerunt, erudite tuetur. Sed Iuriaeus quoque, vel quisquis auctor est libri: *La Religion des Iesuites*, calamum contra Malaccensem Episcopum stringit, eique porro Tellerium, vel quisquis auctor est libri: *Defense de nouveaux Chre-tiens &c.* adiungit. Sed nec iste tamen liber: *La Religion des Iesuites*, censuram eruditorum effugere potuit, immo ipse Petrus Baelius vir doctissimus multa in eo atro notauit lapillo i.

(1) in v. Loyola p. 366. seqq.

§. XIV. Ita ergo latius ista controuersia disseminata est, magnumque in orbe erudito excitauit strepitum. Nec intermissa, tamen ab ipsis Dominicanis est, quos propius tangebatur, immo ab hisce acriori studio ante paucos annos resuscitata, ut hodiernum doctissimorum virorum vtriusque ordinis calamos occupet. Nimirum Carolus Maigrot Vicarius Apostolicus in provincia Fokienfi & designatus Episcopus Cononensis, precibus illorum, qui Iesuitarum in regno China institutis grauer offendebantur aduictus, edictum aliquod A.M.DC. XCIII. die XXVI Martii promulgauit, quo occurrere hisce malis, eorumque tamdiu sistere impetum voluit, donec a Romano Pontifice rectius certiusque quid constitueretur. Prohibuit itaque (1) ne nomina Dei Europaea, Chinesibus quippe incognita, adhiberentur, sed ut lingua Chinesi adhiberent vocem TIENCHV, quae significat, *Dominum caeli*; neququam autem de Deo usurpari voluit vocem TIEN, quae significat *caelum*, ne vocem XANGTI, qua *supremus Imperator* designatur. Prohibuit (2) in templis suspendere tabulam his vocibus: KING TIEN, hoc est, *adorate caelum*, inscriptam. Docuit (3) quaestiones Alexandro VII. de controuersis inter Missionarios Chineses propositas, falsis fictisque inniti factis ac relationibus, hinc

nec

nec responsio ad eas dato obligari quemquam, idque in quaestione de cultu, quem Chineses Confucio & maioribus suis exhibent. Prohibet (4) Christianis interesse sacris ritibus ac ceremoniis, quibus Chineses singulis semestribus spatiis Confucii, & maiorum suorum, celebrare memoriam solent. Laudat (5) istos Missionarios, qui suos ita instruxerunt, ut certas tabulas in honorem defunctorum in singulis aedibus suspendi solitas tollerent, aut si hoc obtineri nequeat, delendam tamen vsitatum inscriptionem: *XIN CHV, XIN GOEI, LING GOEL, Thronus sedis animae huius vel illius defuncti*, solumque nomen defuncti in eius locum reponendum, aut alias cautiones adhibendas, constituit. Denique (6) certa scripta propositiones falsas minimeque ferendas, continentia, flammant, e. gr. Philosophiam Chinesium recte explicatam non repugnare religioni Christianae, antiquissimos Chineses nomine *IKY KIE*, verum Deum, primam rerum omnium causam, designasse, & quae alia sunt eiusdem commatis. Vbi illud quidem monemus, curam & circumspectionem istius viri non posse alicui superuacaneam videri, si consideremus, quae a doctissimis obseruata sunt viris, philosophiam Chinesium a Spinosismo non differre, doctissimosque inter eos reuera esse atheos, nominibus-

que, quibus ad res diuinas designandas v-
 tuntur, eiusmodi errores iam esse alligatos,
 vt non sine maximo periculo ethnicismum
 cum Christianismo miscendi, vsitata ista
 nomina transferri ad Christianorum dogma-
 ta possint. Ita quidem Dominicani con-
 tendunt, non sane sine magna verifimilitudi-
 nis specie. Enimvero, hospitem plane ex
 philosophia eum retulisse animum oportet,
 qui ignorat eas ideas, quae semel, & qui-
 dem ab ineunte aetate, vocibus alligauimus,
 semper deinceps recurrere, quoties ad alias
 ideas eas transferre, aut vtitas ideas a
 vocibus, quibus illas designare soliti sumus,
 separare annitimur. Quod si autem cum
 vocibus ideae quoque peregrinae cum do-
 ctina Christiana commiscentur, nihil sane
 aliud quam confusio, errores, controuersiae,
 & alia mala inde oriri possunt, vt Aristo-
 telicae, Platonicae &c. philosophiae, cum
 religione Christiana commixtio satis super-
 que testatur. Sed redeo in viam.

§. XV. Iesuitae vehementer hocce Mai-
 groti edicto irritati, omnem mouebant la-
 pidem, vt demonstrarent, nullam eius esse,
 aut esse posse vim & auctoritatem. Dela-
 taque tandem lis est ad Pontificem, varia-
 que illi ab vtraque parte exhibita scripta,
 quibus tum Dominicani, tum Iesuitae, vna-
 quaeque pars pro viribus, causam suam a-
 ge-

gebant. Coniunctim haec scripta edita sunt in libro, qui A. M. DCC. prodiit, sub titulo: *Historia cultus Sinenfium, seu varia Scripta de cultibus Sinarum, inter Vicarios Apostolicos Gallos, aliosque Miffionarios & Patres Societatis Iefu controuerfis, oblata Innocentio XII. Pontifici Maximo, & Sacrae Congregationi eminentiffimarum Cardinalium diximendae huius caufae praepofitorum: adiuncta appendice fcriptorum Patrum Societatis Iefu de eadem controuerfa.* Eodem anno eiusdem operis pars altera, sub titulo: *continuatio Hiftoriae cultus Sinenfium &c.* prodiit. Sed priusquam a Dominicanis haec in lucem publicam emitterentur monumenta, iam Iefuitae publicis quoque fcriptis caufam fuam agere inceperunt. Etenim ne quid dicam de Ludouici de Comitibus (Le Comte) commentariis de ftatu praefenti Chinae, (*Nauvages memoires fur l'Etat prefent de la Chine.*) erudite quidem & eleganter fcriptis, & prima vice Parifis A. M. DC. XCVI. editis moxque aliquoties recufis, in quibus Iefuitarum in Chinenfes merita depraedicare eorumque strenue tueri instituta, non neglexit, Carolus Gobienus itidem Iefuitarum ordini adfcriptus A. M. DC. XCVIII. edidit *Hiftoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine, en faueur de la Religion chretienne*, h. e. Historiam edicti Imperatoris Chinenfis, in gratiam religionis christianae: eidemque subiunxit alium li-

bellum sub titulo : *Eclaircissement donné à Mon-*
seigneur le Duc du Maine sur les honneurs que les
Chinois rendent à Confucius & aux Morts: h. e. Ex-
 planationem cultus quem Sinenses Confu-
 cio & defunctis exhibent Dn. Duci Cenoma-
 nensi propositam, &c. In quo quidem li-
 bro id agit auctor, vt demonstret, cultum
 illum, quem Chineses Confucio & mortuis
 exhibent, mere civilem esse, cum superstitio-
 sum cultum non ferant Iesuitae : Postulat-
 que vt Iesuitis potius credatur quam Domi-
 nicanis, cum illis res sententiaeque Chinen-
 sium longe perspectiores sint, quam his.

§. XVI. Plura hinc ab vtraque parte edita
 sunt scripta. Et Iesuitarum quidem partes
 insupertuetur Ludouicus de Comitibus (le
 Comte) in epistola ad eundem Ducem Ce-
 nomanensem scripta, *sur les ceremonies de la*
Chino, in qua Gobieni vestigia premit, &
 cultum istum Chinesium de quo discepta-
 tur, pro mere civili & politico venditat. At
 opposuit se ei Dominicanorum hodie facile
 Doctissimus Natalis Alexander, tum ob alia
 scripta, tum maxime ob historiam Ecclesia-
 sticam, operose multis voluminibus pertra-
 ctatam, orbi erudito haud ignotus. Libelli
 titulus est : *Lettre d'un Docteur de l'ordre de S.*
Dominique sur les Ceremonies de la Chine a R. P. le
Comte de la compagnie de Iesus. Difficultatibus,
 sine necessitate, negotium istud a Ludoui-

co le Comte inuolutum esse conqueritur, multa quoque falsa in eius relatione contineri contendit, distinctionem inter cultum ciuilem & religiosum hic reiecit, & ea quasuis ethnicorum superstitiones excusari posse, contendit. Iesuitis rursus fauet scriptum, quod sub hoc prodiit titulus: *Relation du Voyage fait a la Chine sur le Vasseau Amphitrite en l'année 1698. par le sieur Gbirardini Peintre Italien.* Sub pictoris namque persona aut Iesuitam aliquem, aut Iesuitarum amicum, latitare, viris doctis iam suboluit. Magnis laudibus enim haec societas cumulatur, & fauor quo modernus Chinensium Imperator eos prosequatur, mirifice depraedicatur. Id etiam subinnuit, Chinenses voce *coeli* Dominum coeli indigitare, & neutiquam coelum materiale adorare, eamque adeo vocem recte quoque retineri a Christianis.

§. XVII. Dum hisce contentionibus scriptisque ecclesia Romana, praesertim vero & Gallia quoque turbatur, Facultas Theologica Academiae Parisiensis, propositiones quasdam ex libris Iesuitarum hactenus memoratis: *Nonueaux memoires sur l'etat present de la Chine, &c. l' Histoire de l' Edit de l' Empereur de la Chine &c. Lettre sur les ceremonies de la Chine &c.* excerptas & ab Abbate Prioux sibi exhibitas, censura notauit. Factum id die 18. Octobr. anni proxime elapsi M. DCC. Id quod

quod cum aegerrime ferrent Iesuitae, solenni-
 ritu contra hocce decretum protestati sunt,
 contendentes, declarationibus Ludouici le
 Comte & Caroli Gobieni, Iesuitarum, iam
 abunde satisfactum esse facultati Theologi-
 cae Parisiensi. Quo ipso nondum satis cau-
 sae suae consultum existimantes, ediderunt
 libellum: *Censure de la Censure faite a Sorbonne.*
 Huic rursus, vixdum elapso mense, opposi-
 tus a Sorbonae quodam defensore alius libel-
 lus est, sub titulo: *Remarques d'un Docteur en
 Theologie sur la protestation des Iesuites, avec une
 reponse au nouveau libelle de ces Peres contre la cen-
 sure de Sorbonne.* In ea Sorbonnae confirma-
 tur de Iesuitarum erratis iudicium, interque
 alia de Ludouici le Comte declarationibus
 asseritur, deteriores eas esse ipsa doctrina,
 quam explicare annifus fuit, quippe quae
 Pelagianis refertae sint erroribus. Nec ita
 tamen conqueuerunt Iesuitae, ediderunt,
 quippe ad hasce etiam obseruationes re-
 sponsum sub titulo: *Reponse aux Remarques de
 M. sur la protestation du P. le Gobien: quemadmo-
 dum & ad illorum causam defendendam com-
 paratus est alius libellus sub titulo: Reflexions
 sur la censure publiee sous le nom de la Faculté de The-
 ologie de Paris contre les livres intitulez Nouveaux Me-
 moires &c. editus. priori a Dominicanis op-
 positus iterum alius est, sub titulo: Refutati-
 on d'une pretendue Reponse a l' Ecrit intitule, censu-*

re. de quelques propositions des P. P. le Comte & le Gobien Iesuites refutée par les Ecris des Dominicains &c. Prodiit & alius liber decreto Sorbonnae oppositus sub hoc titulo : Journal historique des Assemblies tenues en Sorbonne pour condamner les memoires de La Chine, cuius auctorem ipsum CAROLVM GOBIENVM esse perhibent, certe pro Iesuitis scriptum esse, res ipsa docet. Huic rursus Sorbonnae quidam defensor initio anni currentis sex Epistolas opposuit, quarum prima titulum gerit : Lettre d'un Docteur sur ce qui se passe dans les Assemblies de la Faculté de Theologie de Paris, &c : Denique & latino Idioma te quidam pro facultate Theologica Parisiensi librum sequenti titulo insignitum, in lucem emisit : Tractatus dogmaticus de Vocatione gentium, qua doctrina S. Facultatis Parisiensis probatur, eiusque Censurae aequitas defenditur, fidei in Christum necessitas ad salutem ex S. Scripturis ac traditione demonstratur.

§. XVIII, Nec hactenus librorum est finis, aut modus. Dominicani LONGOBARDI, qui olim ex ordine Iesuitarum superior fuit missionariorum Chinensium, libellum quendam Iesuitarum placitis contraria diserte tradentem, in linguam Gallicam translatum, recudi fecerunt. Huic alium eiusdem commatis adiunxerunt, ab Antonino de S. Maria, Praefecto Apostolico Missionariorum ordinis S. Francisci, compositum. Rur-

sus

fus Iesuitae par pari reddituri, recudi fecerunt opus aliquod Dominici Sarpetri latino idiomate conscriptum, in quo contraria iis, quae Longobardus scripsit, commemorantur. Pro Dominicanis etiam libellus prodiit sub titulo: *Copie d'une Lettre de Mr. Maigrot a Mr. Charmot du II. lanuier 1699. recue a Paris en Aout 1700.* In eo cum primis falsi conuincuntur, quae de Chinesibus retulerat Ludouicus de Comitibus in libro: *Memoires sur l'Etat present de la Chine.* A fabula scilicet Romanensi haud differre, Auctor iste contendit, quidquid Ludouicus ille de Comitibus de antiqua religione Chinesium tradidit, imo quod nullius rei minus quam veritatis historicae habuerit rationem. Et haec quidem a doctissimo viro Iacobo Bernhardo me edoctum esse, iubens profiteor. Nec dubito, quin indies maior illorum copia lucem adspectura sit, cum hic demum praecipuus certaminum, quae inter viros doctos oriuntur, fructus sit, infinitis, sed mox perituris, vt bibliopolarum officinae compleantur libellis.

§. XIX. Ex dictis itaque tota controuerſae historia, & certaminum cum inter Dominicanos & Iesuitas, tum etiam alios viros do-

m) *Nouvelles de la Rep. des Lettres A. M. DCC. I. mens. Jan. p. 110. seqq. & mense Mart. p. 356. seqq. & mens. April. p. 471. seqq.*

doctos agitatorum, series intelligitur. Simul & id manifestum est, ex vna controuersia multas alias, ad caput tamen causae non pertinentes, fuisse enatas. Hisce itaque nunc sepositis, utpote ad nos non spectantibus, ne omnes quidem quaestiones capitales, circa Chinesium regens conuersorum disciplinam, Iesuitas inter & Dominicanos, ventilatas, sub examen reuocabimus, sed eam tantum, quae ad Confucii & Mortuorum cultum pertinet. primo itaque in compendio Dominicanorum rationes sistemus, deinde, quid ad has respondeant Iesuitae, indicabimus. Dominicanorum causam apud nos perorabit Nicolaus Charmot, cuius Notae in obseruationes a Patribus societatis Iesu in mandatum Maigroni, conscriptae, in *Historia cultus Sinensium*, primo statim exhibentur loco. Nimirum hic omnem statim euanescere dubitationem putat, modo aliquis ipsos ritus, quibus Chineses Confucium atque Maiores suos colunt, per spectos exploratosque habeat. Eos autem ita describit. Positum in more esse dicit, Chinesibus, praesertim sectae literariae, Parentes & auos defunctos vsque ad quartum gradum, praecipuo cultu, tum publice, tum priuatim, venerari. Dedicatas itaque illis esse aedes sacras, in quibus collocatae sunt tabellae, ex ligno castaneo, certisque

di.

dimensionibus, confectae, ac cubitalibus litteris sic inscriptae : *Thronus seu sedes animae vel Spiritus N.N.* apposito cuiusque nomine & dignitate. In medio autem aedis esse mensam seu altare, cum aliis hinc inde minoribus mensis seu altaribus, vbi eiusmodi tabellae reponuntur. In his itaque aedibus quotannis ter aut quater eos magno apparatu cum hoc est oblationem solennem seu sacrificium celebrare. Idque hoc modo, vti Auctor porro refert. Aliquot ante diebus primogenitus seu paterfamilias, & tres aut quatuor alii ex primoribus familiae seleguntur, qui veluti sacerdotes, diaconi & subdiaconi, magistri ceremoniarum atque acolytorum ministerio fungantur. Hi diem futurae oblationis sortitione eligunt, tribus ante diebus ieiunio vacant, & a thoro conjugali abstinent: pridie vero ad vesperam victimas, porcum videlicet, capram, aut alia animalia, infuso in auriculas calido vino, explorant. Si caput mouerint, vt apta sacrificio deligunt: si non mouerint, vt inepta reprobant. Sic adoptatum animal, in eorum conspectu statim mactatur. Ipso die ante primum galli cantum, ad aedem dictam omnes consanguinei conueniunt. Singulis ordine dispositis, accensis supra altare cereis cum thuris atque odorum suffitu, magister ceremoniarum alta voce clamat:

mat: *flectantur genua*, statimque omnes coram tabellis ter aut quater genua flectunt, terram fronte percutientes, vno ex ministris certas quasdam precationum formulas recitante. Deinde clamante magistro ceremoniarum: *leuate*, sursum singuli in pedes se erigunt. Tum praecipuus minister, qui officio velut sacerdotis fungitur, stans ad altare, vino plenum calicem in altum tollit, clamante magistro ceremoniarum: *offertur vinum*, cuius partem libat, partem vero super figuram hominis stramineam ibi positam, fundit. Postea caesorum animalium pilos detrahit, qui vna cum sanguine humi defodiuntur, capita autem & carnes in altum tollit, & coram tabulis offert, clamante interim Magistro ceremoniarum: *offertur capra vel porcus*. Simili modo offert flores, fructus, legumina, itemque sericos pannos, & nummos papyraceos, quos in foco ante aedis portam accenso comburit, adhibitis ad singulos hos actus variis precationibus, quae ab vno ex ministris recitantur. His ita peractis, magister ceremoniarum denunciat assistentibus, debere eos ob exhibitum proavis cultum prospera omnia expectare, salutem videlicet corporis, fructuum ubertatem, filiorum procreationem, honores, longamque vitam. Atque haec omnia ita se habere, ex monumentis

T fide

fide dignis demonstrari posse, Auctor asserit. Sed addit porro, praeter has solennes oblationes, quae vere & autumnoparagantur, saepius Sinas ad easdem aedes se conferre, praesertim in nouilunio ac plenilunio singulorum mensium, ibique progenitorum tabellas ter aut quater genuflexionibus, profundisque vsque ad terram totius corporis inclinationibus, venerari, cereos accendere, thura & odores cremare, flores quoque, fructus & legumina aliosque cibos offerre. Eos autem, qui tenuioris sunt fortunae, vt in progenitorum honorem eiusmodi aedes extruere, illorumque memoriae dedicare nequeant, easdem oblationes & ceremonias ad eorum sepulcra, aut in priuatis aedibus, minori cum solennitate & apparatu peragere. Seruare namque omnes domi Progenitorum suorum tabellas, easque frequenter genuflexionibus, odorum suffitu, & fructuum ac ciborum oblationibus venerari. Quod autem ad Confucii cultum attinet, in singulis vrbibus aedem sacram memoriae eius consecratam, prope gymnasium seu ludum litterarium conspici, idem Auctor memorat. In ea collocata est tabella, cum hac inscriptione aureis litteris exarata: *Thronus seu sedes animae sanctissimae ac superexcellentsimae Protomagistri Confucii.* Bis autem quotannis, aequinoctio

noctio scilicet veris & autumnii, omnes litterati ad has aedes conueniunt, vt Confucium tanquam communem magistrum, ac Sinicae philosophiae parentem, oblatione solenni venerentur. Praecipuus Mandarinus seu vrbis gubernator Sacerdotis officio fungitur, adiunctis aliis litteratis, qui diaconi, subdiaconi, magistri ceremoniarum & acoluthorum partes obeunt. Cetera eodem fere modo, vt in oblationibus, quas in progenitorum suorum honorem instituant, peraguntur. Haec ipsis fere Auctoris referre placuit verbis, vt eo rectius omnibus hisce de ritibus constaret, quemadmodum & in Actis Eruditorum Lipsiensibus, haec ita, dum librum istum recensui, commemorauit.

§. XX. Iesuitarum nunc sententiam paucis ex Caroli Gobieni libro: *Eclairissement donné a Monseigneur le Duc du Maine &c.* repraesentabimus. In pluribus certe eius narratio, cum relatione Dominicanorum consentire videtur. Memorat namque & ipse singulis sex mensibus, vere nimirum & autumnii, totam familiam in aedicula seu loco huic cultui destinato, quem lingua vernacula Chinenses, **TSV TANGI**, dicunt, in quo mensa, ad quam per gradus adscendatur, vt altaris fere speciem exhibeat, conspiciatur, & in mensa effigies eius, qui caput est totius

T *

tius

tius familiae, tabellis nomina reliquorum ad eam familiam pertinentium & iam defunctorum exhibentibus, ab utroque latere, dispositis, conuenire, mensaeque ciborum ac frugum varia genera, suffimenta quoque & vinum, & cereos imponere. Reliqua auctor non addit, argumento valde probabili, praetermisisse illum ea, quae societatis suae causae nocere arbitratus est. Quae enim Dominici referunt, haecenus cum Gobieni relatione consentiunt, & superstitioni isti ritus ab illis commemorati, sed a Iesuitis praetermissi, apprimae cum illis, qui ab utraque parte indicantur, consentire videntur. Nec vero est simile, ausos fuisse Dominicanos in relatione, quam ipsi Pontifici exhibuerunt, hosce ritus fingere, cum ita facili negotio mendaciorum conuinci potuissent. Nihilofecius tamen, quidquid illud est venerationis, pro cultu ciuili tantum eam venditant Iesuitae, hac imprimis ratione freti, quod Chineses erga Gubernatores prouinciarum, cum munus sibi demandatum suscipiunt, aut erga Mandarinos primi ordinis, dierum natalium solennia celebrantes, vel alios magnae dignitatis viros, quibus honores exhibere volunt, animum suum affectumque eodem modo demonstrare soleant. Addunt porro, non posse ex Chinesium mente hosce ritus pro cultu

cultu diuino reputari, cum nec Confucium nec maiores suos iam defunctos pro Diis habeant, quod licet negent Dominicani, potius tamen credendum esse Iesuitis, quibus sententiae ac opiniones Chinenfium exploratiffimae fint. Denique addunt, fuisse plurimos ex ipfo Dominicanorum ordine, qui Iesuitarum praxin & sententiam calculo fuo comprobarint, euidentiſſimo argumento, hiſce omnibus exploratum fuiſſe, ceremonias iſtas & ritus a cultu religioſo quam longiſſime abeſſe. Laudantur ab illis Gregorius Lopez Miſſionarius ac poſtea Epiſcopus Baſilitanus & vicarius Apoſtolicus, Ioh. de Paz Manilae in Dominicanorum Collegio theologiae Profeſſor, & Dominicus Sarpetri, aliique. De intentionis ad crucem ſub floribus abſconditam, directione, ab illis ſuſcipienda, qui hiſce ritibus interſunt, ſimilibusque Moralitarum commentis, quae itidem a nonnullis in ſubſidium vocantur, vix neceſſe eſt, vt aliquid addam, cum non credam vllum hiſce ſigmentis a cordatioribus inter ipſos Ieſuitas, ſtatui pretium.

§. XXI. Ad allata Dominicani haec iterum excipiunt: Non poſſe hunc Chinenſium cultum, quo Confucium & progenitores ſuos proſequuntur, pro ciuili reputari, cum ab illis, qui litterariae ſectae addicti ſunt, eodem fere modo adhibeatur tum erga

idolum CHIN-HOAN, quod tanquam cuiusque civitatis spiritum, seu genium tutelarem constant, tum erga alios spiritus, quos tanquam coeli, astrorum terrae fluminumq; praesides venerentur. Sed ex duabus aliis sectis Magorum scilicet & Bónziorum eandem Idola sua in Pagodis seu templis colendi rationem frequentari, asserunt. Quod vero Iesuitae contendunt, eodem modo & viuentibus Chineses honorem exhibere, id vero est, quod pernegant Dominicani. Victimas sortito eligere, vinum solenniter libare, caput caprae aut porci offerre, & quae reliqua sunt eiusdem generis, haec nunquam peragi dicunt, quoties aut liberi parentibus, aut discipuli magistris, aut subditi dominis viuentibus honorem exhibere velint. Et vel ex hisce etiam documentis constare, quae de demortuis, Chinesium animis feda sententia, quodque saltem plebeii (namque sapientiores inter eos fere athei sunt) illis diuinitatem quandam tribuant. Ad auctoritates autem a Iesuitis sibi obiectas sigillatim respondent, & quid de vno quoque teste sentiendum sit, quantumue mereatur fidei, operose edisserunt, quae prolixius aut recensere aut discutere, huius loci non est. Rursus & alios, contrarium docentes, interque eos Dominicum Nauaretam illis opponunt, quem & frustra a Iesuitis inconstantiae argui, contendunt, cum

cum is nunquam sententiam Iesuitarum comprobauerit, litteras autem, quas ad Antonium de Gouea Iesuitarum in China Viceprouincialem scripsisse, & in quibus Iesuitarum praxin & sententiam approbasse dicitur, confictas, eique a Iesuitis suppositas esse, asserere non dubitant, Sed hac de re ipsi inter se transigant.

§. XXII. Iam vt nostram quoque paucis subiungamus hac de re sententiam, instituti ratio postulat. Praecipuum autem, ni fallor, eo redibit momentum, vt cultus ciuilis & religiosi discrimen probe teneamus. Non me fugiunt, quae alii hac de re commentati sunt. Mea haec est sententia. Deus solo amore recte colitur. Quidquid de cultu Numinis deque religione, tum diuina reuelatio, tum recta quoque ratio praecipit, id omne ad amorem Dei redit. Praecipua status innocentiae perfectio erat, quod homines Deum super omnia & super se ipsos amabant. Praecipua corruptio in eo consistit, quod homines se ipsos, adeoque & res omnes cupiditatibus nostris blandientes, vltra quam decet, immo supra Deum ipsum, amant. Hinc & Christianae religionis neruus eo tendit, vt homines per veram seriamque sui ipsorum rerumque cupiditatibus hominum inseruientium abnegationem, ab amore sui ipsorum ad amorem

verum & genuinum Numinis reducantur. Ergo ille Deum colit, qui Deum amat. Quemadmodum autem honestum valde est & laudabile, hunc amorem, ex quo summam etiam venerationem exurgere necesse est, externis signis, affectusque nostri documentis prodere, ita sane par est, ut ea hac faciamus ratione, ut simul demonstremus tali amore venerationeque supremum nos prosequi Numen, ut nihil aliud eodem modo amemus aut colamus. Et hinc demum externus Numinis cultus resultat, qui in Scriptura quidem sacra reuelationeque diuina, certis limitibus definitus est: ex rationis autem rectae praescripto, non alijs continetur, quam quos ipsi homines constituerunt, modo ipsi affectui, quo prosequendus omnino Deus est, externa ista rite respondeant. Ceterum ut Deus supra omnia amandus est, ita nequiquam nefas est, alios homines, praesertim eos, quibus peculiari quodam vinculo obstricti sumus, at eo ordine quem recta ratio postulat, amare ac venerari, immo a Deo ipso hoc iniunctum praeceptumque esse, nemo dubitat. Nihil etiam obstat, quo minus externis signis amorem nostrum venerationemque demonstremus. Quodsi tamen iis ritibus aut ceremoniis hoc faciamus, quos semel amori nostro erga Numen exprimendo desti-

stinauimus, & velut consecrauimus, idololatriae certe non possumus effugere crimen. Licet enim in hominum positum videatur arbitrio, quibus quisq; homo, aut quaeuis gens suam erga alios testari venerationem velit, postquam tamen semel constitutum quodam consensu fuit, hosce ritus ad amorem erga Numen exprimendum adhibere, non amplius integrum est, iisdem venerari hominem, cum ita manifesto hominem aequiparemus Deo. Quos enim eodem honore dignos censemus, eos etiam eodem habere loco, merito existimamur. Quodsi etiam ponamus, aliquem ritus. & ceremonias pro re indifferenti habere, nec statim diuino honore dignum censere, quem eo modo colit, quo Deus in ea, in qua viuit, gente, colli solet, non tamen excusatur, cum ad minimum alios in hunc errorem inducat, suo exemplo, vt taceam clarissimum rationis effatum, quo externa ita comparare iubemur, vt interno affectui respondeant, quod certe multas ob rationes, cum Deus pariter ac homines simul in censum veniunt, tanto diligentius est obseruandum.

§. XXIII. Hisce praemissis, res haud difficulter confici potest. Supponere enim nobis tantisper fas fuerit, ad facta quod attinet, omnia eo se habere modo, quo referunt Dominicanum. Nec sine ratione hoc a

nobis fieri, iam supra obseruatum est. Ad iuris autem capita quod attinet, consentire in eo itidem omnes existimo, parentes, progenitoresque etiam defunctos, vt & magistros atque doctores colere, externisque signis affectum venerationemque erga illos prode, non esse nefas: interim honores diuinos, hoc est, quibus Deus secundum gentis alicuius instituta coli solet, iis exhibere, idololatriam, grauisimumque adeo esse crimen. Certe si quis hoc admittere nollet, ipsi indixisse rationi bellum videtur. Aut enim aliquis hominem siue viuentem, siue iam defunctum, cui diuinos defert honores, pro Deo habet, aut non habet. Si habet pro Deo, errat peccatque citra controuersiam turpissime: si non habet, rursus scelere foedissimo se obstringit, honorem soli Deo debitum, rei creatae tribuendo: vtroque autem modo idololatriae reus est. Chineses autem, qui defunctos, eo quo diximus, modo colunt, diuinis illos ex consuetudine tum suae, tum omnium fere gentium, honoribus afficiunt, adeoque quid de illis pronuncian- dum sit, liquet. Credo equidem multas le- fuitis se offerre rationes, quae eos inducunt, vt illorum moribus aliquid indulgendum censeant. Sed dubito sane, an hae accurati- tius sustinere examen queant. Nimirum si hoc illis non concedatur, inquit, pauci
ad

ad religionem Christianam conuertentur, aut qui conuersi sunt, ad patria reuertentur sacra, tum ob summam, qua Chineses parentes suos prosequuntur venerationem, tum quod Mandarini, suam retinere dignitatem nequeant, nisi in solenni Confucii cultu, more consueto, partes suas agant. Quo ipso utique isti, qui talia dicunt, produnt, Christianae fidei se nondum intelligere inuolem, per quam ad religionem Christianam propagandam, non locus datur humanis consiliis: multo minus autem mala aut perpetrare aut permittere licet, ut inde eueniant bona, licet haec ipsa, quae inde sperant bona, exigua valde sint, aut ne isto quidem nomine digna. Nostrum autem est, aliorum exemplo, ut erudiri nos patiamur: cumque videamus, quorsum tandem prolapsi sint, qui rebus diuinis humana miscuerunt consilia, nos contra sancte & sobrie ea tractemus, quae ad hominum aeternam felicitatem pertinent, nec ad nostra aut aliorum commoda, sed ad sanctissimam Numinis voluntatem, ceu vnicam nostrarum actionum regulam ac cynosuram respiciamus.

S. D. G.

CHA-

CHARACTERES SAPIENTIAE COROLLARIORVM LOCO ADIECTI.

I.

Quam stultitiam homines vocant, ea haud raro summa est sapientia, & quam sapientiam appellant, plerumque summa est stultitia.

II. Frustra quaeritur in Regum palatiis, frustra in mercatorum tabernis, frustra in Scholis & Academiis: est vbique & nullibi.

III. Sapientia vera inuentu est facillima, difficulter tamen, immo rarissime inuenitur: omnibus se offert, a paucissimis possidetur.

IV. Latet interdum sub sordido pallio sapientia, sed saepe sub eo latet stultitia, quippe quae semper imitatur sapientiam, adeoque eodem plerumque habitu incedit.

V. Latet sub splendida veste plerumque stultitia, at interdum quoque sapientia, quae nulli vitae generi se adstrinxit.

VI. Est in solitudine & non est: est in foro hominumque multitudine & non est. Inter Anachoretas & viros solitarium vitae genus sectantes fuerunt viri sapientissimi, fuerunt stultissimi: sic & inter eos, qui in societatibus viuunt, & stulti sunt & sapientes.

VII. Sa-

VII. Sapientia vera nihil obscurius, nihil celebrius, latet in angulo & conspicitur in orbe vniuerso.

VIII. Conspici renuit, & omnibus tamen prodesse cupit. In hoc maximopere a summa stultitia differt, quippe quae se iactat, vbique, prodire in lucem seque ostentare cupit, sed sibi, non aliis hoc ipso consulit.

IX. Habet vera sapientia suos & admiratores & osiores. Non tamen omnes, qui eam admirantur, statim quoque eam possident. Et qui vehementissimo eam prosequuntur odio, non possunt tamen non eam admirari, aut etiam palam laudare.

X. Neminem laedit vera sapientia, omnium saluti consulit, & tamen ceu inimica humani generis passim condemnatur & proscribitur.

XI. Et affabilis & verborum simul parca. Erras si sapientiam ibi esse credis, vbi multa sunt verba. Sed non minus tamen erras, si ibi sapientiam esse credis, vbi sunt nulla aut pauca.

XII. Nunquam irascitur vera sapientia. Tolerat aliorum naeuos, sed tollere quoque nititur, ita tamen tollit, vt toleret.

XIII. Est vera sapientia inuincibilis, & nunquam tamen pugnat. Stultitia pugnando seipsam vincit, seipsam traducit, hominibus se deridendam proponit: Sapientia si-

filendo, cedendo, vincit, clariorque indies redditur.

XIV. Non indiget defensore sapientia. Stulti qui sunt hostes sapientiae se ipsos perdendo, omniumque ludibrio exponendo sapientiam defendunt.

XV. Placida valde est sapientia ac ab omni tumultu ac strepitu prorsus aliena: & nihilo secius nihil maiorem strepitum excitat, quam sapientia. At non per se, excitat, sed hominum haec culpa est, aut sapientiam ostentantium, aut eam impugnantium.

XVI. Cum Penelope Vlyssis coniuge, sapientiam veram comparauero. In toto sedet a procorum oculis procul remota, expectans coniugis hinc inde errantis & cum variis monstris colluctantis reditum. Proci interim, hoc est illi, qui se vulgo amatores sapientiae vocant, non vnum edunt stultitiae specimen & clamore & strepitu, disputationibus & concertationibus, omnia perturbant. Interim vana opinione a Penelope se amari, se delectant.

XVII. Via ad veram sapientiam longissima ea est, quam vulgo breuissimam dicunt: & ea breuissima, quam vulgo longissimam esse clamitant.

XVIII. Vi.

XVIII. Viam ad sapientiam planam cupis? euadet salebrosa. Facilem cupis? euadet difficillima. Amoenam cupis? mille taediis circumsepta occurret.

XIX. Ergo si sapias, ingrediere salebrosam & mox euadet plana: ingrediere difficillimam, & erit facilis: ingrediere eam quam multum taedii afferre homines credunt, & deprehendes eam esse longe amoenissimam.

XX. Omnia in vera sapientia aliter se habent ac homines cogitant. Nec fieri aliter potest, cum omnes homines per naturam ad stultitiam sint proni. Quare nouum hinc characterem cape: quae ita se habet, sapientia, vt homines cogitant, & cupiunt, stultitia est. Quae autem hominum cogitationibus & cupiditatibus repugnat, ea demum vera est sapientia.

XXI. Non statim sapiens est, qui multos habet libros. Non indiget libris sapientia, nec tamen eos respuit. Vtitur iis, non abutitur. Errant itaque, qui ita arguunt: egregia bibliotheca instructus est: ergo est vir sapiens, sed tamen non minus errant, qui ita inferunt: libros contemnit, ergo est vir sapiens.

XXII. Vir eruditus, vt plerumque vox ea accipitur, non statim est vir sapiens. Vir sapiens tamen interdum est eruditus. Inter erudi-

eruditos & stultissimi & sapientissimi esse, possunt, possunt tamen esse & inter rusticos.

XXIII. Vna est sapientia & multiplex, simplex eadem & subtilis, arcanorum experta, ipsa tamen recondita & inter arcana referenda.

XXIV. Arcana & recondita admirandaque, qui in sapientia quaerunt, nulla inveniunt: qui non quaerunt, iis admiranda & stupenda se offerunt.

XXV. Vir sapiens & contra communem morem & secundum communem morem agit. Nihil indignius viro sapiente, quam comparare se ad opiniones & mores vulgi: nihil tamen eo indignius, quam ab iis recedere. Vehementer autem errat, qui hunc sapientem credit, qui secundum morem receptum & sentit & agit: non minus tamen fallitur, qui eum pro sapiente habet, qui semper contra opinionem & mores vulgi sentit ac agit.

XXVI. Gratis sapientia omnibus offertur: nec gratis tamen alicui conceditur. Te totum enim sapientiae tradere debes, si eam possidere cupis. Vilis itaque & pretiosa est sapientia. Sed cape hinc falsae sapientiae documentum. Quae enim te tibi relinquit, stultitia est, non sapientia.

XXVII.

XXVII. Sunt, qui enixe sapientiam quaerunt. Sed iis cum se offert, retrahunt pedem, & eius amplexus renuunt; eo quod nimio studio praepediti veram eius imaginem non agnoscunt: sunt contra, qui eam aliud agendo inveniunt, & hi facilius veram eius imaginem deprehendunt, constantiusque eam consecretantur. In placida enim, non autem turbida aqua rerum imagines accuratius exprimuntur.

XXVIII. Coniugis instar est sapientia: sancte & caste coli debet. Et hoc inter coniugii huius conditiones est. Hac si non steteris, subducit se, te non animaduertente, & umbram sui relinquit, quae te mire decipit. Atque hinc contingit, vt multi initio vere sapientes, mox falsa persuasione delusi, euadant mortalium insipientissimi.



**EXERCITATIO
HISTORICO-PHILOSOPHICA
DE
SPINOZISMO ANTE SPINOZAM**


HABITA HALAE SAXONVM

DIE XX. IUNII ANNO M DCCI.

RESPONDENTE

**IO. FRIDERICO WERDER,
POTSDAMIENSI-MESO
MARCHICO.**

THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
TORONTO
130 St. George Street
Toronto, Ontario
M5S 1A5
Canada



Σύνοψις.

Spinoza cur in tantos errores impiasque
 Sententias prolapsus sit, §. I. Et rationibus
 & auctoritati eius, quo pacto obtuiam eundum
 sit, §. II. Fundamenta atheismi Spinoziani ex-
 hibentur, §. III. Summa & caput doctrinae
 Spinozianae, §. IV. Eum omnino atheis esse an-
 numerandum, §. V. Ante eum eadem inter
 antiquos philosophos docuit Strato Lampsa-
 cenus, §. VI. Xenophanes quoque Colophonius,
 §. VII. Immo tota secta Eleatica ad Leucippum
 usque §. VIII. Reliqui Eleatici praesertim De-
 mocritus & Epicurus, Athei fuerunt, non autem
 Spinozistae. §. IX. De Alexandro Epicuraeo, an
 sua ab eo hauserit David de Dinanto, §. X.
 Dinanti praeparator Almaricus, fuit Spinozi-
 sta, §. XI. Huius Spinozismum nonnulli a Pla-
 tone deriuant, praesertim Plotinus a quibusdam
 Spinozianae impietatis arguitur, sed perperam,
 §. XII. Defenditur schola Platonica, demonstra-
 turque, inter omnes philosophos Graecanicos,
 Platonicos quam longissime a Spinozismo esse
 remotos, §. XIII. Platonis sententia de anima
 mundi non patrociniatur Spinozismo, §. XIV.

Aristoteles contra nec ab Atheismo, nec a Spinozismo potest absolui, §. XV. Andreas Caesalpinus, genuinus Peripateticus, consentientia Spinozismo docuit, §. XVI. Inter Scholasticos Scotistae, speciatim Petrus Abaelardus eiusdem impietatis rei aguntur, §. XVII. Stoicorum Philosophiam quam proxime ad Spinozismum accedere probatur, §. XVIII. Concluditur praecipuas Graecanicae philosophiae sectas aut Spinozismum, aut saltem Atheismum docuisse, excepta Platonica, quae ab his vitiis quam longissime recedit, §. XIX. Chaldaeis, Zabiis, aliisque Spinozismus non immerito obiicitur, §. XX. Ebraeorum philosophiae Spinozismus obiectus fuit, sed nimis inconsiderate: item quo iure Cabbalistis, & Philosophis Mysticis ac Theosophicis hoc crimen imputetur, §. XXI. In Chinesibus denique, ac Indorum philosophis a nonnullis Spinozismus notatus fuit, §. XXII. Monitum de Spinozismo non temere alicui imputando, §. XXIII. Fundamenta Spinozianae impietatis euertuntur, & dissertationi finis imponitur, §. XXIV.

§. I.

Benedictus de Spinoza, natione Iudaeus, religionis, cui innutritus erat, desertor, christianus equidem videri voluit, sed ingenii haud infoecundi commentis nimium indulgendo, in Atheum tandem de-

degenerauit; constantissimeque, quam semel animo conceperat sententiam execrabilem, ad mortem usque retinuit, quae. XXIII. Febr. A. M. DC. LXXVII. aetatis XLIV ei obtigit. Hic, cum ingenium non contemnendum, pertinaci industria sedulo excoluisset, studioque incredibili in philosophiam se dedisset. ut interdum per tres continuos menses vix in publicum prodiret, suo tamen demonstrauit exemplo, nec praestantiam indolis, nec doctrinae excellentiam obstare, quo minus in errores foedissimos planeque pueriles, sententiasque secum pugnantes incidere posset, qui insuper habita diuini Numinis gratia, suis tantum confidit viribus, iisque nihil non tribuit.

§. II. Nullum autem licet videatur peritioribus, mentisque compositae & vera Christianismi indole praeditis lectoribus, ab hocce viro eiusque scriptis imminere periculum: rudiores tamen, inconsideratioresque duplici ratione hic decipi possunt, rationum scilicet, quibus suam sententiam, aut inuoluit, aut palliauit, qualicumque specie, & nominis etiam, quam consecutus est, celebritate auctoritateque. Tanta enim, prohi dolor! multorum est vesania, ut haud raro sententiam aut laudent aut defendant, quam ipsi equidem non satis intelligunt,

sed quam tamen magnae cuiusdam famae viro tribui vident. Quemadmodum itaque illis, qui forte rationibus Spinozae capiuntur, aut capi se fingunt, abunde ab aliis satisfactum est: ita & his, qui forte auctoritate eius aguntur in transuersum, non commodius, ut opinor, obuiam mi potest, quam si demonstraretur, ne istud quidem, quod nouitatis specie multis abblanditur, ab homine isto fuisse excogitatum, sed iam pridem alios eodem stultitiae morbo laborasse, Spinozae autem hanc gloriam demum relictam, quod aliorum commenta in systematis male cohaerentis, sibi que nunquam non contradicentis, formam redegerit. Hoc itaque, ut rite euincamus, primo Spinozae paucis exhibebimus sententiam: tum eos enarrabimus, qui easdem fouerunt opiniones: & tandem, quantopere hi omnes fallantur, vel tribus designabimus verbis.

§. III. Plurimas autem constat Spinozam fouere opiniones, ob quas impietatis & Atheismi nota illi passim inuritur, recte ne ansecus, nunc non disputabimus. Nos hic eam ipsius designamus sententiam, qua Deum cum natura ipsa turpiter confundit, vel potius Deum in eiusmodi ens transmutat, quod nihil minus quam nomen titulumque Dei promeretur. Quod ne temere asseruisse vide-

videamur, ex Ethica eius ordine geometrico demonstrata, hoc luculenter euincemus. Obseruandae autem cum primis sunt istae propositiones, quibus ceu fundamentis quibusdam, totum atheismi aedificium superstruit. Harum prima, quae septimum locum occupat, haec est: *ad naturam substantiae pertinet existere.* Eam ita demonstrat: *Substantia non potest produci ab alio (per coroll. prop. praeced.) erit itaque causa sui, id est, (per defin. 1.) ipsius essentia inuoluit necessario existentiam, siue alterius naturam pertinet existere.* Propositio sexta ad cuius corollarium prouocat, in demonstratione propositionis septimae, haec est: *Vna substantia non potest produci ab alia substantia.* Hanc ita demonstrat: *in rerum natura non possunt dari duae substantiae eiusdem attributi (per prop. praeced.) hoc est (per prop. 2.) quae aliquid inter se commune habent. Adhaec (per propof. 3.) una alterius causa esse nequit, siue una ab alia non potest produci.* Q. E. D. Corollarium sequens subiungit: *Hinc sequitur substantiam ab alio produci non posse. Nam in rerum natura nihil datur praeter substantias, earumque affectiones; ut patet ex Axiom. 1. & defin. 3. & 5. Atqui a substantia produci non potest (per praeced. propof.) Ergo substantia absolute ab alio produci non potest.* Q. E. D. Patet ergo quod sextam hancce propositionem praecipue deducat ex propositione quinta, quae ita se habet: *in rerum natura*

tura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae siue attributi. Hanc ita demonstrat : Si darentur plures distinctae, deberent inter se distingui, vel ex diuersitate attributorum, vel ex diuersitate affectionum (per prop. praeced.) si tantum ex diuersitate attributorum, concedatur ergo, non dari nisi unam eiusdem attributi. At si ex diuersitate affectionum, cum substantia sit prior naturae suis affectionibus (per prop. 1.) depositus ergo affectionibus & in se considerata, hoc est (per def. 3. & 6.) vere considerata, non poterit concipi, ab alia distinguatur, hoc est, (per propos. praeced.) non poterunt dari plures sed tantum una, Q. E. D. Porro in sextae propositionis demonstratione prouocauerat etiam ad propositionem secundam, quae haec est : duae substantiae, diuersa attributa habentes, nihil inter se commune habent : itemque ad tertiam propositionem ita se habentem : Quae res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest.

§. IV. Coecum sane esse oportet, qui non videat, quorsum haec omnia tendant. Hoc scilicet sibi vult vir callidissimus : vnā tantum esse substantiam, & non dari substantiam, quae aliam efficere siue creare potuerit, adeoque praeter eam substantiam rerum naturalium, quae existunt, nullam dari aliam substantiam, quae creauerit illas, vel quae earum causa esse potuerit, nullumque adeo dari Deum. Ita enim paucis mentem Spinozae

nōzæ exprimit Petrus Poiret. ⁿ Sed apertius ipse Spinoza quid sibi velit, prodit in propositione decima quarta: *Praeter Deum nulla dari nec concipi potest substantia.* Corollaria sequentia hinc deducit: *Hinc clarissime sequitur (1) Deum esse unicum, hoc est (per def. 6.) in rerum natura non nisi unam substantiam dari, eamque absolute infinitam esse, ut in scholio prop. 10. iam innuimus 2.) sequitur rem extensam & rem cogitantem, vel Dei attributa esse, vel (per axiom. 1.) affectiones attributorum Dei.* Nec abludit hanc propositio decima quinta: *Quicquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, neque concipi potest.* Quod sane perinde est, ac si aperte dixisset, tota rerum natura, Deus est, & praeter eam nihil est, quod Deus vocari aut. possit aut. debeat. Imo, ne quis de impia eius dubitare posset sententia, hunc suum fictitium Deum, omni libertate priuauit, & tantum non in brutum aliquod commutauit. Splendide libertatem illi tribuere videtur in propositione decima septima: *Deus ex solis naturae suae legibus, & a nemine coactus agit.* At ex naturae legibus agere Spinozæ est necessario agere, adeoque illud *a nemine coactus*, dicis tantum gratia addit. Sic dicere possum, ignis dum positus omnibus ad operandum requisitis vrit, ex naturae legibus & non coactus agit.

Egre-

(n) in fundament. atque primis euerfis, cogitationibus eius rationalibus additis. p. 767.

Egregia scilicet libertas! Sed apertius mentem prodit in corollario secundo: *sequitur solum Deum esse causam liberam. Deus enim ex sola naturae suae necessitate existit (per prop. II. & coroll. prop. 14.) & ex sola naturae suae necessitate agit (per prop. praeced.) Adeoque (per defn. 7.) solus est causa libera.* Q. E. D.

§. V. Ex dictis de mente sententiaque Spinozae, abunde, ni fallor, constare potest. Nec metuendum nobis, quod iniuriam forte illi intulerimus, cum ipsis eius verbis, sententiam mentemque eius exposuimus. An vero ob hanc sententiam Atheorum classi ordinique adscribendus sit, disputari solet. Negant hoc discipuli eius & sectatores, asseruntque, licet vel maxime, eius de Deo diuinisque attributis sententia pro erronea habenda sit, non tamen statim ideo eum Atheismi reum agendum esse. Iam vero & illud nouimus, prudentes & cordatos viros, non temere alicui Atheismi notam inurere, cum nihil solennius sit, quam viros innocentes, vt inuisi aliis reddantur, pro Atheis venditare. Concedo illud quoque non quemuis de Deo diuinisque attributis errorem, pro atheistica habendum esse impietate. Sed tamen illum errorem, qui existentiam & realitatem attributorum diuinorum non agnoscit, negatque ea in vno individuo perfectissimo & liberrimo, potentissimo-

fimoq; & ab omni materia secreto & separato subsistere, non possum non pro atheistico habere, nullusque dubito, quin omnes, praeiudicatarum opinionum vacuos, in eo mecum consentientes sim habiturus. Sed ad alterum nunc nostrae dissertationis caput accedimus, eosque ordine producemus, qui eundem iampridem ante Spinozam errarunt errorem.

§. VI. Primo itaque ex ipsis Peripateticis Strato Lampfacenus in hunc referri censum posse videtur, si quis expendat ista Ciceronis verba: *o Nec audiendus eius (Theophrasti) auditor Strato, is, qui Physicus appellatur, qui omnem vim diuinam in natura sitam esse censet, quae causas gignendi, augendi, minuendi habeat, sed careat omni sensu ac figura.* Plenius alibi eius mentem edisserit Cicero hunc in modum: *p Negat sine Deo esse quidquam, ecce tibi e transverso Lampfacenus Strato, qui det isti Deo immunitatem magni quidem muneris. Sed cum sacerdotes deorum vacationem habeant, quanto est aequius habere ipsos Deos? Negat opera Deorum se uti ad fabricandum mundum. Quaecunque sint, docet, omnia effecta esse natura, nec ut ille, qui asperis & laeuis, & hamatis, unciatisque corpusculis concreta haec esse dicat interiecto inani, somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed optan-*

(O) de natur. deor. lib. I. p. m. 1168. (P) academi-
quaest. lib. II. p. m. 1044.

optantis. Ipse autem singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum esse docet ponderibus & motibus. Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Hisce Plutarchi quae subiungemus verba, ut eo rectius de mente Stratonis statuere queamus, & quidem tantum latino sermone, brevitatis causa: Denique mundum ipsum, animal esse negat, (Strato) vultque naturam sequi temerarios fortunae impetus, initium enim rebus dare spontaneam quandam naturae vim, & sic deinceps ab eadem natura physicis motibus imponi finem. Ex hisce sequentia elicimus 1.) Stratoni nullam fecere iniuriam, qui illum inter Atheos collocant. Negavit enim, teste Cicerone, se opera Deorum uti ad fabricandum mundum. Ergo Deum ex mundo proscribit, meritoque Atheus dicitur. Immo videtur ipsam materiam, ex qua mundus hic compositus est, pro Deo habuisse, vel, ut Cicero loquitur: omnem vim diuinam in natura sitam esse, censuit. Quorsum etiam pertinet locus Senecae apud Augustinum 1, a doctissimo viro Petro Baelio: huc relatus: Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratoniem, alter fecit Deum sine corpore, alter sine animo. Dicitur, Deum fecisse sine animo, hoc est, ma-

(q) aduers. Colorem p. iiii. (r) de c. d. l. VI, c. X,
(s) v. Spinoza p. m. 1084.

materiae omnem diuinitatem tribuisse. 2) Licet Epicuraei itidem in Atheorum classem referendi sint, systema tamen Stratonis toto coelo diuersum est a systemate Epicuri. Etsi enim vna cum Epicuraeis statuere videatur, temerario, vt Plutarchus loquitur, fortunae impetu totum hocce vniuersum oritur esse, in eo tamen Strato ab Epicuraeis abire videtur, quod pro materia stupida, vltaque omni destituta Epicuraeorum, substituat materiam, vita quadam naturali & plastica instructam, sensus tamen omnis atque cognitionis expertem. Quod ab Epicuro dissentiat, iterum diserte innuit Cicero: *Quaecunque sint, omnia docet effecta esse natura, nec ut ille, qui asperis & laenibus & hamatis uncinatisque corpusculis concreta haec esse dicat, interiecto inani &c.* 3) Ad Spinozam in eo accedere videtur, quod non alium Deum, quam ipsam naturam siue hocce vniuersum, agnoscit, quod sane caput est Atheismi Spinoziani. Sed tamen 4) in eo rursus a Spinoza discedit, quod cum Epicuro materiam in plurimas particulas discerpat, cum Spinoza contra vniam huius vniuersi substantiam agnoscat: praeterea Strato initium mundo huic dedit, ex temerario fortunae impetu illud cum Epicuro accersens, cum Spinoza contra vi suae hypotheseos non possit non aeternum perpetuumque mun-

mundum statuere. Ex quibus omnibus id eandem conficitur, Stratonem in quibusdam cum Spinoza facere, in quibusdam ab eo dissentire. Qua in re nobiscum facit Petrus Baelius, qui asserit, Stratonem proxime accedere ad sententiam Spinozae, licet non plane cum eo consentiat.

§. VII. Eleaticae Sectae auctor conditorque fuit Xenophanes Colophonius, quem aperte Spinozismi accusat Petrus Baelius, vir ad augendum Atheorum numerum ceteroquin haud adeo proutus. M. Tullius Cicero, sententiam eius ita edisserit: *x Xenophanes, qui mente adiuncta, omne praeterea quod esset infinitum, Deum voluit esse, de ipsa mente idem reprehenditur, ut ceteri; de infinitate autem vehementius, in qua nihil neque sentiens, neque coniunctum esse potest.* Non satis mentem Xenophanis assecutum esse Tullium sibi persuadet Baelius, quam rectius expresserit Minutius Felix: *Xenophanem notum est omne infinitum cum mente, Deum tradere.* Ex infinito enim & mente hic vnum quiddam coniunctum facit, cum fecernere contra ea ac separare ex sententia Xenophanis videatur. Cicero. Mihi tamen nihil aliud innuere videtur Cicero, quam Minutius Felix. Quid-

(t) l. c. (v) in v. Xenophanis p. m. 1250. (x) lib. I. de nat. deor. p. m. 1168.

Quidquid huius sit, mentem cum infinito eum coniunxisse, ex alio Ciceronis loco patet, quo haud obscure innuit, vnam saltem substantiam admisisse Xenophanem. Anaxagorae enim cum adduxisset sententiam, addit: *γ Xenophanes paulo etiam antiquior, vnum esse omnia, neque id esse mutabile, & id esse Deum, neque natum vsquam, & sempiternum, conglobata figura.* Ecce! Spinozismus manifestus, *vnum esse omnia*, hoc est, vnam saltem esse substantiam, rerum autem, quam percipere videmur varietatem, nihil aliud esse quam vnus, siue Substantiae modificationes. Aristoteles ² eandem illi tribuit sententiam. De obscuritate enim eius cum nonnulla conuestus esset, subiungit: *ἀλλ' εἰς τὸν ὅλον ἕρανὸν ἀποβλέψας, τὸ ἐν εἰναι Φησι τὸν θεόν:* *Sed ad totum coelum respiciens, ipsum vnum ait esse Deum.* Hisce omnibus & Eusebii, testimonium adiicit Baelius, quo eidem Philosopho hanc quoque sententiam tribuit, *Deum ἀκρίειν, καὶ μὴ κατὰ μέρη,* *in vniuersum audire ac cernere, non vero partibus.* Sed lubricum hoc esse argumentum ipse non diffitetur, cum sensus allati dicti hic quoque esse possit, Deum vnum & generalē

X

velut

(y) *academ. quaest. lib. II. p. 1074.* (2) *metaphys. lib. I. cap. V.* (a) *praeparat. euang. lib. I. cap. VIII.*

velut intuitu, non per ideas particulares, res cognoscere. Interim manifestum satis est ex dictis, Xenophanem iure Spinozismi argui. Nec obstat, quod alias quasdam fuerit opiniones, quæ cum hac eius hypothesi non commode conciliari queant. Fuit enim hoc commune veterum vitium, systemata male cohaerentia sibi formare: paucissimæque solliciti de eo fuerunt, quo pacto sententias, quas defendebant, inter se connectere & in iustum redigere ordinem possent: id quod infinitis, si opus esset, comprobari posset exemplis. Deinde quid mirum Xenophani hoc contigisse, cum nec ipse Spinoza, quantumvis ingenio valens ab hoc vitio immunis fuerit, sed talia passim docuerit aut egerit, quæ ἀσύστατα plane sunt; & cum præcipua eius hypothesi conciliari nulla ratione possunt.

§. VIII. Videtur autem tota schola Eleatica hoc veneno fuisse infecta. Decantato senim isto dogmate, vnum esse omnia, personabat. Parmenides enim, Xenophanis, teste Clemente Alexandrino ^b auditor, teste autem Theodoro ^c socius eius, idemque inter præcipuos sectæ Eleaticæ Antistites numerandus, eamdem fouisse sententiam dicitur. Scio esse ex veteribus, qui dicunt,

(b) *lib. I. Strom. p. 301.* (c) *l. II. graecar. affect. pag.*

cunt, eum in multis a Xenophane discesfisse: sed tamen ad hocce, de quo disceptamus caput quod attinet, idem plane eos docuisse ex Eusebio constat. d Iuxta hunc namque, *sempiternum esse orbem huncce uniuersum, omniq; motu carere, ipsiusq; naturae veritatem omnino constare defendit; singularem enim illum, & unigenam, stabilem ac quietum, nec certo aliquo tempore generatum esse: generationem porro ad ea reiicit, quae falsa quadam opinione putentur esse, adeoque sensus omnes communionem veritatis excludit.* Vbi pro eo, quod interpres dixit: *ipsiusque naturae veritatem omnino constare*, in Graeco legitur: *κατὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν*, quae verba ita potius reddenda: *secundum rerum veritatem, ut sensus sit: motu carere secundum rerum veritatem, vel secundum ad, quod reuera est*, obseruat Petrus Baelius. e Plura in his verbis occurrunt, documenta, quae Parmenidem Spinozismi arguunt: sed id illustre cum primis atque manifestum est, quod Eusebius dicit, omnes rerum mutationes ac generationes eum fustulisse, quod quem in finem fecerit, ratio nulla dari potest, nisi haec, quod crediderit, hocce uniuersum vnam tantum esse substantiam. Si vna tantum est substantia, necesse est, ut semper existat, & omnis mu-

(d) praepar. euāgel. lib. I. cap. VIII. (e) l. c.

tationis sit expers. Cum autem sensus ipsi huic asserto repugnarent, quibus quotidie mutationes rerum generationesque percipimus, maluit Parmenides horum in dubium vocare certitudinem, quam a sua discedere sententia. Hoc enim est, quod Eusebius dicit: *generationem porro ad ea reiecit, quae falsa quadam opinione putentur esse, adeoque sensus omnes communionem veritatis excludit.*

§. IX. Ex eadem Eleatica secta prodierunt Leucippus atque Democritus, nisi potius dixeris, inducta atomorum doctrina, nouam eos sectam condidisse. Atheis hos, vna cum alumno suo Epicuro, huiusque discipulis ac sectatoribus annumerandos esse, nemo nisi historiae philosophicae valde imperitus, negauerit. De rerum enim natura ita philosophati sunt, vt neglecta de causa efficiente doctrina, omnem mundi ornatum ex coeco ac fortuito materiae motu explicare conarentur. Praecipuum Democriti dogma, teste Cicerone fuit, *f e corpusculis effectum esse coelum & terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito: vel vt alibi idem Tullius loquitur, g necessitate, hoc est, atomorum grauitate naturali, omnia fieri.* Hinc & Democritus nihil liberalius, quam mentem, quam materiali rerum omnium principio

(f) de nat. deor. lib. I. p. m. 1168. (g) de fato pag. 1239.

cipio adiunxerat Anaxagoras, irrisisse dicitur. Cum vero pro aliis forte philosophis, qui itidem de materia tantum, non autem de causa efficiente locuti sunt, defendendis, asseri queat, licet diserte causae efficientis nullam fecerint mentionem, ex eo tamen neutiquam colligendum esse, quod eandem a mundi huius fabrica prorsus excluderint, pro Democrito tamen hoc minime asseri posse, recte obseruat Samuel Parkerus ^b, eo, quod is non tantum Anaxagorae mentem diserte reiecerit, sed ex fortuito atomorum concursu omnia deriuando causae efficienti nullum concesserit locum. Quidquid huius sit, Atheus fuit Democritus cum sua schola, sed ideo tamen non fuit Spinozista. Atheismus enim Democritico-Epicuraeus ab Atheismo Spinoziano toto coelo differt. Spinoza vnam saltem substantiam, eandemque aeternam statuit atque perpetuam: Democritus varias rerum mutationes ex atomorum fortuito concursu & separatione resultantes admittit. Ille pro Deo idolum aliquod & brutum velut corpus substituit, hic Deum prorsus proscribit. Vter autem ineptior sit, & magis impius? vix definiri poterit. Democriti sententiam cum recitasset, ille, quem antea laudauimus, Samuel Parkerus

X 3

ke-

(h) *dispar. de Deo & prouid. diu, disput. I, sect. X.*
p. 25.

kerus, recte subitugit: *Quo quidem quid fieri potuit philosopho, immo quidem viro prudente, indignius? Quis enim, qui non prorsus desipere affectauerit, brutam & inertem materiam, tantos tamque venustos effectus, immo quidquam omnino suis viribus efficere posse, aut sibi serio persuadere queat, aut aliis persuadendum esse putet.*

§. X. Inter celebriores Epicuræos referatur Alexander quidam, quem non Atheismi modo, sed & Spinozismi reum forte haud immerito feceris. Eundem autem hunc Alexandrum esse, cum illo, quem inter sodales suos memorat Plutarchus i, nonnulli existimant. Ab hoc scilicet dogma suum citra controuersiam Spinozianum hausisse dicitur Dauid de Dinanto, idque, obseruante B. Iacobo Thomasio k, diserte asserit Thomas de Aquino. l Dicit enim, quod Dinantius secutus sit Alexandrum, qui fecerit librum de materia, in quo probare conatus sit, omnia esse unum in materia. Prolixius Alexandri sententiam edisserit Albertus Magnus m apud eundem Thomasium: *Fuit Alexander Epicuræus quidam philosophus, qui Deum esse dixit materiam, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse Deum; & formas esse accidentia imaginata &*

non
 (N) II. Sympos. 3. (K) de existione mundi stōica dis-
 sert. 14. p. m. 200. (l) lib. I. contra gentil. cap.

XVII. (m) I. phys. tract. III. cap. XIII.

non habere veram entitatem, & ideo dixit omnia idem esse: & hunc Deum vocauit aliquando Iouem, aliquando autem Palladem, & aliquando Apollinem, & formas esse pepulum Palladis & vestem Iouis, & neminem sapientum dixit ad plenum posse reuelare occulta sub peplo Palladis, & sub veste Iouis. Haec equidem ab hisce de Alexandro narrantur, qua fide, quoue iure, nescio. Namque nec scripta eius in nostris versantur manibus, & veterum nemo mihi notus est, qui sententiam philosophi huius paulo accuratius litterarum monumentis consignauerit. Interim hoc ex dictis intelligitur, sententiam, quae Alexandro tribuitur, cum philosophia Epicuraea consistere nullo modo posse. Ergo aut in eo errant isti, quod pro Epicuraeo illum habuerunt philosopho, aut mentem eius non recte affecuti sunt: quamquam prius fere dicere malim. Nisi quemcunque hominem impium atque profanum, quod hodie solenne est, Epicuraei nomine insigniuerint. Porro, si vel maxime Dinantiana sententia conueniat cum hypothesis Alexandri, nondum tamen statim ex eo colligendum, quod ille sua ab hoc hauserit, quod alicui etiam non adeo verosimile videri poterat.

§. XI. Sed licet Dinantius sua non hauserit ab Alexandro, accepit tamen ea sine dubio ab Amalrico seu Almarico. Certe ci-

tra ambages hoc profitetur Prateolus. n Amalrici autem doctrinam ex Gersone ita proponit Thomafius: o *Omnia sunt Deus, Deus est omnia. Creator & creatura idem. Ideae creant & creantur. Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reuersura sunt in ipsum, vt in Deo immutabiliter conquirent, & vnum indiuiduum, atque incommutabile permanebunt. Et sicut alterius naturae non est Abraham, alterius Isaac, sed vnius atque eiusdem: sic dixit omnia esse vnum. Dixit enim Deum esse essentiam omnium creaturarum.* Haec de Almarici opinione ex Gersone, p Thomafius, & ille ex Hostiensis & Odone Tusculano. Non potuisset sane error Spinozianus apertius atque luculentius edisseri. Sed pluribus de Almarici & Dinantii errore in obseruationibus selectis ad rem litterariam spectantibus dictum est. q Proinde in praesenti tantum paucis in originem impietatis Almaricianae inquiramus. Quem saepius in hac causa laudauimus, vir doctissimus Iacobus Thomafius, eum in philosophia Platonica quaerit. Obseruat enim ex Hostiensis, Amalricum errores suos libro cuiusdam Io. Scoti debere, illius scilicet, qui alias Erigena dicitur, no-

no-

D) in *elencht. haeref. p. 478. (o) l. c. (p) de Concord. metaphys. cum logic. p. IV. op. alph. 20. lit. n. (q) t. I. obseru. XV. §. XVII. seqq.*

noque post Christum natum seculo viuens Pseudo-dionysium Areopagitam, cuius ipse magnus admirator fuit, primus latinitate donauit. Pseudo-dionysium sane istum Platonis secutum disciplinam fuisse in confesso est apud omnes. Huius ergo doctrina cum imbutus fuerit Scotus ille, cuius liber Amalricum in istum errorem induxerit, videtur tandem ex ipsa philosophia Platonica prima Amalriciani erroris origo arcessenda.

§. XII. Non semel equidem Platonicae philosophiae & Enthusiasmus & Spinozismus imputatus fuit. Quae vitia licet toto coelo a se inuicem distare videantur, ex vno tamen promanare possunt fonte, cum Enthusiasmus res omnes creatas in Deum mutet, Spinocismus Deum in res creatas aut materiam. At quo iure enthusiasmi natales in Platonica Philosophia quaerantur, nunc exquirere nostrum non est. Ad Spinozismum quod attinet, hunc diserte Plotino, philosophiae Platonicae assertori & antistiti summo, quem tam accurate Platonis tenere mentem credebant, vt velut prouerbio iactitarent, aut Platonis animam migrasse in Plotinum, aut vnum eundemque vtrumque afflauisse daemonem, tribuit Petrus Baelius. Legitur namque hodiernum iater opuscula Plotini vnum sub titu-

lo: r. *quod ens vnum idemque simul totum est v-
bique.* Afferit ergo Baelius, probare voluis-
se Plotinum, vnum & idem vbique totum
simul adesse. Et hoc idem esse concludit,
quod Spinoza docuit, vnam totius huius v-
niuersi esse substantiam. Porro, eiusdem,
Plotini alius extat libellus, sub titulo: *virum
omnes animae vna sint animae.* Ex eo rursus
videtur colligi posse, eum vnam saltem to-
tius huius vniuersi animam, vnamque adeo
statuisse substantiam, id quod Spinozae do-
gma fuit. At si mihi a tanto viro dissentire
liceat, vix mihi persuadeo, haec sufficere ad
conuincendum Plotinum Spinozismi. Prae-
terquam enim, quod haec, quam illi impu-
tat sententia, nec cum Platonicae philoso-
phiae, nec cum ipsius Plotini prorsus con-
sentiat hypothesibus, ex nudo libri titulo
vix certi quid hac de re statuere licebit. Mi-
hi sane, hosce Plotini libellos perlegenti,
adeo obscuri visi sunt, vt quid in istis sibi
velit, definire non audeam. Posterioris sco-
pum in capite primo indicare videtur, cu-
ius summam ita complectitur Marsilius Fi-
cinus: *Plotini sententia est, mundum vnam habe-
re propriam sibi animam: & animalia omnia suas
propriasque habere.* Interim licet illi, qui mun-
do

(r) *enneed. VI. l. IV. f. m. 241. seqq.* (s) *in V. Plot.*
pag. 855. (t) *Enneed. IV. l. IX. f. 61.*

dō animā tribuunt, vel potius Deum pro
 mundi anima reputant, non ipsum quidem
 Spinozismum profiteantur, non tamen dif-
 fiteor eos proxime ad Spinozae sententiam,
 accedere. Plato autem atque Platōnici licet
 animam mundi admiserint, eandem tamen
 diuersam fecerunt ab ipso Deo. Rursus
 quod ad priorem Plotini librum attinet, *quod
 ens vnum idemque totum sit ubique*, videtur, vt
 librum legenti patebit, per ens istud vnum
 idemque iterum mundi animam, seu λόγον
 atque mentem diuinam, ab ipso Deo secre-
 tam eoque inferiorem intelligere. Vnde,
 tamen concludo, luculentioribus opus esse
 argumentis, si aut Platōnici generatim, aut
 speciatiim Plotinus conuinci Spinozismi de-
 beat.

§. XIII. Certe si liberē mihi hic profiteri
 liceat, quod sentio, ego nullam sectam ex
 veteribus magis a Spinozismo recedere pu-
 to, quam Platonicam, tantum abest vt eam
 hac labe inficere audeam. Iacobus Thoma-
 sius, vir doctissimus, deque historia philo-
 sophica optime meritus, discrimen quatuor
 sectarum Graecanicarum praecipuarum Pla-
 tonicae, Aristotelicae, Stoicae, & Epicu-
 raeae explicaturus, recte obseruat, v materiae
 quidem necessitatem maximam aequa-
 liter omnes dedisse; Deo libertatem tanto
 mino.

(v) de exustion. mundi Stoica disc. ii. p. 29.

minorem quemque, quanto arctius eam materiae connecteret, aut immergeret profundius. Recte sane. Ego vero nunc hinc porro infero, eos quam longissime a Spinozismo recedere, qui quam maximam Deo libertatem tribuunt, eumque quam accuratissime a materia remouent: tanto contra propius accedere eos ad Spinozismum, quanto arctius cum materia connectunt, quantoque immergunt profundius. Iam Thomae noster porro ita pronunciat: *Platoni maxime, sed ut inter Gentiles philosopho, liber Deus.* Ergo Plato inter omnes gentiles philosophos, saltem Graecanicos, a Spinozismo quam maxime recessit. Credidit enim, mundum ex libero Dei cum materia congressu extitisse: *Cum Aristoteles contra, ita pergit vir ille doctissimus, & Stoici, illum siue congressum, siue nexum necessarium, ipsique Deo ineuitabilem statuarent.* Ergo & Aristoteles & Stoici propius ad Spinozismum accedunt quam Plato. Infert hinc rursus quam rectissime, Platonem mundum ab aeterno extitisse, negare potuisse, Aristotelem & Stoicos non potuisse, quippe qui Deo libertatem vix aliam reliquerint, quam qua vteretur speculando magis quam operando. Si porro quaeras, in quo ergo ab Aristotele discesserint Stoici, rursus egregie docet, in eo illos dissensisse, quod ille mundum sublunarem per solam virtutem attingi,
Stoici

Stoici contra per ipsam substantiam quasi fermentari, opinarentur. Ex quo itidem, sequitur, Stoicos propius ad Spinozismum accessisse quam Aristotelem. Sed de singulis paulo uberius hoc edisserere iuuabit.

§. XIV. A Platone eiusque philosophia remouendam quam maxime Spinozismi suspicionem esse, licet iam ex dictis constet, comprobari tamen porro ex eius de Deo sententia potest. Res notissima est *Trinitas Platonica*, qua tres velut Deos, at non aequales, sed sibi inuicem subordinatos statuit. Primum locum *Deus summus*, alterum *mens*, tertium *anima* occupat. Ex summo enim Deo mentem, ex mente animam esse testatur, Macrobius. x Dei itaque vocabulo ipsum summum Numen, Mentis, mundum intelligibilem, animae, spiritum huius vniuersi adspectabilis designabant. Hanc Platoniorum fuisse sententiam clarissime euincit, saepius a nobis laudatus Iacobus Thomafius. y Iam ergo cum & Platonici animam mundi admiserint, aut docuerint animam mundi cum materia vnum velut ens, vnamque substantiam constituere, vti de Plotino antea obseruauimus, *dis dià πασῶν* tamen a sententia & Stoicorum & Spinozae discreparunt. Hi enim ipsum Deum animae officio fungi asseruerunt, quod illi tamen sub-

(x) in *semm. Scip. l. I. cap. XIV.* (y) *l. c. p. m. 182.*

stantiae a Deo secretae & separatae tribuerunt. Recte hoc iterum obseruatum est ab eodem auctore, cuius hic adiungere verba, rem apprime illustrantia, nos nequitiam pibeat: *offensum*, inquit, *est antea, mundi animam & in porticu Zenonis & in Platonis academia salutari Deum, sed dignatione dispari, tertium hic, illic primum. Quod discrimen non ita minus est, ut putabat Lipsius. Vide mihi enim, quid ad haec principia sequatur porro. Summum Deum Plato, quia distinxit ab anima mundi & consequenter ab ipso mundo, posuit opificem externum mundi facere & incorporeum, quod ne Lipsius quidem neget. Stoici, quibus Deus ille summus, anima uel licet mundi una massa cum mundo sic est, ut neutrum ab altero separari possit, non potuerunt. Hoc enim uero nihil aliud est, quam Spinozismi conuincere Stoicos, absoluere ab hac impietate Platonem. Ad Almaricum ergo ut redeamus, ex haecenus dictis palam fiet, nullam fuisse rationem, cur non ab aliis magis philosophis Spinozismum suum haurire potuerit, quam a Platone, minimeque mihi nunc placet ea sententia, quam ipse alibi defendi, ex Platonica potius quam Aristotelica philosophia errorem eius arcessendum esse. Certe in Aristotelica non minus eum uersatum fuisse philosophia quam Platonica, seculi genius nos dubitare nullo modo finit. Iam uero Platonem a Spinozismo recedere*

lon-

longi⁹, accedere contra propius Aristotelem, euicimus. Quid ergo obstat, quo minus huius potius prefferit vestigia quam illius ?

§. XV. Quod si Clementi Alexandrino fidentum, Aristoteles diserte Deum *pro animâ mundi* venditauit, parumque adeo abfuit a Spinozismo. z Verba eius latine tantum, breuitatis causa, referemus : *cuius quidem sectæ (Peripateticorum) qui est pater, nihil de eo patre qui supremus est, intelligens, putat esse animam uniuersi, hoc est, mundi animam Deum esse existimans, ipse a se ipso confoditur. Qui enim, usque ad lunam eius desinit prouidentiam, deinde mundum Deum esse existimat, euertitur, ut qui eum, qui est Dei expers, Deum esse arbitretur. Quo iure Clemens Aristotelem contradictionis arguat, nunc equidem non disputo. Id saltem inquirere lubet, num recte haec sententia, quod Deus sit anima mundi, Aristoteli tribuatur a Clemente. Raynaudus a sane hoc exerte negat, pronunciatque, nihil proferri ex Aristotele posse, quod huic errori faueat. Alii contra inter formam assistentem & informantem distinguunt, asseruntque, Aristotelem habuisse Deum pro forma assistente, non totius quidem mundi, sed tantum coeli supremi, quemadmodum & reliquis etiam coelis ipsique orbi sublunari suas for-*

(z) in admonit. ad gentil. p. m. 44. (a) theol. natur. dist. 6. q. 1. n. 5. p. 562.

formas assistentes & intelligentias assignavit. Quae si ita se habeant, contradictio equidem Aristoteli a Clemente imputata evanescet, longiusque a Spinocismo recedere videtur Aristoteles, licet non prorsus ab eodem absolvatur. Sed ab Atheismi tamen hoc ipso non statim liberatur crimine, cum mea certe opinione, qui non alium admittit Deum, quam coeli cuiusdam praesidem, qui illi vinculo quodam alligatus sit, ad voluendum istud & circumrotandum, non possit non pro Atheo longe manifestissimo reputari.

§. XVI. Mirum itaque non est, fuisse viros quosdam doctos, qui non Atheismum modo, sed & Spinozismum Aristoteli obiecerunt. Et ad Atheismum quidem quod attinet, constat Valerianum Magnum ex instituto librum de *Atheismo Aristotelis* conscripsisse, qui A. M. DC. XLVII. prodiit. Spinozismum autem Aristoteli non semel obiicit Hasselius. Nec adeo ab hac sententia alienus videtur, Criticorum hodie facile doctissimus Petrus Baelius. Quidquid autem sit de ipso Aristotele, certe inter discipulos eius esse qui iure optimo Spinozismi arguantur, multi sibi persuasissimum habent. De Stratione Lampfaceno iam antea dictum est. Munc ex recentioribus producimus Andreanum Caesalpinum, genuinum, si quis alius, Ari-

Aristotelicae philosophiae alumnum. De
 eo sane Samuel Parkerus pronunciat, pri-
 mum eum recentiorum esse & pene postre-
 mum qui ceperit, quid sibi velit Aristoteles.
 Sententiam autem Caesalpini, adeoque ipsi-
 us Aristotelis, ita edisserit, idem ille Parke-
 rus: *Causam, inquit, omnium productricem au-
 tulit, ita tamen ut eidem omne providentiae impe-
 rium detraxerit. Primum itaque Motorem intelli-
 gentiam speculativam, non activam esse, statuit; de-
 inde intellectum speculativum eum esse voluit, qui ni-
 hil cuiusvis finis gratia operatur, sed sola contempla-
 tione totus occupatur; activum autem, qui ad fi-
 nem respicit, atque eundem ut assequatur, artem
 & consilium adhibet; Deum itaque cum nihil ali-
 ud per omnem aeternitatem, nisi sui ipsius perfectio-
 nem contempletur, nihil efficere aut voluisse aut co-
 gitasse, omnes naturae effectus, inevitabili quadam
 necessitate inde nascuntur. Etenim cum sit summum
 Numen, summe beatum, summe appetibile quoque
 esse necesse est; summe autem appetibile cum sit, non
 potest quin in alia appetitum gignat, atque adeo re-
 liquis intelligentiis, quae singulis coelorum orbibus
 insistant, motum quendam eorum appetitum sciendo,
 imprimat, quem suis orbibus impertiunt, orbis ele-
 mentis, quorum diversis motibus & mixturis omnis
 generatur natura, atque adeo ab initio ad exitum
 nihil consilio, sed bruta necessitate, facta fuisse omnia.
 Haec & alia postquam ex Stagiritae mente
 disserat Parkerus, concludit tandem: Ari-*

Aristotelem omnium Artium esse Principem, atque ipso Epicuro apertiore religionis hostem, id quod & in quarta eiusdem operis dissertatione vberius demonstrat. Sane admittit Caesalpinus cum Aristotele intelligentias motrices in sphaeris coelestibus, admittit Angelos ac Daemones, sed hos omnes vniuersalium substantiarum vniuersalis, quae sit anima mundi arctissimoque adeo vinculo cum materia connexa, partes esse, statuere videtur. Neque necesse est, ut qui Spinozismo fauet, statim spirituum existentiam tollat: imo ex Spinozae hypothese non posse non spiritus atque infernum admitti; turpiterque suae sententiae contradixisse hominem, dum spirituum apparitiones, atque infernum inter hominum otiosorum commenta retulit, probat copiose & erudite Petrus Baelius. Quod vero Caesalpino ea, quam innuimus mens fuerit, iam pridem etiam obseruauit Gerhardus Iohannes Vossius. *Andreas, inquit, Caesalpinus censet, motrices coelorum causas non esse per se multas, sed solum ob coelestes sphaeras videri multas, cum per se VNA TAMEN SIT SUBSTANTIA.* Hoc equidem cum Aristotelis quibusdam effatis parum conuenire censet, sed addit tamen porro: *Eoque leuior nobis in isto est auctoritas Caesalpini, quod idem nec Daemones vel Angelos, aliud esse censeat, quam particulas Dei corporibus tenuissimis faciatas: imo & bestiarum &*

hominum animas itidem Dei particulas existimauit. Daemones igitur multos fatebatur; sed ratione materiae extra quam nullam esse multitudinem putauit. Ideo & unam statuit intelligentiam humanam; sed multiplicari secundum hominum multitudinem. Recte autem addit, cum haec enarrasset, idem Vossius; quae sane impietate non carent. A qua equidem liberare nititur Aristotelem, cum tamen paulo accuratius eius sententiam intuenti, mox manifestum fiat, eam eodem redire. Certe accuratissimum Peripateticæ philosophiæ interpretem Caesalpinum magistri mentem ignorasse, non adeo verosimile videtur, saltem probari rationibus luculentis debet.

§. XVII. Sed inter Scholasticos quoque forsitan, Aristotelis, ut videri volunt, discipulos, reperientur, qui a Spinoziana impietate non adeo procul fuerunt remoti. Scotistarum gentem vniuersam huius criminis arguere non dubitat Petrus Baelius. Nec enim aliud illorum *uniuersale formale a parte rei, aut unitatem formalem a parte rei sibi voluisse,* quam quod deinceps apertius elocutus est Spinoza, & maiori eruditionis specie hominibus propinauit. Ex Abelardi quoque Epistolis b idem locum producit, c Spinoziano errori haud obscure fauentem: *Erat in ea sententia de communitate vniuersalium; ut eam-*

C. Y 2

dem

dem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret indiuiduis, quorum quidem nulla esset in essentia diuersitas, sed sola multitudine accidentium varietas. Re ipsa nimirum, & citra intellectus operationem existere vniuersalia contende-
bant Scotistae, vt ad eos nunc redeam, adeoque omnia indiuidua de vna eademque essentia non specie, sed numero tali, participare. Quod idem vtique est, ac quod Spinoza docet, omnium rerum vnam eandemque esse essentiam, vnamque adeo in hoc vniuerso dari substantiam. Existimo tamen paucos ex Scotistis veram magistri mentem perspectam habuisse, multo minus vidisse, quae ex ea sequerentur dogmata, absurda & plane impia, Id namque & hodie ita vsu venire solet, vt multi aut Aristotelicos aut Cartesianos se profiteantur, quibus tamen nec Aristotelis, nec Cartesii, vera & genuina mens cognita est aut explorata.

§. XVIII. De Platone haec tenus atque Aristotele dictum, disputatumque, quo iure illorum philosophia Spinozismi arguatur. Nunc Stoicos quoque in medium producimus, quos inter omnes Graecorum philosophosquam proxime ad Spinozismum accedere iam supra asseruimus. Eo minus autem haec nos poenitet sententia, quod & hic praeeuntem nobis habeamus Petrum Baelium.

um. d At ituuabit in mentem Stoicorum paulo accuratius inquirere. Deum eos habuisse pro anima mundi, notissimum est, nec probatione indiget. Supra quoque iam obseruauimus, non eos substantiam quandam a Deo supremo separatam, quod faciebant Platonici, sed ipsum supremum Deum pro anima mundi reputasse. Nunc quaeri posset, an dum Deum animam mundi dixerunt, eum habuerint tantum pro forma assistente, an vero etiam pro forma informante? At respondit iam pridem Iacobus Thomasius p. m. peculiari dissertatione ex instituto euincens, *Stoicum Deum esse formam mundi informantem.* e Praecipua eius paucis indicare iuuabit argumenta, cum omnino instituti nostri hoc exigat ratio. Probat autem suam sententiam, tum auctoritate, tum ratione. Auctoritatem Lactantius f subministrat, cuius de Stoicorum doctrina hoc extat effatum: *interdum sic confundunt, ut sit Deus ipsi mens mundi, & mundus sit corpus Dei. Quasi vero simul esse coeperint Deus & mundus, ac non ipse mundum fecerit, &c. Vbi est ergo illud, quod iidem ipsi aiunt, & factum esse diuina prouidentia & regi? Si enim fecit mundam, fuit ergo sine mundo. Si regit, non utique sicut Mens corpus regit, sed tanquam domum dominus, nauim gubernator, auriga currum.*

Y 3

Vbi

(d) in v. Spinozae p. 1084. (e) *exuss. mundi Stoic.* p. 177. (f) *Lib. VII. cap. III.*

Vbi recte quidem Lactantius animaduertit, Stoicos pugnantia secum docere, dum Deum animam mundi faciebant, & nihil secius prouidentiam illi tribuebant. Enimvero raro admodum sibi constabant veteres, nec vllum illorum temere reperitur systema, quod quoad omnes partes accurate cohaereat. Haec vidit equidem Spinoza, hinc prouidentiam & libertatem Deo plane abiudicauit, adeoque in hoc quidem capite istam contradictionem euitauit, sed simul tamen, quoad alia, longe ineptiores, absurdioresque admisit contradictiones, quod utique illi euenire necesse est, qui causam in se pessimam & iniquissimam exornandam defendendamque sumit. Sed ad Stoicos nostros reuertimur. Hos Deum pro anima mundi, seu forma informante, non assistente habuisse, idem vir doctus ex ea etiam ratione probat, quod ex Stoicorum mente Deus cum materia insolubili nodo connexus sit; in quo in tantum a Platonicis recesserunt Stoici, ut illi ne tertium quidem Deum, quem animam mundi vocabant, inseparabili vinculo cum materia colligatum statuerint, hi vero & supremo compedes eiusmodi atque uincula iniiciendo, omni prorsus spoliauerint diuinitate. Id vero, cum luculenter demonstrauerit, res confecta est, nec liberari villo modo a Spinozicis suspicionibus Stoici possunt. Esto enim,

non

non conueniant cum Spinozismo aliae Stoicorum hypotheses, quod nonnulli vrgent, ex hoc nihil aliud sequitur, quam systema philosophiae Stoicae non sibi constare in omnibus, rectiusque forte haec incommoda euitasse Spinozam, neutiquam autem ab errore Spinoziano prorsus eos liberandos esse,

§. XIX. In summam ergo conferamus, quae haecenus dicta sunt. Haec scilicet animo meo sedet sententia, Graecanicam philosophiam omnem, quanta quanta fuit, & atheismi & Spinozismi labe fuisse infectam. Duae enim praecipuae celebrantur Graecanicorum philosophorum sectae, Ionica & Eleatica. Poeticam nonnulli addunt, quae tamen merito non venit in censum, cum constet Poetas in loquendi formulis ad vulgi captum se attemperasse. Italianam autem, quam iidem nonnulli adiungunt, rectius ad barbaricas sectas referunt, alii. Ad Ionicos itaque quod attinet, ab atheismi crimine eos neutiquam absoluen- dos esse, iam demonstratum est in Tomo secundo Observationum nostrarum Hallen- sium, §. Et sane dum omissa prorsus princi- pii efficientis mentione, tantum de princi- pio materiali locuti sunt, aut me omnia fal- lunt, aut ipsum inculcarunt Spinozismum.

Y 4

Scio,

(g) obseru. XXI. §. IV. seqq.

Scio, Samuelem Parkerum h horum philosophorum suscepisse patrocinium, probareque voluisse, licet de principio materiali tantum locuti sint, hoc ipso tamen eos neutiquam reliquas causas negasse, sed solum sua philosophandi ratione non attigisse. Quae sane excusatio ut frigida est, & meris coniecturis nititur, ita eadem qua profertur, reiicitur etiam facilitate. Ceterum ex Ionica secta tandem Socrates prodiit, ex cuius discipulis cum plurimi novas condiderint, sectas, tres tamen fuerunt praecipuae, & prae reliquis celeberrimae, Platonica, Aristotelica, & Stoica. Eleaticae autem sectae propago fuit Epicuraea. Iam vero, ad Eleaticam quod attinet, luculenter demonstrauimus eam Spinozismo quam apertissime, fauere. Epicuraea autem, si Platonicae, Aristotelicae, & Stoicae addatur, exurgunt inde quatuor istae Graecorum sectae longe celebratissimae florentissimaeque. De hisce omnibus quid pronuntiandum sit, itidem ex dictis patet. Platonica nec atheismo fauet, nec Spinozismo: Epicuraea, non Spinozismo quidem, sed tamen Atheismo: Stoica Spinozismo quam proxime accedit: Aristotelica ut Atheismo citra controuersiam fauet, ita post Stoicos, ad Spinozismum quoque quam proxime accedit. §. XX.

(h) *de Deo & prouid. diuinæ disp. 1. sect. V. p. 9. seqq. it. X. p. 14. seqq.*

§. XX. Operae nunc prætium esset Barbaricae quoque, vt vocari solet, philosophiae, perlustrare sectas, & Spinozismi, si forte in iis quaedam se offerrent, detegere vestigia, modo ii, quibus nos ipsi circumscripsimus, non obstarent limites. Certe Chaldaeos, eandem cum Stoicis hic fouisse sententiam, contendit Iustus Lipsius. Afferit documentum huius rei ex Philone, qui Chaldaeorum ita exprimit sententiam, vt in Spinozae eruditi fuisse videantur schola. *Iidem*, inquit, (Latina tantum, breuitati studentes, damus verba) *apparentem hunc & sensibus subiectum mundum suspicati sunt & ediderunt, aut ipsam solum esse Deum, aut quae eo continetur vniuersi animam. Fatum autem & necessitatem Deificantes, vt sic dicam, & consecrantes, summa impietate vitam humanam repleuerunt, docentes, praeter haec, quae conspiciantur, nullam esse omnium causam.* Zabiorum forte eodem collimauit sententia, si credendum Mosi Maimonidi k: vt nunc nihil dicam de Romanorum facile doctissimo praecipuoque philosopho Varrone, cuius ita refert sententiam Augustinus, l vt aut partum aut nihil, aut a Stoicorum, aut a Spinozae distare errore videatur. Sed hisce diutius vtut possemus, non tamen immorari volumus.

Y 5

§. XXI.

(i) *physiol. Stoic. lib. II. c. X.* (k) *Mor. heb. part. III. cap. XXIX.* (l) *lib. VII. de v. d. cap. VI.*

§. XXI. Solet ceteroquin ad Barbaricæ philosophiæ sectas, etiam referri philosophia Ebraeorum. De qua licet nemini forte Christianorum in mentem venire possit, quod summae impietatis, quam Spinozismi nomine designamus, arguenda sit, nimis tamen inconsiderate hoc fecit Io. Georgius Wachterus, in quem in eo peccasse, quod recentiorum Cabbalistarum placita a sententia veterum philosophorum Ebraeorum non distinxerit, in primo Observationum Halensium Tomo abunde comprobauimus, simulque a genuina & veteri Ebraeorum philosophia, seu Cabbala, omnem Spinozismi suspicionem procul ibi remouimus. n Sed ut Platonicis atque Ebraeis, saltem veteribus, perperam Spinozifinus imputatur, ita dubito sane, an hoc nomine merito tam male audiant, qui ex Cabbala Ebraeorum atque philosophia Platonica sua hâuissse creduntur, quique Mysticorum ac Theosophicorum nomine vulgo insigniuntur. Caput accusationis eo redit, quod primo docuerint, omnia ex Deo esse, vel quod perinde esse videtur, Deum rerum omnium causam esse per emanationem. Valentini Weigelii atque Iacobi Böhmi verba, ex quibus eiusmodi quid sequi videtur, exhibet Colbergius

(m) in *Spinozismo aus dem Judenthum.* (n) obs.
 XXX. §. VIII. seqq.

us, sed ex iisdem, quae ibi adducuntur, verbis patet, mentem Bohmii non esse, quod mundus hic aspectabilis immediate ex essentia Dei profluxerit, sed mediante verbo & sapientia, quae principia menti, & animae mundi, Platoniorum, respondere dicuntur: multo minus autem mundum ex Deo tanquam materia esse. Atque in eo omnes etiam consentiunt, quod Cabbalistsae non, immediate ex essentia diuina mundum hunc aspectabilem educant. Tam vero cum iidem porro in his omnibus liberrimae voluntati Numinis nihil derogatum velint, aperteque statuant, fuisse tempus quo Deus mundum ad aspectabilem non produxerit, eundemque rursus aboleri posse, vt nihilofecius Deus fons & scaturigo omnis bonitatis atque perfectionis remaneat, palam est eos a Spinozismo toto, quod aiunt, differre coelo. Spinozae enim Deus est ens aliquod brutum, cum materia necessario colligatum, libertate omni & intellectu diuino destitutum: vna praeterea illa quam statuit, substantia, hoc est totum hocce vniuersum sempiternum est, vt initii, ita & finis expers. Cabbalistsae contra & Theosophici Deo & intellectum perfectissimum & liberrimam voluntatem & cetera attributa diuina tribuunt, in eo

(b) *in christianismo hermetico platonico part. II. cap. II. §. VIII. 106. seqq.*

eo saltem a recepta opinione recedentes, quod simul asserant, primo mundum intellectualem Deum ex essentia sua, (non materiam sed originem designantes) at liberrime produxisse, & ex hocce tandem mundum huncce adspectabilem profluxisse. Non defendo hanc sententiam, nec definitio haec ita se habere, imo modum quo vniuersum hocce productum sit, supra captum hominum positum esse, lubentissime profiteor: saltem hoc assero, *δὲ δια πάντων* illorum sententiam distare a sententia Spinozae. Sed obiicitur illis porro, quod animam mundi Spiritumque vniuersi admittant: & iste quidem error itidem tanquam Platonicus in iis notatur. Vbi tamen obseruari velim, quod isti per animam mundi & spiritum vniuersi aut ipsum Deum, aut substantiam quandam ab essentia diuina separatam intelligant. Si prius, quod mihi tamen, reliquas illorum hypothesés, praesertim eam, quod mundum mediante demum verbo & sapientia a Deo emanasse statuunt, cogitanti, non adeo fit verosimile, non video quo pacto haec hypothesis vocari possit Platonica aut Cabbalifica, cum potius dicenda sit Aristotelica, aut Stoica. Aristotelem enim & Stoices ipsum Deum pro anima mundi habuisse, non autem Platonem, supra luculentissime est euictum. Rursus si posterius admittant,

Theo-

Theosophicos per spiritum huius vniuersi non ipsam essentiam diuinam, sed substantiam quandam separatam intelligere, propius equidem ad sententiam Platonis accedent, sed eo ipso ab impietate Spinoziana longius remouebuntur. Fateor, occurrunt alia quaedam in scriptis Böhmi, quae alicui dubium mouere possent, cuiusmodi praesertim ea sunt, quae Henricus Morus collegit in *censura philosophiae Teutonicae* . ¶ Seda Spinozismo tamen eum penitus absoluit alibi, idem ille vir doctus, & si quis alius accuratus philosophiae Böhmiacae censor. Primo enim innuit, videri alicui posse ac si consentiret: hinc exclamat: q O! inopinatum duorum oppositissimorum ingeniorum; Mathematici vnius suaque omnia ordine Geometrico demonstrantis, alterius summe Enthusiastici, conspirationem & consensum! At statim subiungit: Iacobus vero Böhmen quippe homo simplex ac sincerus, nec a Mose aut a Christo Apostata, aut ullorum principiorum, quae ad malos mores tendunt, fautor ac patronus ad clariorem harum rerum notitiam mature emerfit, fixamque quandam ac tranquillam lucidamque aeternitatem agnouit a Natura penitus distinctam. Hic vero (Spinoza) in infimas Atheismi faeces immersus, quantum ego quidem intelligo,

ibi

(p) q. 1. §. XI. seqq. t. 1. opp. philos. p. 588. (q)
in columnar. atheismi Spinoziani sub vert. t. 2.
opp. philos. p. 619.

ibi impenitens expiravit. An non autem illi ex Cartesianis, qui Deum pro immediata omnium motuum naturalium causa venditant, aliquantisper ad Spinozismum accedant, videant, quorum interest. Quae nostra aetate hac de re inter viros doctos disputata sunt, neminem fugiunt. Quodsi autem vel maxime ad Spinozismum haec Cartesianorum philosophia quodammodo duceret, nequiquam viris illis doctis qui talem sententiam fouent, imputandum, ac si Aethi sint aut Spinozistae. Saepius enim fieri potest, vt nobis non animaduertentibus ex nostris principiis conclusio quaedam sequatur, quam tamen ex iis sequi non putamus, quamque adeo toto detestamur peccatore.

§. XXII. Hodie si ab Europaeis discesseris, vix vlla philosophiae, in vlla gente, reperiuntur vestigia, quam apud Chineses. Cumque plerorumque apud nos animos haec inuasit stultitia, vt peregrina admiremur, fastidiamus contra domestica, licet longe praestantiora, hinc Confucii sapientiam tot laudibus in coelum euehi videas, cum tamen ea quae in quibusuis libellis catecheticis pueris apud nos instillantur, longe meliora solidioraque sint, quam tota philosophia Confucii. Namque in theoretica philosophia nos multum Chinesibus praestare.

stare, fatentur omnes: at moralem illorum doctrinam cum primis admirantur, quae tamen, ut dixi, cum nostra, qua per Dei gratiam omnes non modo vrbes sed pagi personant, saltem personare possent, collata, multis parasangis illi cedit. Sed quicquid huius sit, totam Chinesium philosophiam in Atheismum tandem seu Spinozismum abire, erudite non ita pridem obseruauit Char- motus, in defensione edicti a Maigroto contra Iesuitas pro Dominicanis editi, quae cum reliquis huc spectantibus monumentis, exstat in *Tomo primo Historiae cultus Sinenfium. Coloniae V. M. DCC. editae*. Profitetur autor iste diserte, literatos qui hodie in Sina viuunt, de principio huius vniuersi ita philosophari, ut facile inde colligatur, eos nullum principium immateriale admittere, sed ipsum coelum materiale, quod XANGTI vocent, eiusque partem subtilissimam quam LI vel TAI XIE appellent, pro causa efficiente rerum omnium vendicare. Hinc & ipsum Deum non alio vocabulo quam XANGTI eos designare, quae vox cum adeo ad veram Dei notionem mentibus illorum imprimendam, non sit satis accommodata, haud immerito eam reiecerunt Dominicani, ut alibi obseruauimus. Nec ipsum modernum Imperatorem Sinenfium CAMHI hinc excipit auctor, sed refert, illum nonnullos de Sinica philo-

sophia

sophia libros composuisse, in quibus de coelo & subtilissima eius parte eodem prorsus modo disputet, ac reliqui Sinensium philosophi, praesertim recentiores, disputare soleant, seque adeo reuera Atheum ac Spinozistam demonstret. Nec mirum sane, cum de Indorum philosophia Spinozismo fauente, iam pridem simile quid obseruauerit Bernierius r cuius huc spectantem narrationem etiam exhibet Petrus Baelius. s

§. XXIII. Ab hisce, quae haecenus commemorata sunt, priusquam discedamus, vnicum adhuc monendum est. Scilicet cum summa & execrabilis sit Spinozae impietas, ne faciles nimium simus in Spinozismo aliis imputando, aut saltem in viris doctis & piis, leuissimas ob causas, in eandem cum mortalium pessimo classem redigendis. Certe enim qui viros innocentes, & tum a moribus, tum a placitis improbi hominis longissime remotos, cum eo nihilofecius comparare, rem leuem putant, grauisimo citra controuersiam se obstringunt scelere, cuius supremo omnium hominum iudici reddere rationem tenentur. Obstupuerunt itaque merito omnes, etiam illi qui a certaminibus, quibus pro dolor! nostra agitur ecclesia, alienissimo fuerunt animo, nec vni magis

(r) *memoires sur l'empire du grand Mogal p. 202.*

(s) *in v. Spinoza p. 1084.*

magis quam alteri parti se addictos profitebantur, cum viderunt, virum doctrina, pariter ac morum innocentia integritateque prae caeteris insignem Philppum Iacobum Spenerum, a Lipsiensium quondam Theologo Io. Benedicto Carpzouio, in programme paschali, quod A. M. DC. XCV. nomine Academiae publico scripsisse videri voluit, cum Atheorum principe ac, perditissimo mortalium ita contendere & comparari, ut utriusque eadem proteruitas in peruertendis scripturae oraculis tribueretur. Non equidem insolens est, viros pios & cordatos, ad inuidiam illis conflagandam, cum summe impiis aut foedisimis haereticis conferre. Ipsum Lutherum nostrum cum Porphyrio, iurato christianae religionis hoste comparauit Leo X. Pontifex: r Facultas autem Theologica Parisiensis v cum Montano, credo quod non deterior ex veteribus haeresiarchis illis succurreret; ut quidam de nostra ecclesia optime meritus Theologus obseruauit. At Lutheranae ecclesiae principem Theologum eosdem usurpare mores, & ita se gerere, ac si a religionis Christianae hostibus artes dissentientes opprimendi edoctus fuisset, id quidem eiusmodi est, ut miserrimum Ecclesiae nostrae

Z

sta-

(r) tom. I. Ien. f. 474, b. (v) tom. II. f. 419. b. 428. a.
429. b.

itatum (noentem aut dixerint) hoc luculenter exhibeat. Illi quidem, in quem coniectum istud crimen fuit, hoc non magis nocuit, quam nobis exprobratae a Romanensibus infinitae haereses, aut veteribus christianis obiectus atheismus nocuit, sed par tamen fuit, vt intelligerent omnes, non leue crimen ab Auctore istius comparationis fuisse admissum. Sed ad tertium nunc nostrae dissertationis caput accedimus.

§. XXIV. Omnis scilicet impietatis apparatus, in vnico Spinoza profigari atque confici potest, quippe, qui maximum ingenium, industriamque, ad eam ornandam, atque poliendam attulit. Otium equidem hic nobis fecerunt tot viri eruditi, qui operam studiumque, licet non omnes aequae felici successu, in Spinozismo debellando posuerunt. Sed cum periculo non careat, errorem producere sine confutatione, paucis quorsum tota res redeat, Henrici Mori atque Petri Poireti potissimum ductum sequentes indicabimus. Summa nimirum, Atheismi Spinoziani in duabus hisce continetur propositionibus, vt recte obseruat Henricus Morus : *x ad substantiam, quatenus substantia est, necessario pertinet existentia : & vnica saltem in mundo est substantia.* Sed cum posterior priori fere, eiusque demonstrationibus

(x) *in subscriptione columnarum atheismi Spinoziani*
t. I. opp. phil. p. 615. seqq.

bus innitatur, hanc paulo accuratius reuocare sub examen pro nostri instituti ratione suffecerit. Septima itaque Spinozae propositio haec est: *Ad naturam substantiae pertinet existere.* Haec propositio, si vniuersaliter capiatur, ac si ad naturam omnis substantiae pertineret, existere, falsissima est, Namque nec ad materiam, nec ad spiritum necessario pertinet existere. Sin particulariter, vera equidem est, sed ad institutum Spinozae tum nihil facit. Probat autem hanc propositionem ex corollario propositionis sextae: *vna substantia non potest produci ab alia substantia.* Haec propositio, si rursus vniuersaliter capiatur, falsissima est. Nihil enim obstat, quo minus substantia infinitis perfectionibus praedita, aliam producere substantiam possit. Infinitis enim istis perfectionibus praedita, omnia efficere potest, quae nullam inuoluunt contradictionem. Ergo substantia infinitae perfectionis aliam substantiam producere potest. Quod si autem & haec propositio particulariter capiatur, verum equidem est, quod quaedam substantia, infinita scilicet atque diuina non possit produci ab alia, at tum rursus scopo Spinozae nullo modo inseruit. Demonstratio, quam subiungit, quamque §. III. retulimus, praecipue redit ad propositionem quintam: *in rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae seu attributi, hoc est,*

vt ipse interpretatur, commune aliquid inter se habentes. Quae sane propositio longe est falsissima, Quis enim adeo & rationis & sensus expers esset, vt negare auderet lapides, metalla, plantas, animalia, vt ut substantias inter se diuersissimas, tamen in certo tertio conuenire, adeoque iuxta stilum Spinozianum, eiusdem esse naturae atque attributi? In demonstratione huius propositionis itidem supra §. III. a nobis relata, praecipuae res redit ad propositionem IV. quae haec est: *quod duae aut plures res distinctae distinguantur inter se vel ex diuersitate attributorum substantiarum, vel ex diuersitate earumdem affectionum.* Perperam vtique. Datur enim, vt recte monet Henricus Morus, distinctio tertia, scilicet realis quaedam, quae illic inueniri potest, vbi eadem sunt plurimum substantiarum attributa & affectiones, inter omnes scilicet substantias indiuiduas. Praeterea in sextae propositionis demonstratione prouocauerat ad propositionem II. & III. quas propositiones totum fundamentum atheismi Spinoziani absoluere monet Petrus Poiret. y Secunda itaque propositio haec est: *Duae substantiae diuersa attributa habentes, nihil inter se commune habent.* Inepte sane & proorsus ridicule. Duae enim substantiae hoc ipso dum sunt substantiae, hoc

(y) in fundamentis atheismi euerfis. p. 767.

hoc inter se commune habent, quod sunt substantiae. Adeoque homo lepidissimus, apertissime immo turpissime sibi ipsi contradicit. Demonstrat hanc propositionem ex definitione tertia, *per substantiam intelligo id, quod in se est & per se concipitur*, hoc est, *cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari possit*. Ponamus enim recte se habere hanc definitionem, nihil tamen ex ea sequitur minus, quam id, quod cupit Spinoza. Substantia, inquit, est id, quod in se est, hoc est, quod non est in alio: vel quod perinde est, substantia non est modus: Ergo substantiae diuersa attributa habentes, nihil habent inter se commune. Quis hanc ἀσυλλογιστίαν vel in puero ferret? Porro substantia est id, quod per se concipitur, hoc est, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari possit: ergo hae substantiae nihil habent inter se commune. Egregie! Tertia denique propositio haec est: *Quae res nihil commune inter se habent, earum vna alterius causa esse non potest*. Perperam hic primo supponit, dari substantias, quae nihil commune inter se habeant, quod falsissimum esse iam supra obseruauimus. At posito, dari substantias, quae nihil commune inter se habeant, quid quaeso obstabit, quo minus substantia infinitae perfectionis, aliam imperfe-

Etiolem producat? Demonstratio, quam subjungit, ab Henrico Moro in syllogismi formam redacta suam statim prodit imbecillitatem, & ita proponi potest: *Quae se inuicem respiciunt, ut causa & effectus, eorum alterius tanquam effectus cognitio a cognitione alterius tanquam causae dependet, eamque inuoluit. Sed duarum rerum nihil commune inter se inuicem habentium alterius tanquam effectus cognitio, a cognitione alterius, tanquam causae non dependet, nec eam inuoluit. Ergo duarum rerum nihil commune inter se inuicem habentium altera alterius causa esse non potest.* At in hoc syllogismo vtraque propositio & maior & minor claudicat. Maior quidem, quia nihil obstat, quo minus substantiae, quae se inuicem tanquam causae & effectus respiciunt, etiam absolute considerari possint. Equidem si in ipsa relatione spectetur cognitio vnius, inuoluit cognitionem alterius. At extra hanc relationem, falsissimum est, quod cognitio vnius includat cognitionem alterius. Sic quis tam ineptus esset, ut diceret Patrem, tanquam hominem, aut virum doctum non posse cognosci aut considerari sine consideratione filii. Minor itidem aperte falsa est, cum in ea supponatur, dari substantias nihil commune inter se habentes, quem tamen errorem supra profligauimus. Quod si supponatur dari substantias, quam minimam, quae

quae cogitari potest, inter se communitatem habentes, tum sane aut absolute considerari possent aut relatiue. Si absolute, vnius cognitio non dependeret a cognitione alterius. Sin relatiue, certe vna sine altera cognosci non posset. Sed quid hoc errorem Spinozae iuuet, ego quidem non video. Et ita primum & praecipuum systematis Spinoziani fundamentum sua sponte corrui. Alterum, nullam dari substantiam praeter Deum, huic innititur. Demonstratio enim propositionis decimae quartae, in qua aperte hanc impietatem profitetur, praecipue fundatur in propositione quinta. cuius iam falsitatem ostendimus. Sed ceteri quoque auctores, qui suas contra Spinozam in aciem eduxerunt copias, abunde hoc praestiterunt, vt vix sit, quod iam dictis addi possit. Faxit ergo Deus, vt hoc Spinozae exemplo rectora edocti humanae mentis profundam prauitatem, infernalisque genii fraudes, indies magis magisque agnoscamus, & contra maxima, quae nos circumstant pericula, a diuina gratia vnice petamus praesidium.

S. D. G.

Z 4

EXERCITATIO
HISTORICO-PHILOSOPHICA
DE
ΚΑΘΑΡΣΕΙ
PYTHAGORAEO-PLATONICA.

HABITA HALAE SAXONVM.
DIE XXV. IVNII ANNO M DCCI.

RESPONDENTE
FERDINANDO *Zollmbageni*
MITOA - CVRLANDO.



Σύνοψις.



Audantur Pythagoraei ac Platonici, quod non tantum de fine, & sed de mediis eum consequendi, secus ac vulgo fieri solet, fuerint solliciti, §. I. Finis philosophiae Pythagoraeae, §.

II. Itemque Platonicae, §. III. Medium primum iuxta utramque erat cognitio sui ipsius, §. IV. Alterum, καθάρσις seu purgatio, §. V. Huc referebant etiam introuersionem, §. VI. Itemque ἀνοδος seu ascensum, §. VII. Purgandus animus fuit a labe corporea, §. VIII. Materia namque iuxta veteres fuit principium mali, §. IX. Internae purgationis symbola apud veteres fuerunt purgationes corporis, lotiones & lustrationes, quae receptae etiam fuerunt apud Ebraeos, §. X. itemque apud gentiles, §. XI. Modus lustrationis varius fuit, §. XII. Abusus ipsis gentilibus improbatas, §. XIII. Sententia Iohannis Clerici de causa lotionum apud Ebraeos sub examen reuocatur, §. XIV. Philosophi ad internam purgationem respiciebant, simul purgationem animae post mortem admittebant, §. XV. Purgationes ac lustrationes gentilium, dederunt occasionem
 aquae

aquae lustrali in ecclesia Romanensi, §. XVI. Doctrina quoque de purgatorio ex Theologia gentitium, & philosophia Platonica fluxit, §. XVII. Ex interna & philosophica purgatione fluxit via purgatiua Mysticorum, §. XVIII. Theologia Mystica neuiquam ideo culpanda, quod Platonicas sententias aut formulas retinuerit, §. XIX. Quo iure multi Platonici impuritatis arguantur, §. XX. Quae Plato de amore docuit, intelligenda sunt de amore incorporeo, §. XXI. Platoniorum quorundam, Gnosticorum, aliorumue haereticorum veterum impuritates, (si modo vera sunt; quae de illis commemorantur) ipsi Platoni non possunt imputari, §. XXII. Amor corporeus, sed licitus, an ex Platonis mente ad animae ascensum aliquid conferat? sententia Dodwelli, §. XXIII. Quid laudandum in hac doctrina: praesertim, quod scriptura sacra poenitentiam iidem per purgationem cordis exprimat, §. XXIV. Defectus uαδάγορας Pythagoraeo-Platonicae, §. XXV. Agnouerunt tamen, hanc purgationem per preces esse obtinendam, §. XXVI. Quae de corporea labe, itemque de assimilatione Dei dicunt, caute sunt capienda, §. XXVII.

§. I.



Ocent omnes, quotquot aut olim philosophiae sacris operati sunt, aut hodiernum operantur, magna consensione, vnicuique

que mortalium bene feliciterque vitam, transacturo incumbere, ut primo de fine ultimo & extremo, ad quem omnes suas actiones cogitationesque dirigat, sollicitus fit, tum vero de mediis, quibus consequi hunc finem atque obtinere queat, cogitet. Quis vero iste finis sit, quod extremum, in eo maximopere inter se dissentiunt, qui sanctiori scripturae luce destituti, incerta rationis vestigia premunt, cupiditatesque suas, ut plerumque fieri solet, aut in vita, aut in doctrina duces atque magistras sequuntur. Id vero mirum alicui videri solet, quod, cum de fine, de summo bono, de aeterna semperque duratura felicitate, omnibus tam multus sermo sit, de mediis tamen eo perueniendi paucissimi, saltem serio, & ita, ut decet, sint solliciti. Perlustrando namque omnes philosophorum sectas, vix quidquam, quod operae pretium sit, in vlla veterum reperi, praeterquam in Pythagoraea & Platonica. Si enim dicendum, quod res est, quidquid etiam clamitent secus sentientes, in nulla philosophorum veterum secta, tot verae & genuinae sapientiae rudera in his inueniuntur. Inter reliqua autem media summum finem obtinendi, quae suis discipulis commendarunt, eminent καθαρσις seu purgatio, de qua nunc ita dispicere lubet, ut primo Pythagoraeorum & Platonicorum

hac

hac de re placita enumeremus, tum quid in iis aut laudandum, aut vituperandum sit, paucis indicemus.

§. II. Vt autem nexus doctrinae Pythagoraeae eo melius patefcat, primo de fine, quem philosophiae suae statuit Pythagoras, aliquid monere iuuat, vt eo rectius intelligatur, quo pacto ad eum quadrent media. Res autem notissima est, Pythagoram τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ seu *assimilationem Deo*, pro ultimo mortalium finem venditasse. Legat, saltē, qui hac de re dubitat, praefationem Hieroclis ad aurea carmina, in qua aperte & citra ambages hoc docet. Sic ordinem & finem philosophiae innuit his verbis: *πρῶτον ἀνθρώπων δεῖ γένεσθαι, ἔπειτα μετὰ τὸ θεόν, ὁποῦται prius fieri hominem, & post Deum*. Homines scilicet cupiditatibus suis seruiētes, iisque immerfos penitus, a brutis non differre, vti credo, arbitratus est. Hi ergo, si ad qualemcunque vitae morūque honestatem perducuntur, homines fiunt: at vt veram adipiscantur felicitatem, necesse est, vt iuxta Pythagorae disciplinam, Deo similes reddantur. Prolixius idem Hierocles z his verbis edisserit, quae breuitatis causa, latino saltem sermone exhibemus: *Hic finis est Pythagoricae disciplinae, vt toti penitus alati fiamus, vt cum mortis tempus instat, relicto in terra mortali*

cor.

corpore, eiusque natura exuta, ad coeleste iter expeditiones fiant philosophicorum certaminum abilitate: tum enim in primum statum illos restitutura iri, & Deos fore, quantum licet hominibus, vltima equidem verba, quantum licet hominibus, ex philosophia Platonica adiecta esse, docet Io. Schefferus, * cum ceteroquin absolute statuerint Pythagoraei, vltimum finem hominis esse, Deo similem fieri.

§. III. Nimirum consentiebant haecenus cum Pythagoraeis Platonici, quod vtrique docebant, vltimum hominis finem esse ὁμοίωσιν ἑ θεῶν. quod diserte testatur Stobaeus: β ζωκρατίης, πλατων, ταυτὸ τῶ πυθαγόρα τέλει ὁμοίωσιν θεῶν. Socrates & Plato, quemadmodum Pythagoras, finem dixerunt Dei similitudinem. Sed monet simul, idem Stobaeus, clarius hoc expressisse Platonem, addita restrictione: κατὰ τὸ δυνατόν. Certe hanc Platonis mentem sententiamque fuisse ex ipso Platone ostendit iam laudatus a nobis Io. Schefferus, prouocans ad dialogum eius, cui titulus: *Philebus*. Nec aliter Alcinous, c qui in compendio philosophiam Platonis exhibuit: *Quibus omnibus consentiens*

(a) de natura & constit. philos. Ital. cap. VII. pag. 43. (b) lib. II. eclog. cap. III. (c) cap. XXVII.

*tientem finem induxit Dei ipsius, quoad humanum genus assequi id potest, similem fieri. Quousque admitti haec doctrina possit, hic non est dicendi locus: explicabitur id citra ambages in sequentibus. Id saltem non possumus non hic obseruare, quod monente etiam lo. Scheffero, consentientia plane cum sententia Pythagorae atque Platonis docuerit Aristoteles. Certe Simplicius ^d ex versione Sebastiani Foscareni, mentem Stagiritae ita exprimit: *Vtrique parti philosophiae communis finis, quem homo assequi debet, ipsa extrema & perfectissima felicitas, de qua nihil excellens ac praestans alicui philosophorum, etiam eorum, qui ad extremum philosophati sunt, Aristoteles reliquit, quod illum attingere possent, immo nec hominem appellandum esse, sed Deum censuit, qui ad illam peruenisset. Refert & hunc locum Schefferus e additque alium ex Eustratio, longe adhuc iuculentiorum. Cum ergo vulgo haec Platonis ac Pythagorae sententia pro principio omnium Enthusiasmi venditetur, nullam video rationem, cur non & Aristoteles illis iungatur. Sed hoc *ως εν παρόδω*.**

§. IV. Inter media autem huncce finem consequendi Pythagorae pariter ac Platonici primum locum tribuebant *cognitioni sui ipsius. lampridem illud, & recte quidem, obseruauit*

Lucas

(d) in proleg. in categor. (e) l. 6.

Lucas Holstenius. *Sui cognitionem, inquit, Pythagorae ac Platonis schola, ut principium atque fundamentum totius philosophiae statuebat ad purgandum a vitiis animum, & virtutibus & veritatis cognitione excolendum. Suffragantur ipsi tum Pythagoraei, tum Platonici. Ex illis saltem audire iuvat Hieroclem f. latino idiomate donatum; (Graecum enim textum semper, quod semel monuisse sufficiat; breuitatis causa omittere animus est) sed & hoc etiam in eo, quod hic praecipuum continetur, scilicet ut seipsum quis noscat, quod bonas actiones omnes, omnesque contemplationes atque cognitionis rationes debet antecedere. Platonis eandem fuisse sententiam nemo dubitauerit, qui vel mediocriter in eius versatus sit philosophia. Spectat huc integer eius dialogus, qui *Alcibiades* inscribitur. Sed & in *Philebo* eum habere quae huc spectant, constat. De aliis autem philosophis, praesertim Stoicis, sui notitiam commendantibus, dictum a nobis est alibi.*

§. V. Cognitionem sui ipsius, iuxta disciplinam Pythagoraeo-Platonicam, excipiebat *καθάρσις* seu purgatio. Enimvero ita est, parum prodest aegrotis, nosse morbum, nisi rationem eum depellendi sciat. A naevio non liberatur, qui corpori eos adhaere

A a rere

rere non nescit, nisi abstergere illos, corpusque adeo purgare annitatur. Proinde Pythagoraei ac Platonici docebant, parum proficere aliquem notitia sui ipsius, nisi purgatio quoque accederet. Lucas Holstenius idem innuit, iis, quae antea dedimus verbis, ad purgandum a vitiis animum, cognitionem sui ipsius; ex Pythagoraeae ac Platonicae scholae decretis, comparatam esse docens. Hipparchi saltem adhuc addimus testimonium Io. Scheffero g quoque memoratum: *Debemus omnibus modis inueteratas maculas abluentes & repurgantes philosophicæ doctrina detergere.* Sed plura huius rei testimonia deinceps afferemus.

§. VI. Referebant porro Pythagoraei ad purgationem *ἐπισροφήν εἰς ἑαυτὸν*, idque etiam celeberrimo isto effato, *λάθε εἰώσας* innuebant. Dubito, num vt partem? an fructum? Namque hoc ni fallor voluerunt, istam *ἐπισροφήν εἰς ἑαυτὸν* tantopere commendantes, rerum extra nos positaram curam omnem deponendam esse, saltem non admittendam eo vsque, vt animae perturbari quies tranquillitasque posset. Parum utique profecit qui domum purgauit, nisi idem impediatur ne statim iterum contaminetur, Hinc Maximus de Proclo verba faciens

ciens : *usque adeo latebat, quantum ne Pythagoraei quidem, qui praeceptum hoc Autoris sui λαός βιώσας inconcussum seruant.* Refert hoc itidem Io. Schefferus h qui & aliud Philostrati i addit de Appollonio Thyanaeo, haud extremo omnino Pythagoraeorum, verba facientis.

§. VII. Tandem sequebatur ἀνοδος seu *ascensus.* Puto hac voce ipsam cum Deo coniunctionem innuere voluisse Pythagoraeos. Iamblichi hac de re haec extant verba in Protreptico : *k a quo prima plane malorum, quae nobiscum nata sunt, ab exortu nostro, quies ac immunitas erit. Deinde nobis aderit notitia felicitis & beatae vitae, quanta illa qualisque futurum sit. Cum hac ἀνίοντες ascendentes princeps & diuinum genus hominum contemplantur, & in hoc firmati propositae a Diis beatissimae vitae finem consequemur.* Plura hanc in rem ex Porphyrio l atque Stobaeo m affert saepius laudatus Schefferus, qui & sequentem Senecae huc trahit locum : *n Sursum ingentia spatia sunt in quorum possessionem animus admittitur, at ille si minimum secum ex corpore tulit, si*

A a 2 *sordidum*

(h) l. c. p. 76. (i) in vita Apollonii lib. VIII. c. 2.
 (k) apud Schef. l. c. pag. 77. [1] de non esse carn. cap. XXX. seqq. (m) in eclog. p. 144.
 (n) lib. 1. quaest. natur.

sordidum omne deterfit & expeditus levisque ac contentus modico emicuit.

§. VIII. Iam si quaeras, quomodo itaque purgatio animi iuxta Platonicos Pythagorasque facta fit, audiendus iterum est Hierocles, qui in sua ad carmen aureum commentatione purgationem dixit rem talem esse, qua mundamur ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας, καὶ τῆς θνητῆς τῆς σώματός, a sece rationi contraria mortaliſque corpore. Alibi autem eam appellat *ſaculentarium ſeu materialium deteriorationem*: τὴν τῶν ὑλικῶν μολυſμῶν ἀπόθεſιν. Vbi dum ἀπόθεſιν cogito, in memoriam mihi venit ἡ ἀπόθεſις τῆς παλαιῆς ἀνθρώπου, ab Apoſtolo Paulo inculcata *Ephes. IV. 22.* Rurſus quando purgationem illam conſtituebant in ſeparatione ἀπὸ τῆς θνητῆς τῆς σώματός, mentem ſubeunt νεκρὰ ἔργα, itidem Apoſtolo Paulo commemorata *Ebr. VI. 1.* Et ſane poſſet hinc occaſio Pythagoricam, Platonicaſque philoſophiam, cum diſciplina chriſtiana contendendi nobis enaſci, ſi immorari hiſce diutius, per inſtituti noſtri rationem, nobis liceret. Referre autem, ni fallor, huc etiam fas fuerit Platonicaſtiam Philoſophiae definitionem, qua dixit eam eſſe μελέτην θανάτου, *meditationem mortis*, de qua legi merentur quae collegit Iuſtus Lipſius. o §. IX.

(o) *manuduct. ad philoſoph. ſtoicam lib. II. c. 2.*

§. IX. Cur autem voluerint animum purgari, ἀπὸ τῆς ὑλικῆς αἰλογίας, ἰtemque ἀπὸ τῶν ὑλικῶν μολυσμῶν, is demum facile intelliget, qui secum reputauerit, ethnicos veteres, primam mali originem ignorant, vimque motuum corporeorum, quibus vix resistere anima poterat, sentientes, in eam ingressos esse sententiam, fontem prauitatis omnis atque mali in corpore atque materia quaerendum esse. Accedebat illorum sententia de origine animae, quam ex ipsa essentia diuina arcessabant, & per quam adeo non poterant non animam omnis labis immunem declarare, causam contra prauitatis & corruptionis in corpus coniiicere. Sed ex Platonicorum tamen mente animae peccarunt, priusquam in corpus immersae sunt, cum hoc demum iis poenae loco inflictum sit. Quidquid huius fit, constans erat veterum sententia, originem mali a corpore ac materia esse, animamque corpori tanquam carceri, supplicii causa mancipatam. Pythagorae hanc sententiam, quod mali omnis origo in materia sit quaerenda, diserte tribuit Iustus Lipsius p ad Eusebium prouocans, hoc Pythagorae dogma referentem : q

A a 3 alterum

[p] *physiolog. stoic. lib. I. Dissert. XIV.* (q) *de praeparat. euang. lib. XIV.*

alterum esse unionem, id est, Deum & bonum, alterum infinitum binionem, id est, Daemonem & malum, circa quem materialis multitudo est. Stoicos eidem opinioni fuisse addictos, quam Hermogenes deinceps, aliique ex veteribus ecclesiae christianae doctoribus in deuia deflectentibus, iterum produxerint in scenam, notius est quam ut prolixius a nobis demonstrari debeat, egitque hoc ex instituto B. Iacobus Thomaeus peculiari dissertatione cui titulum fecit: *Stoicis materia principium mali*, quae addita est eius commentationi, de *Exustione Mundi Stoica* r. Ad Platonem vero quod attinet, eum profus nonnulli pro auctore & inventore huius sententiae venditare ausi sunt. Sic Cleombrotus apud Plutarchum: *Platonem principio, quod qualitates quae gignuntur, ut subiectum sustinet, materiam nunc vocant, excogitato, multis magnisque philosophos liberasse difficultatibus.* Id quidem perperam, quod Platonem primum inuenti huius auctorem facit, cum hanc sententiam Platone longe antiquiorem esse constet: at illud ingenue, quod ingressos in hanc sententiam veteres philosophos innuit, ut multis magnisque se liberarent difficultatibus. Enimvero originem mali ignorantem, eiusque causam, in ipsum Deum non posse sine maxima absurdi-

(r) p. 162. seqq. (s) de des. orac. f. 414.

furditate coniici perspicientes, vix alia, quam haec, supererat via ex eiusmodi difficultatibus se expediendi. Corpus vero etiam pro carcere & eritagulo quodam animae habuisse tum Platonicos & Pythagoraeos, tum alios quoque ex veteribus philosophos, notum satis est, testimoniaque huc spectantia diligenter collegit Petrus Daniel Huetius, tum in Origenianis suis, tum etiam in quaestionibus Alnetanis. ▽

§. X. Ceterum, quemadmodum ipsa doctrina de *καθάρσει*, antiquissima fuit, ita recepta etiam antiquissimis gentibus fuere varia *καθάρσει* symbola, lotiones, Iustrationes, variaque expiationum genera. Neque gentilibus tantum, sed ipsis Ebraeis, quibus Deus ipse, inter sapientissimas, quas genti huic praescripsit leges, multas de lotionibus corporisque purgatione dedit. Eas omnes vero eo spectasse, vt internae puritatis ac sanctitatis homines commonefacerent, nemo dubitauerit, qui secum expenderit, inficetum esse, si quis dixerit, corporis potius curam Deo esse quam animae. At ea est hominum prauitas, vt salubriter instituta mox foedisime corrumpant; externisque inhaerentes, vero scopo atque vsu excidant. Sic & Ebraei in corporis lo-

tionibus fuere quam diligentissimi, impuritatis, qua animus laborabat immemores, adeo quidem, ut ipsi ad puerilem vsque superstitionem, lotionum genera, earumque necessitatem auxerint. Testatur hoc scriptura sacra referens, reprehensos fuisse a Phariseis Christi discipulos, illotis quod cibum ceperint manibus: tum subiungit: *Nam Pharisei Iudaeique omnes non nisi saepe lotis manibus epulantur, tenentes veterum institutum.* Item: *a foro non nisi loti epulantur, aliaque multa sunt, quae tenenda acceperunt, poculorum lotiones, & urceorum, & aeramentorum & lectorum.* Marc. VII. 4. Suffragantur etiam ipsorum Ebraeorum testimonia, in illorum scriptis, praesertim in Talmude passim obuia, celebraturque cumprimis hoc illorum dictum: quicumque comedit panem absque lotionem manuum, perinde est, *כאלו בא על אישה זונה* ac si rem haberet cum muliere meretrice. Sed pluribus hoc argumentum doctissimi viri Eduardus Pocockius, x Scaliger, y Drufius, z aliique profecti sunt. Res ipsa satis constat, nec dubium est stulte ac improbe egisse Iudaeos, dum de mentis puritate parum solliciti, tantum corporis purgatione lotionibusque fuere

(x) in *Porta Moysis* p. 376. (y) contra *Serrar.* cap. VII. (z) ad *Marci* cap. VII.

ere intenti. Quo nomine & grauius, ac merito quidem, a Seruatore nostro fuere reprehensi.

§. XI. Sed non minus apud Ethnicos recepta fuerunt haec interna-purgationis symbola: nulliusque fere rei in illorum sacris frequentior iniicitur mentio, quam καθαρῶν, ἀγνισμῶν, ὀσιῶν, expiationum, expiamentorum, piamentorum, piaminum, februum, lustrationum, purgationum animae, & purificationum. Multa de hisce moneri possent ritibus, sed integro doctoque opere hoc iam egit Io. Lomeirus, a in compendio autem hoc argumentum pertractat Eduardus Baro Herbertus de Cherbury & Castri. b Praecipua huc redeunt momenta: non corporum modo, sed & animae sordes per purgationes & lustrationes eiusmodi tolli credebant. Ouidius: c

Omne nefas, omnemque mali purgamine causam.

Credebant nostri tollere posse senes.

Graecia principium moris fuit: illa nocentes

Impia lustratos, ponere facta putat.

At non omnia tamen ita expiari posse delicta putabant, immo scelerum criminumque grauiorum nullam esse expiationem, saltem prudentiores contendebant, eaque

A a 5 nul

(a) de lustrationibus veterum. (b) de relig. gentil. p. m. 269. seqq. (c) fast. l. II. init.

nullo piaculari aut lustrali sacrificio ita expiari posse, vt non in illa animaduerteret Deus. Docet hoc, quem laudauimus, Eduardus Herbertus de Cherbury, qui & hoc addit, vbi criminis alicuius lustratio vel expiatio publica facta esset, nullam penes Magistratum, crimen illud puniendi, fuisse auctoritatem. Quod nos in medio relinquimus. Sicut nec illa lustratio, qua integri exercitus, aut vrbes, aut agri expiabantur, aut lustrabantur, vt mala imminetia ab iis auerterentur, ad nos nunc pertinet.

§. XII. Ad modum autem, mediaque purificationis ac lustrationis si respiciamus, ea non varia modo, sed interdum etiam inepta satis atque ridicula fuisseprehendimus. Sic fiebat, quandoque lustratio interfectis aut oblati animalibus, tauro, agno, oue, porco, cane. Mirum lustrandi exercitus ritum apud Macedonas vsurpatum, ex dissecto cane, refert Liuius. ^d Apud Aethiopes alienigenae in beatam quandam insulam mittebantur, vel deportabantur, idque pro expiatione reputabatur, teste Diodoro Siculo. ^e Sed cum primis tamen triplicem Theologia gentilis admittebat animae purificationem, obseruante Gerhardo Io. Vosio, ^f vnam

(d) *dec. IV. lib. X.* (e) *lib. I.* (f) *de idolol. gentil. lib. II. cap. XIV. circa finem.*

nam aëre, alteram aqua, tertiam igne. Testis huius rei est Seruius: *g in omnibus sacris tres sunt istae purgationes. Nam aut taeda purgantur & sulphure: aut aqua abluuntur: aut aëre ventilantur, quod erat in sacris Liberi, hoc enim est, quod dicit II. Georg:*

Tibique

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

Ad triplex hoc purgationis genus Maronem libro sexto Aeneidos his versibus respexisse idem putat Vossius:

Aliae panduntur inanes

Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto

Insectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

§. XIII. Recte autem docet Hermannus Witsius, h celeberrimus hodie Academiae Lugdunensis Theologus, sapientiores ex ipsis gentilibus tum Graecis tum Romanis, ad peccati naturam paulo accuratius attendentes, pronunciasse, nihil esse ineptius, quam casis id genus ceremoniis criminum expiandorum vim attribuere. Euripidis dictum refert Stobaeus: i

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά:

Mare cuncta hominum mala prorsus abluit:

Sed addit: *cadit hoc dictum in supersticiosos, qui mari lustrari solent.*

Apertius Ovidius: k

Ab

(g) ap. Vossium. (h) de theologia gentil. circa iustificat. t. II. miscel. exercit. XX, p. 678. (i) serm. IV. (k) l. c.

*Ab nimirum facies, qui trista crimina caedis,
Fluminea tolli posse putatis aqua.*

Iam equidem vir clarissimus porro docet, cum reliquarum purgationum vanitatem intellexissent Ethnici, itum ab illis fuisse ad sacrificia expiatoria. Quorum tamen non alia conditio apud Ethnicos fuit, quam lotionū, aut ceterarum lustrationum. Etenim ad Iudaeos quod attinet, hisce sacrificiis arcana suberat significatio, expiationis a Messia peragenda: quae relatio ad mortem Messiae cum cessabat aut negligebatur, non maior sacrificiis ad hominum crimina expianda vis inesse poterat, quam superstitiosis lotionibus & lustrationibus. Quae cum ita sint, ratio constat, cur Pythagoras, Plato, Porphyrius, & alii sapientum, sacrificiis expiatoriis exiguum oppido statuerint pretium, miratique sint, qua ratione tetrica illa consuetudo, innocentium animalium sanguine, atraque fuligine ac fumo delubra foedandi, totum pene occupauerit orbem. Porphyrius sane hoc tam ab omni sapientia alienum arbitratus est, ut integra dissertatione ostendere conatus sit, eam Deos colendi rationem esse βλαβερόν, παράνομον, & ἀνόσιον, *noxiam, illegitimam, ac profanam.* 1 Legique merentur, quae hanc in rem porro ex veteribus collegit Hermannus Witsius. m

§. XIV.

(1) *vid. Eusebii praeparat. euang. lib. IV. cap. XLV.*

(m) *l. c.*

§. XIV. Facere non possum, quin hic paucis attingam, quae de veterum purgationibus, lustrationibusque notavit Io. Clericus. n De notionibus enim obscuris verba faciens, in exemplum proponit voces, *mundities, immundities, purus, impurus, pollui, purgari, &c.* Cum de sordibus corporis aut vitiis animi istae adhibentur, nemini, quid sibi velint, ignotum esse posse, libens concedit. At veteres passim neq; corporis proprie, neq; animi habita ratione, impurum aut pollutum in sacris dixisse eum, quem sacra attrahere aut iis adesse nefas erat, eo, quod imparatus haberetur. Arbitratos etiam fuisse, si sacra faceret hoc in statu, ea Numini displicere. Sic manibus illotis, quamvis ceteroquin, nullae fordes iis adhaerent, immolare victimam non licebat, immo ne quidem templa ingredi: immundi similiter erant, qui cadauer attigerant, aut etiam propius ei adfuerant, qui puerperam inuiserant, & quae alia erant eiusdem commatis. Concludit ex hisce, cum nec corporis, nec animi impuritatem hisce formulis denotare poterint, eos, qui istas adhibuerunt, ignorasse prorsus quid sibi vellent. Atque hinc porro dicit mirandum non esse, quod tam multos ludicros ritus ad purgandos aut expiandos

(n) *art. crit. part. II. sect. II. cap. VII. pag. m. 648. seqq.*

andos pollutos adhibuerint. Namque non aqua modo, sed animalibus etiam, plantis, fossilibus, purgationes lustrationesque factas constat. *Quid ergo, inquit, significabatur voce purgare, aut lustrare? Ritum celebrare, cuius cur hoc nomen esset impositum, nesciebant.* Ego haec hactenus equidem consentio, plerosque, nec ad rem ipsam, nec ad verba attendentes, hisce vocibus olim ita usus esse, ut ipsi, quid iis sibi vellent, nescirent. At, an ita obscure sint hae locutiones, ut nullas claras notiones admittant, habuerintque, saltem apud accuratiores rerum verborumque factorum arbitros, id vero vix mihi persuadere possum. Immundities enim corporis praecipue hisce vocibus ac formulis designabatur: hanc procul remouere debebant, qui sacris operari cupiebant, ut inde omnibus documentum praeberetur, casta puraque mente Deum colendum esse. Sic manibus illotis sacra tractare nefas erat. Manus enim, variarum rerum ministerio destinatae, quam facillime contrahere sordes poterant; adeoque lotionem earum semper opus erat, ut nunquam non hoc reuocaretur in memoriam populo, non posse aliquem satis de animi sordibus purgandis sollicitum esse, cum insciis, etiam haud raro & velut inuitis adhaerescant. Quare cum idem vir doctissimus ex hisce omnibus tandem inferat,

fert, Deum itidem in gente Ebraea de pollutionibus & lustrationibus leges ferendo, neutiquam inanes per se ritus primum instituisse, sed cum populus Ebraeus esset, illis dudum adfuetus, Deum leges suas eius ingenio attemperasse, capiendum hoc est cum grano quodam salis. Certe Deum, ea qua est, benignitate, in quibusdam ad ingenium populi Ebraei se attemperasse, non abnuo: nec tamen hosce similesue ritus inanes dixerim, cum simul ad populum de puritate mentis semper retinenda, commonefaciendum, eos comparatos fuisse, nemo temere dubitauerit.

§. XV. Ceterum ab externa ista, & ex parte superstitiosa *καθάρσει* multum distincta fuit philosophica illa Pythagorae atque Platonis. Ad animi enim, non autem corporis spectabat puritatem, eamque non lotionibus, sed affectuum prauarumque cupiditatum omnium oppressione, & eradicatione, obtinendam esse contendebant. Et huc philosophiam comparatam esse docebant, quae ideo recte meditatio mortis definiebarur, ad affectus prauasque pronensiones enecandas atque tollendas, vni- ce spectans. Interim externa purgationis non respuebant symbola: post mortem etiam, si homo, dum viuebat, se purgare neglexisset, aliud animae subeundum esse

se

se purgationis genus, autumabant, eoque cum primis μετεμψύχωσιν referebant Pythagoraei, qua de re multa dici possent, si quos nobis ipsi constituimus limites, migrare vellemus.

§. XVI. Vtriusque tamen καθάρσεως & internae seu philosophicae, & externae seu vulgaris, rudera quaedam atque vestigia in Ecclesia Christiana remanserunt, & non innoti in ea. quam apud Ethnicos, superstitioni dederunt occasionem. Et ut ab externa seu vulgari incipiamus, quis nescit aquam Iustalem Pontificiorum? quam quod a Iudaeis alii, alii ab Ethnicis deriuent, mirum non est, cum tum apud hos, tum apud illos, lotiones Iustrationesque in usu fuisse, iam supra a nobis obseruatum sit. A Iudaeis eam arcescit Polydorus Vergilius, o qui tamen nec gentilium ritus praetermittit. Diserte hoc ex ipsis Romanensibus profitetur Durantus: q *Hunc quodammodo ritum & gentiles frequentarunt*: cui accedit Caesar Baronius r qui non tantum, dum Romanensem religionem cum gentilismo contendit, inter reliqua capita in quibus inter

(o) de inuent. rer. lib. V. cap. VIII. (p) lib. VI. cap. I.

(q) lib. I. de rit. eccles. cap. XXI. (r) ad a. LVII.

§. Job. & alibi. add. Casalius de ritib. veter. Christ. cap. I. XXXVI. & alibi.

inter se conueniant, aquam etiam lustralem commemorat, sed laudat etiam hoc institutum, ac si per illud ritus laudabiles, semota superstitione, ad Christianos translati sint: *sanctificatas hoc modo superstitiones paganorum a Christianis esse, aegreque fieri Diabolo, putans, quando ei eripiantur, quae ab ipso inuenta sunt, in suum honorem & gloriam, traducanturque ad honorem & gloriam Dei.* Quae tam frigida sunt, vt ne refutatione quidem opus sit. Ego ita existimo, non malo quidem consilio hunc ritum, aqua lustrali homines conspergendi introductum in ecclesiam Christianam fuisse, quemadmodum & per se nihil prauum inuoluit, modo eo saltem comparatus sit, vt homines puritatis internae per eum admoneantur. Idque eos, qui illum introduxerunt, quicumque demum ii sint, spectasse arbitror. At postquam successu temporis tanta efficacia, per summam & plusquam puerilem credulitatem, aquae lustrali tribui coepit, vt non modo Daemones per eam fugari, sed peccata quoque tolli sibi Romanenses persuaserint, idque saltem apud eos remanserit dubium, num tantum venialia, an vero etiam mortalia peccata per eam expientur? dubium merito ancepsque aliquis haeret, maiore Romanensium hac in re superstitio sit, an Ethnicorum fuit. Hoc cine autem est sanctificare gentilium superstitiones? immo ita augentur, non sancti-

ficantur. Sed conferunt hoc negotium ex Theologis Io. Gerhardus, & Richardus Montacutius, & aliique. Nos Deo merito gratias agimus, quod ab hacce liberati simus superstitione, simulque optamus, vt tandem ab aliis quoque Papismi reliquiis, ecclesia nostra penitus repurgetur.

§. XVII. Sic & in doctrina de purgatorio, quam hodiernum ecclesia Romanensis retinet, veteris Theologiae gentilis conspicui vestigia, positum est extra controuersiam. Nisi & hic Ebraeorum in subsidium vocare sententiam velis, quippe a quibus iridem purgationem animæ post hanc vitam credi, ex instituto & peculiari libello euicit Iosephus Voisinius. Certe ad veteres ecclesiæ christianæ Doctores, a quibus hæc opinio propagata fuit ad ecclesiam Romanensem, quod attinet, multos ex illis purgationem quandam post mortem homini subeundam esse, priusquam æternæ compos fieret beatitatis, credidisse, manifestum est. Platoniamque huic opinioni philosophiam dedisse occasionem nemo dubitauerit, qui secum expenderit, quantum Patres huic philosophiæ statuerint pretium. *Omnes, inquit Ambrosius, oportet transire per flammam, siue ille Iobannes*

(s) *conf. cathol. pag. m. 768, seqq.* (t) *Orig. eccles. part. II. p. 79.* (v) *serm. XX, super Ps. CXVIII.*

Ioannes euangelista, *sive ille Petrus*: & alibi: x igne purgabuntur filii *Leui*, igne *Ezechiel*, *Daniel*. Sic & *Hilarius*: y *Emendatio puritatis etiam post Baptisti aquas reposita, qua nos sancti spiritus sanctificet aduentu, iudicii igne nos decoquat*. Quibus plurima alia veterum adiicere testimonia possem, si hoc nunc agerem. Loqui autem hosce ecclesiae Doctores de igne iudicii extremi, quo omnium hominum corpora purganda & lustranda putauerint, contendit cum aliis *Petrus Molinaeus*; z non male quidem. Sufficit enim vero ad nostrum quod nunc attinet institutum, ecclesiae veteris doctores, magno consensu agnouisse, post mortem etiam purgationem aliquam instare homini. An vero non etiam nonnulli ex veteribus praeter ignem extremi iudicii, alium, quo purgantur non corpora sed animae, admiserint, alia est quaestio, de qua hic agere instituti ratio non permittit. Quod si vel maxime affirmetur, neutiquam ideo superstitiosum ecclesiae Romanensis purgatorium stabilitur. Quicquid huius sit, ex Theologia gentili, imo ipsa philosophia Platonica, hocce dogma fluxisse, manifestum est ex iis, quae supra diximus. Sed comprobari haec insuper

B b 2 ex

(x) *serm. III. super Psal. XXXVI.* (y) *super Psal. CXVIII.* (z) *in nouit. papatus, lib. VII. art. III. p. m. 618.*

ex iis possunt, quæ Eusebius, ex Platonis libro de anima, de statu animarum post mortem, iuxta mentem huius philosophi, commemorat. Nonnullos scilicet homines propter peccatorum magnitudinem ἀνάτως ἔχειν insanabiles esse, illosque coniici in tartarum, vnde nunquam possint euadere. Alios vero magna quidem, sed ἰάσιμα tamen seu *medicabilia* peccata perpetrasse, vt si ex iracundia caedem commiserint, reliquam vero vitam μετάνειον in poenitentia exegisse, eosque pro ratione delicti in diuersa ignis flumina amburendos coniici, tandemque post annum & amplius, appropinquare paludi Acherusiadi, ibique eos, quos laeferint, inclamare, nec dimitti prius, quam hanc facultatem inde exeundi ab iisdem impetrent. Qui vero, inquit, excellenter sancte vixerunt, supra ascendunt in purissimas habitationes, vbi sine labore viuunt in futurum tempus. Qui autem mediocriter vixerunt, illi per Acherontem in paludem igni ardentem deuehuntur, ibique peccatorum poenas exsoluunt, & καθαρῶμενοι hoc est purgati, lustrati seu expiati, ἀπολύονται ab-
soluuntur uuntur seu redimuntur si quid deliquerunt.

Hæc ex Platone Eusebius, qui & alibi adhuc uolentiora ex eodem de purgatione animæ post mortem refert, ex quo etiam illa
 repe-

(a) præparat. euangel. l. I. c. vii.

repetit B. Martinus Chemnitius, & qui totum hoc argumentum erudite pertractavit, & pluribus etiam documentis comprobavit, tandemque concludit: *tota igitur structura pontificii purgatorii extat in Platone, annis ante Christum natum quadringentis, ex philosophicis & poetiis fundamentis delineata.* Existimauerim tamen hocce dogma multis superstitionibus a pontificiis fuisse auctum, præterquam, quod insuper ad opes clericorum augendas, callide hoc ab illis fuerit accommodatum. Sed hoc nunc non agimus.

§. XVIII. Luculentiora adhuc internæ seu philosophicæ istius purgationis vestigia occurrunt in Theologia, quam vocant, Mystica. Hanc enim Platonicæ philosophiæ originem debere, communis & recepta fere hodie est sententia. Constat vero tribus hanc Theologiam circumscribi solere viis, purgatiua, Illuminatiua, vnituiua. Hugo de Palma: *cæxinde habetur quod triplex est via ad Deum, scilicet Purgatiua, qua mens ad discendam veram sapientiam disponitur: secunda dicitur Illuminatiua, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur: tertia vero Vnituiua, qua mens supra omnem intellectum, rationem & intelligentiam a solo Deo sursum acta dirigitur. De hac ergo tripliei via, in quibus tota consistit Mystica Theologia,*

B b 3 . est

(b) in exam. concil. Trident. pag. 529. (c) Theolog. Mystic. p. 5.

est huius opusculi intentio. Similia habet Thomas A Iesu : d *Purgatiuae viae est purgare & perficere sensus : Illuminatiuae, rationem : Vnitiua, spiritum seu mentem, qua est superior anima pars &c.* Quae loca & alia huc spectantia etiam adduxit Ehregott Daniel Colbergius e sed iam pridem hoc erudite pertractauit B. Iac. Thomafius f qui inter alia & Sandaei g addit testimonium, quod *de tribus istis viis omnes fere agant spiritualium rerum magistri.* Nec discedit ab hac sententia qui nostra aetate noua methodo theologiam Mysticam complexus est, celeberrimus Cameracensium Archiepiscopus Franciscus de Salignac Fenelon, sed eandem potius suo calculo comprobatur, triplicemque iustorum statum, triplici ista via designari contendit. h Quod vero Platonici similia fere docuerit, haud difficulter comprobari potest, & partim etiam ex dictis iam constat. Nimirum per purificationem, & ἐπιτροφήν εἰς ἑαυτὸν eo hominem perducere docebant, ut Deo similis fieret. Purgatio ergo *viae purgatiuae*, & re ipsa & nomine quoque, conuersio in se ipsum, viae

(d) *meth. diuin. Orat. lib. I. cap. I.* (e) *in Christianismo hermetico-Platonico. part. I. cap. I. pag. 63.*

(f) *in schediasmate histor. &c. pag. 57.* (g) *clau. Theolog. Mystic. pag. 380.* (h) *explicat. des maximes des saints artic. II. pag. m. 16.*

viz *illuminatiua*, & denique *assimilatio Dei* viz *vnitiua* respondet. Is quem antea laudauit Iacobus Thomasius, i huc etiam refert quatuor virtutum gradus, de quibus in schola Platonica multus erat sermo. Alias enim *politicas* faciebant, alias *purgatiuas*, alias *intellectuales*, alias denique *exemplares*. Politicæ externis saltem constabant officiis, quæ in improbos etiam & cupiditatibus suis seruietes cadunt, interim ad societatis custodiam, vitamque ciuilem apprime sunt necessariae. Reliquæ autem illorum demum propriae erant, qui sublimiori quodam instinctu concitati, non vitæ huius cito transituræ, sed æternæ, semperque duraturæ ambitu, felicitatem veram circumscribēbant, Horū vt certi ordines sunt certæq; classes, quibus, vt antea dictum, ttes istæ Mysticorum viz respondent, ita purgatoriz virtutes in iis reperiuntur, qui constituti sunt in via purgatiua, intellectuales in iis, qui in via illuminatiua, & exemplares denique in illis, qui in via vnitiua. Sed rem agerem prorsus superuacaneam, si pluribus hoc comprobare vellem, cum & res ipsa doceat, esse hic quandam inter Platoniorum & Mysticorum doctrinam conuenientiam, nec ipsi hoc negent Mystici, aduersarii quoque illorum hanc gloriã illis adeo non inuideant, ut toto die hoc eis exprobrare non desinant.

§. XIX. Vergatne aurem hoc in Mysticae Theologiae dedecus, id quidem est, de quo non prorsus ab instituto nostro alienum fuerit, instituire quaestionem. Qua de re ita sentio, vt lubens profitear, me satis mirari non posse, quod nonnulli homines ex eo inuidiam creare Mysticis annitantur, quod consentientia quaedam doceant cum philosophia Platonica aut Pythagoraea. Et enim si quis scholasticam theologiam in Protestantium academiis tantum non triumphantem, reiicere ex hoc capite auderet, quod ea consentientia quaedam cum philosophia Aristotelis doceat, is fibilo ab omnibus atque cachinno exciperetur. Iam scire vellem rationem, cur Mysticis fraudi esse debeat, quod in quibusdam Platonem sequantur, cum Scholastici contra gloriae sibi ducant sequi Aristotelem, nec rerum diuinarum intelligentia, prout ea in hominem Ethnicum cadere potuit, nec morum probitate, nec vllis omnino virtutibus, a iisque dotibus, cum Platone comparandum? ed dimittamus Aristotelem: si Mysticis iure hoc exprobrari debet, quod in quibusdam cum Platone aut loquantur aut sentiant, 1) probandum quod sententia ista, aut loquendi formula ex Platonis philosophia sit hausta, 2) quod eadem, prout a Platonice adhibetur, sit erronea, 3) quod in eo

sen.

ſenſu, quo erronea dicitur aut reuera eſt, te-
 iam adhibeatur a Myſticis. Ego neutiquam o-
 mnium Myſticorum in me ſuſcipio patrocini-
 um: ſcio enim non idem de omnibus ferendum
 eſſe iudicium: ſcio etiam, quid in Theologia,
 quae vocatur Myſtica, aut laudandum aut
 deſiderandum ſit: hoc ſaltem aſſero in prae-
 ſenti, maxime falli eos, qui exinde inui-
 diam illi creare volunt, quod Platonica,
 quaedam dogmata, aut loquendi formulae,
 in ea occurrant. Sic quae de purgatione
 Platonici docent, ſi recte intelligantur,
 neutiquam improbanda eſſe, adeoque recte
 a Myſticis Theologis retineri, deinceps de-
 monſtrabitur.

§. XX. Miſis tantisper hiſce, id potius
 inſiſtione dignum putamus, qui factum,
 ut cum Pythagoraei atque Platonici καθα-
 ρων atque animi corporisque puritatem tan-
 to opere commendarint, plurimi tamen extite-
 rint tum inter philoſophos, tum inter hae-
 reticos, ut vulgo vocantur, veteres, qui cum
 Platonici videtur vellent, foedisſimis tamen ſe
 emanciparunt libidinibus, imo hiſce ut eo ſe-
 curius litarent, Platonice obtentui ſum-
 pſerunt philoſophiam. Apuleius, haud in-
 ſimum inter philoſophos Platonicos locum
 fortitus, amorem corporeum palam extolle-
 re laudibus ſibi religioni non duxit, & ſua
 poëmata veterum defendit exemplis, Ana-
 creontis, Sapphonis, Aeditii, Portii, Ca-
 tullii,

tulli, Tibulli, Propertii, Virgilio, grauis-
 morumque etiam philosophorum Solonis,
 Diogenis Cynici, Zenonis Stoici, & ipsius
 denique Platonis. Imo idem ipse versus
 Platonis obfoenos pro sanctis venditare,
 non erubescit, vti notat Henricus Dodwel-
 lus, k vir antiquitatis ecclesiasticae peritis-
 simus. Si Gnosticos innuit Iudas Apосто-
 lus, dum quosdam describit, tanquam gra-
 tiam Dei εις ασέλγειαν μετατιθέντας, v. 4.
 εκπορνεύσαντας, v. 7. σάεκα μιαινοντας v. 8.
 επαφείζοντας εαυτων αισχυνας v. 13. impuris-
 simos foedisimosque mortalium eos esse,
 oportuit. Certe si Epiphanio fides habenda,
 vix vlla tam nefanda cogitari impuritas
 potest, qua se non commaculauerint Gnosti-
 ci. Rursus ex philosophia Platonica ortas
 esse horum hominum haereses communis est
 sententia, plurimique recentiorum, saltem
 ad inuidiam illis, quos itidem pro Platonice
 habent, confidam, autumarunt. De Car-
 pocratianis nunc nihil dicam, aut Montani-
 stis, quorum quemadmodum eiusmodi fue-
 runt mores, vt ortum fabulae, qua Catholi-
 corum etiam synaxes oedipodaeorum ince-
 stuum nomine male audierint, dedisse cre-
 dantur: ita pro Platonice philosophiae a-
 lumnis hosce similesque venditare, multi
 hodie non erubescunt.

§. XXI.

(k) in dissert. Cyprian. III. p. m. 10.

§. XXI. Hi ergo, si Platonica philosophia ad suas impuritates abusi sunt, quidnam demum in ista philosophia, quæ nihil magis quam puritatem inculcat, hisce hominibus ad eiusmodi quid audendum, occasionem, suppeditare potuerit, id vero est, quod dubium nobis videtur. Henricus Dodwellus¹ non sine magna verosimilitudinis specie asserit, doctrinam Platonis de amore ab hisce hominibus non rite intellectam, argumentum & *πρόφασις* prauas suas cupiditates explendi, illis præbuisse. Multus utique Platoni pariter ac Socrati passim de amore sermo est. Quem ut recte de diuiniore, animarum scilicet, non corporum amore viri eruditi interpretantur, ita argumenta, quibus idem Henricus Dodwellus euincere cupit, amorem corporeum non prorsus exclusisse, Platonem, nullius plane sunt momenti. Sic potuerunt & Socratis & Platonis discipuli a corporis commendari formositate, ut ne minima tamen suspicio, hisce philosophis amorem corporeum in pretio esse, subsit. Imo ut Plato, ita multi qui pro Platonice habentur, omnem amorem corporeum, si non ut illicitum, saltem ut coniunctum cum manifestissimis humane imbecillitatis documentis repræsentarunt. Recte itaque in sequentibus subiungit idem Henricus Dodwellus :

Foc.

(1) *l. c.*

Foedum tamen hunc corporum amorem ita veri Severatis Platonisque affectae detestati sunt, ut essent etiam ex aduerso inter haereticos alii, qui nuptias omnes vel eo ipso nomine damnarent, propter corporis hoc commercium. Nec Tatianum modo eiusque Enkratitas primum sub secundi seculi medium hoc docuisse, obseruat, sed alios etiam Apostolis coaeuos, quos hoc nomine damnauit Apostolus *i. Tim. IV. 3.* Saturninum quoque atque Marcionem, vtrumque Tatiano antiquiorem, huius sententiae propugnatores designari ab Irenaeo. m

§. XXII. Quod ergo obiectum fuit de Apuleio, atque Gnosticis hinc sua sponte corruit. Potuerunt namque sectatores Platonis male intellecta magistri mente, in diuersas ab eo discedere opiniones, quas qui statim ipsi Platoni imputauerit, maximam ei fecerit iniuriam. Epicuro fere idem contigisse, multi eruditi viri autumant, vt de corporis voluptate intelligerent eius discipuli, quod ipse de mentis voluptate asseruerat. Sed ad Gnosticos vt veniamus, primo probandum adhuc est, fouisse eos tam impia dogmata, tamque impuris eos praeditos fuisse moribus, ac vulgo perhibentur. Ad locum enim, quem ex Iudae Epistola attulimus quod attinet, nondum euictum plane est, io eo designari Gnosticos, licet generatim haere-

(m) *aduers. haeros, l. XXX. XXXI.*

haereticos quosdam ibi innui, positum sit extra dubium. Epiphanii non magna amplius hodie est autoritas. Speciatim autem de Gnosticis falsa eum retulisse, iam haud contemnendis rationibus euicerunt Desiderius Heraldus ⁿ atque B. Christianus Kortholtus. ^o Esto autem, fuerint tales, quales vulgo perhibentur, nondum tamen euictum est eos fuisse Platonicos: aut si alia, forte doctrinae suae capita ex Platone hauserunt (quod a quibusdam equidem asseritur, sed satis frigide probatur) hanc etiam impuritatis legem ab eodem didicisse magistro. Etenim quod nonnulli asserunt: *Fundamentum peruersitatis illorum fuisse doctrinam de lumine diuino vel Christo per omnes creaturas diffuso, inque corporibus singulis latente, quem eo modo (res foetidissimas bibendo & comedendo) colligi ac cum principio suo reduniri opinati sint, cum iterum tantum auctoritate Epiphanii nitatur, rursus apud accuratiores rerum existimatores vix locum inueniet.*

§. XXIII. Ceterum cum nonnulli Pseudo-Platonici voluptatibus suis habenas omnes laxauerint: alii contra, & quidem ex veris ac genuinis Platonice, nullum plane amorem corporeum admittere voluerint, idem quem iam saepe allegauimus, Henricus Dodwel.

(n) in notis ad Minus. Felic. p. 76. (o) de calumniis in veter. Christ. §. XXXIV.

wellus porro obseruat, nonnullos ex iis mediam quandam tenuisse viam, & censuisse, aliquem amorem corporeum, damnandum esse, aliquem contra in ipso etiam ascensionis animae negotio, esse probandum. Cum vero alicui merito mirum videatur, quo pacto hoc cum reliquis Platonis decretis consistere possit, Dodwellus, ex hypothefibus huius philosophiae rem omnem ita exponit: 1.) obseruat, *omnem hanc animarum in corpora inclusionem, pennarum esse metaphora a Platonice obumbratam, lapsum eius πτερόππυσιν haberi, siue alarum defluxum, reditum πτεροφύγσιν, siue alarum itidem nouarum incrementum. Alarum autem nomine nihil aliud intelligebant, quam motum animae uehementem, quo ut corpora ita animae ad superiora raperentur. Cum enim animam natura diuinam crederent, locumque superiorem ei ex natura sua conuenire: sequebatur omnino cum illa uehementius mota esset, redire sibi vim suam entheam atque natiuam, qua cum antea viribus destituta conaretur equidem nec posset, iam facta virium nouarum accessione uigentior, posset etiam ad diuina contendere. Haecenus bene. Namque summa huc redit, per motum uehementiorem animae iuxta Platonice interdum vim entheam animae quodammodo restitui. Ad quod porro addit, hoc non adeo expeditum alicui uideri posset: 2.) inquit animaduertendum ex poetarum mythologiis,*

ex

ex quibus omnem suam philosophiam eudisse diximus Platonicos, amorem esse factum alatum, quod etiam Simonides suo in amorem hymno alatum symbolo ad oculos repraesentauit. Pluribus hoc profequitur: Sed eo tamen cuncta redeunt, Platonem cum poetis amorem repraesentasse alatum. Hinc ergo infert: Ex natura igitur sua Amorem animarum reditui multum contulisse necesse erat. Scilicet, quia Plato ei aliam, hoc est eiusmodi vires tribuebat, quarum acquirendae erant animae, ut ascendere ad Deum posset. Sed ut paulo luculentius efficaciam amoris corporei in hocce munere ex mente Platonis designet, 3) addit, hos animae diuiniore motus diuiniore pendere tamen a corporis temperie, ita ut non pro arbitrio suo, sed vero pro organi dispositione, ita possit effici. Id quod exemplo prophetiae declarat, quae, quod conceditur ad omnibus, certam corporis requirat dispositionem. Pergit: ingentes etiam exigebat impetus Enthusiasmus ille seu furor amatorius, qui non possent nisi in corpore recte disposito excitari. Hinc tandem 4) concludit: quaecunque ad illam corporis amatorii temperiem necessaria erant, ea ad Enthusiasmum quoque amatorium iuxta Platoniorum sententiam vtilia fuisse. Haec Bddwellus: quae rectene, an secus ab eo dicta sint, nunc inquirere non lubet. Duo saltem obseruamus, 1) nusquam diserte eiusmodi quid Platonem de amoris corporei vtilitate ad animae vires restaurandas de-

docuisse: sed per multas consequentiarum, ambages, hoc demum ex eius philosophia elici. Iam vero per consequentias multa philosophis imputari constat, quae nunquam illis in mentem veniunt; 2) ipsum Auctorem non de quouis amore corporeo, multo minus de foedo, crasso & illicito, sed de licito, haec, quae dixit intelligere: ipse namque subiungit, *foedam corporum coniunctionem animae noxiam putasse Platonicos: & iterum, censuisse illos entusiasmo hocce philosophice utendum, excitatum ita rebus corporeis, alio tamen & ad incorporea referendum esse.* Quae ab omni libidinis & impuritatis suspicione Platonicos liberant, demonstrantque, nihil eos, quod *καθαρότερον* repugnaret, docuisse.

§. XXIV. Nihil ergo amplius superest, quam ut paucis, quid in hac purgatione Pythagoraeo - Platonica laudandum, quidue forte culpandum sit, designemus. Res ipsa, quod animae purgatione opus sit, ut homo cum Deo vniri atque ita verae felicitatis compos reddi queat, citra controuersiam & cum Scriptura sacra, & cum ratione etiam conuenit. Quid multis? nonne idem totidem fere verbis dixit Seruator: *Beati & καθαροὶ τῆ καρδία quoniam ipsi Deum videbunt, Matt. V. 8. Finis, visio Dei, & medium puritas cordis* itidem ibidem coniunguntur. Nihil apertius dici poterat. Respondet, ut pau-

paucis, rem omnem eloquar, haec καθαρώσεως
poenitentiae verae, quam toties Christus in-
 culcat, & sine qua ingressus ad coeleste
 regnum nemini conceditur. Quemadmo-
 dum vero duplex est poenitentia, alia illo-
 rum qui primum mentem a vitiis purgare
 incipiunt, & a morte ad vitam a Deo per-
 ducuntur, alia autem illorum qui cum Deo
 iam coniuncti sunt, sed adhaerentes sibi
 maculas atque labes eluere indices magis
 magisque annuntur: ita purgationis voce
 vtraque subinde denotatur. De priori ca-
 pio illud Esaiæ: רחצו הזכו *lavamini, mundi*
estote: cap. 1. 16. De posteriori illud Apostoli:
Haec igitur habentes promissa, carissimi, purge-
mus nos ipsos ab omni & corporis & animi labe,
sanctimonia persurgentes cum Dei metu. 2. Cor.
VII. 1. & plura alia diuinarum litterarum
 oracula. Hinc porro obseruo, cum Mystici
 Theologi purgatiuam inculcant viam, de
 posteriori praecipue eos esse intelligendos,
 quippe qui de hominibus iam conuersis &
 per primam purgationem emendatis lo-
 quuntur, hisque adeo ad maiorem per-
 fectionem consequendam, viam monstrare,
 atque praere exemplum volunt.

§. XXV. Pythagoraei equidem atque Pla-
 tonici videntur itidem de iis loqui, qui ad
 maiorem adspirant perfectionem, & ultra
 vulgus enituntur. At enimvero hic maxi-

mus purgationis huius philosophicae sese exerit defectus, qui in eo consistit 1) quod ne maculas quidem atque impuritates animae sola ratio satis agnoscat, nedum eo, quo par est dolore, homo solis naturae viribus instructus, ob haec vitia, perfundatur: quae res longe aliter se apud veros christianos habet: deinde 2) quod veram rationem mediumque purgationis, fidem, scilicet in Christum huiusque meritum, quo solo nostra expiantur crimina, & animae purgantur prorsus ignorauerint. Hinc Christo tum in regeneratione, tum renouatione tanquam diuinum opus adscribitur, quod nos a peccatis vitiisque nostris purget. *Sanguis Christi, καὶ ἁγίῳ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ παντὸς ἁμαρτίας. 1. Ioh. I. 7. & vers. 9. fidelis est Deus, ut remittat nobis peccata, & ἁγίῳ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ παντὸς ἁμαρτίας, add. Ezech. XXXVI. 25. Hebr. IX. 13. 14. X. 22.* Et huc etiam spectarunt lotiones atque lustrationes, a Deo Ebrais praescriptae.

§. XXVI. Neque tamen dissimulandum, altius hic assurgere Pythagoraeos atque Platonicos, quam ut in rationem hoc cadere videatur. Docent namque & ipsi, purgationem non posse vel institui vel perfici, ut decet, sola cura studioque humano, verum opus esse subsidiis diuinis bonorumque geniorum, qui propterea a Deo sollicitis

tis ac feriis precibus sint exigendi. Huc trahunt verba carminis aurei, quod vulgo Pythagorae ipsi tribuitur:

Ζεῦ πάτερ ἢ πολλῶν τε κακῶν πάυσμας ἀ-
παντα,

ἢ πᾶσιν δείξαις εἰς τῷ δαίμονι χεῖνται,
Ἄλλὰ σὺ θάρσει ἐπεὶ θεῖόν ἐστι βροτοῖσιν

*Jupiter Alme, malis iubeas vel solui: r omnes,
Omnibus utantur vel quonam daemone mon-
stra.*

At confide, hominum diuinæ est stirpis origo.

Iamblichus nimirum haec verba ita exponit: p *In his versibus una omnino continetur, eaque optima ad diuinam felicitatem adhortatio, ea nempe, quae fit admistis precibus & inuocationibus tum ceterorum deorum, tum eorum principis, hoc est Iouis. Altera ostendit datum nobis & quasi sortito collatum gentium, per quem ad Deos reducimur. Alioquin namque fieri nequit, ut quis ad diuinam substantiam, quae reuera talis est, peruenerit, nisi tali genio, velut duce quopiam, utatur, aut purgare se vllatenus, ac sicut decet, qui Deos amant, nisi adminiculo alicuius ex daemonibus. Superstitione gentili, quae huic sermone admixta est, dempta, nihil potuisset dici rectius. A Deo enim ardentissimis precibus impetrandam esse veram cordis puritatem, vbique scriptura sacra loquitur. Cor mundum seu purum crea in me Domine, inquit David, Psal.*

LI, 12. *ab occultis meis munda seu purga me, Pſal. XIX. 13.* Et quae alia ſunt, quae paſſim occurrunt, eiſdem ſenſus, effata diuina. Irrita nihilofecius atque vana fuit ſpes gentium, qui fide in Chriſtum, veraque redemptoris cognitione deſtituti, praecipue ita caruerunt medio, corda purgandi, fide ſcilicet in Chriſtum. Viderunt itaque ex parte veritatem ſed totam non aſſecuti ſunt, interim de neceſſitate purgationis teſtimonium ferentes, multos Chriſtianorum modernorum in ruborem vertent, qui hanc agnoſcere nolunt.

§. XXVII. Nec illud tamen praetermittendum, dum ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας purgandam animam voluerunt, & hoc quoque caute eſſe capiendum, ne quis forte in eam ingrediatur ſententiam, animam per ſe non eſſe corruptam, ſed omnem impuritatem a corpore trahere. Licet enim ratio hac de re nihil cognoſcat, litterae tamen ſacrae contrarium docent. Idemque & de fine huius καθάρσεως ſentiendum. Qui ſi ita capiatur, ac ſi docuerint noſtri philoſophi, mutandam aliquando in eſſentiam diuinam animam noſtram eſſe, error eſt, qui fieri nequit: ſi hoc ſaltem voluerunt, quod valde verofimile eſt, ſimilem fieri deberet hominem Deo, & quidem, vt diſerte Plato adiecit, κατὰ τὸ δυνατόν, non video

deo quid hic reprehendi possit. Defecata enim idem docet ratio: cum summa hominis felicitas consistat in coniunctione intima cum Deo: quae reciprocum & summum vtriusque & Dei & hominis amorem infert. Ergo si Deus hominem amat, non potest non eum felicem reddere; feliciorum autem reddere non potest, quam si eum sibi similem faciat, ubi ex parte hominis omnino adiiciendum est illud Platonis: *κατὰ τὸ δυνάτον*. Quae scriptura sacra de renouatione ad imaginem Dei hic docet, notiora sunt, quam vt a nobis repeti debeant.

S. D. G.



Cc 3

EXERCITATIO
HISTORICO-MORALIS
DE
ΑΣΚΗΣΕΙ ΦΙΛΟΣΟΦΙΚΑ.

HABITA HALAE SAXONVM
DIE XXVII. IVNII ANNO M DCCI.

RESPONDENTE
IO. FRIDERICO *Reichenbach*
HETSTADIENSI SAXONE.



Σύνοψις.

Quo purior philosophia est, eo magis ad praxim potius, quam ad contemplationem est comparata. §. I. ἀσκησις, quid nobis denotet, §. II. Omnia ἀσκησιως genera ad tria reuocari possunt capita, cum aut voluptati, aut ambitioni, aut auaritiæ per eam obuiam ire voluerint veteres. §. III. Voluptati quidem, dum se abstinerunt a cibis delicatioribus, præsertim ab esu carniùm, §. IV. quæ antiquissima fuit ἀσκησις, §. V. itemque a vino, §. VI. Non Pythagoraci solum, sed Epicurus quoque aliique philosophi aquam biberunt. §. VII. De Gymnosophistarum, Cynicorum, aliorumque ad voluptatem debellandam inuentis. §. VIII. Somno etiam certos posuere limites veteres, §. IX. Ambitioni quæenam opposita fuerint. Contemptus & exagitationes Pythagoræorum tempore probationis, §. X. huc vestitus sordidus & squalidus philosophorum, etiam spectauit, §. XI. Cur barbam aluerint philosophi, §. XII. Cur pallio vsi sint, §. XIII. Ataritiæ per diuitiarum contemptum euitare annisi sunt, §. XIV. Exempla philosophorum opes magno animo contemnenti-

um, §. XV. *huc referenda tenuis philosophorum, praesertim Cynicorum, supellex, §. XVI. De pera & baculo veterum philosophorum, §. XVII. Communio quoque bonorum inter Pythagoraeos recepta huc spectavit, §. XVIII. Quousque Plato Pythagoricam istam communionem approbauerit, §. XIX. Apud Ebraeos similia exercitationum genera in usu fuisse, probatur exemplo Essenorum, §. XX. De Rechabitis quid sentiendum, §. XXI. Ad Christianos peculiaris ἀσκήσις & modus propagatus fuit per Eremitas, §. XXII. Origo disciplinae monasticae, §. XXIII. Monachorum cum veteribus Ebraeorum & gentilium ascetis comparatio, §. XXIV. Recentior status monasticus a veteri, itemque ab ἀσκήσει Ebraeorum & philosophorum gentilium plurimum differt, §. XXV. Querelae eruditorum de corruptione status monastici, §. XXVI. De flagellationum apud monachos maximo abusu, §. XXVII. In ἀσκήσει veterum philosophorum notatur primo plerorumque foeda hypocrisis, §. XXVIII. Secundo reliquorum superbia, §. XXIX. Quid porro in ea aut laudandum, aut vituperandum paucis indicatur. §. XXX.*

§. I.



Ogitanti mihi atque perpendiculari veteris pariter ac recentioris philosophiae indolem, maximum sese offert, quo haec ab illa differt, discrimen. Apud vete-

veteres enim sapientis viri, quem recentior aetas philosophum dixit, hoc praecipuum erat munus, temperantiae, iustitiae, humanitatis, ac moderationis aliis praeire exemplum: quique in omni virtutum genere excellerebat, is demum hoc nomen, huncque titulum promerebatur. At deinceps inuauit, ut illi, qui ingenio valebant, eiusque omnes vires ad rerum naturalium ciuiliumque causas indagandas conferebant, linguamque ad prompte de rebus quibusuis differendum erudiuerant, hocce sibi vendicarent nomen, nec sapientes modo dici, sed & videri vellent. Quo propius tamen philosophia ad primam accedit originem, eo luculentiora priscae istius & genuinae sapientiae, ad praxin & vitam rite instituendam vnice comparatae, comparent vestigia. Quorsum & illud refero, quod de ἀσκήσει veterum philosophorum passim legitur, modernis philosophis, saltem ad vsum quod attinet, plane ignorata. De qua, quod praepotens fortunet Deus, in praesenti vberius exponere dissertatione, mecum constitui.

§. II. Nostrum non est diu immorari vocibus, qui ad res ipsas properamus. Nihil ergo aliud monemus, quam quod ἀσκησις nobis denotet exercitationem ad virtutem, vel potius maiorem virtutis gradum acquirendum, comparatam, quae
prae-

praecipue philosophi, ut ceteris virtute praestarent, id quod sui muneris esse existimabant, utebantur. Virtus equidem, iuxta Platonis saniorumque philosophorum sententiam, donum Dei est, vel potius fructus summae felicitatis, hoc est, coniunctionis hominis cum Deo, adeoque, nulla *ἀσκήσεις* seu exercitatione acquiri potest. At qui semel, (quod tamen ex naturae viribus fieri nequit) virtutem adepti sunt, illi ut variis exercitiorum generibus maiorem indies consequantur perfectionem, non possunt non summo anniti studio. philosophi veteres, lumine quippe revelationis destituti, putabant se naturae viribus eo pertingere posse, (licet nonnulli diuinæ gratiae precibusque hic omnia tribuerint) in quo tamen errarunt grauiter. Nec tamen ideo contemnenda illorum *ἀσκησις*, quippe quae multos christianorum hodie in ruborem vertit. Singularia autem hac voce hic indigitamus exercitationum genera, quae solis philosophis erant propria. A Pythagoraeis has exercitationes *ἀγῶνας, βασάνες, ἀσκήσεις* diētas iam obseruauit 10. Schefferus. ^a Marcus Aurelius Antoninus Imperator ^b vocat *ἑλληνικὴν ἀγωγὴν* Græcanicam institutionem; Plutarchus, c
no-

(a) *de nat. & const. philos. Ital. c. XIV. p. 140.* (b) *lib. I. §. VI.* (c) *in Alexandro.*

notante Thoma Gatakero ἢ παιδείαν ἐλλήνην. Namque de philosophica ista exercitatione loqui imperatorem, antecedentia docent: *a Diogeneto, (didici) quod pro stratis grabatulum ac pellem expetierim, ceteraque Graecanicae institutionis adminicula.*

§. III. Licet autem varia fuerint atque diuersa ἀσκήσεως genera, ad certa tamen ea reuocare capita, haud inconueniens erit. Tria scilicet esse vitia praecipua atque capitalia, quibus quotidie hominum genus vexatur & in transuersum agitur, non potuerunt non veteres, vel mediocri diligentia ad propensiones suas, inclinationesue attendentes, deprehendere. Voluptatis inuuo cupiditatem, auaritiam, atque ambitionem. His ergo obuiam eundum esse, virtutis bonaeque mentis cultori, intelligentes, suas merito eo comparatas voluerunt ἀσκήσεις seu exercitationes. Insistimus itaque & nos huic ordini: & primo quae voluptatis cupiditati, tum quae ambitioni, & denique quae auaritiaē ab iis opposita fuerint remedia, paucis considerabimus.

§. IV. Voluptati per temperantiam obuiam quam rectissime iri constat. Ad temperantiam autem promouendam non, vnum illis in promptu erat exercitationis

ge-

praecipue philosophi, vt ceteris virtute praestarent, id quod sui muneris esse existimabant, utebantur. Virtus equidem, iuxta Platonis saniorumque philosophorum sententiam, donum Dei est, vel potius fructus summae felicitatis, hoc est, coniunctionis hominis cum Deo, adeoque, nulla ἀσκήσει seu exercitatione acquiri potest. At qui semel, (quod tamen ex naturae viribus fieri nequit) virtutem adepti sunt, illi vt variis exercitationum generibus maiorem indices consequantur perfectionem, non possunt non summo anniti studio. philosophi veteres, lumine quippe reuelationis destituti, putabant se naturae viribus eo pertingere posse, (licet nonnulli diuinæ gratiae precibusque hic omnia tribuerint) in quo tamen errarunt grauiter. Nec tamen ideo contemnenda illorum ἀσκήσεις, quippe quae multos christianorum hodie in ruborem vertit. Singularia autem hac voce hic indigitamus exercitationum genera, quae solis philosophis erant propria. A Pythagoraeis has exercitationes ἀγῶνας, βασάνεις, ἀσκήσεις dictas iam obseruauit 10. Schefferus. a Marcus Aurelius Antoninus Imperator b vocat ἑλληνικὴν ἀγωγὴν Græcicam institutionem; Plutarchus, c

no-

(a) de nat. & const. philos. Ital. c. XIV. p. 140. (b) lib. I. §. VI. (c) in Alexandro.

notante Thoma Gatakero α παιδείαν ἐλλ-
ληνικήν. Namque de philosophica ista ex-
ercitatione loqui imperatorem, anteceden-
tia docent: α *Diogeneto*, (didici) *quod pro stratis*
grabatulum ac pellem expetuerim, ceteraque Grae-
canicae institutionis adminicula.

§. III. Licet autem varia fuerint atque
diuersa ἀσκήσεως genera, ad certa tamen
ea reuocare capita, haud inconueniens erit.
Tria scilicet esse vitia praecipua atque ca-
pitalia, quibus quotidie hominum genus
vexatur & in transuersum agitur, non
potuerunt non veteres, vel mediocri dili-
gentia ad propensiones suas inclinationes-
ue attendentes, deprehendere. Voluptatis
innuo cupiditatem, auaritiam, atque am-
bitionem. His ergo obuiam eundum esse,
virtutis bonaque mentis cultori, intelli-
gentes, suas merito eo comparatas volue-
runt ἀσκήσεις seu exercitationes. Insiste-
mus itaque & nos huic ordini: & primo
quae voluptatis cupiditati, tum quae am-
bitioni, & denique quae auaritiaē ab iis
opposita fuerint remedia, paucis confide-
rabimus.

§. IV. Voluptati per temperantiam ob-
uiam quam rectissime iri constat. Ad
temperantiam autem promouendam non
vnum illis in promptu erat exercitationis

ge-

(d) ad Antonini. l. c.

genus. Cum primis simplicissimo utebantur victu, non ad palatum delectandum, aut varias cupiditates irritandas, sed ad corporis saltem robur ac sanitatem conferuendam apto. Inter eos autem cibos, a quibus libenter abstinebant, carnes referre licet. Nec forte immerito, cum carniū vsus ad prauas libidines & excitandas, & fouendas, multum videatur conferre. Certe ante diluuium carniū ~~esum haud licitum~~ fuisse, valde mihi fit verosimile, eamque plurimorum & Ebraeorum & Christianorum esse sententiam, pronunciat Jo. Selde- nus. e Post diluuium eum diserte a Deo ~~permissum~~ esse, nonnulli fidenter asserunt, prouocantes ad ~~Græc. IX. 3. 4.~~ quae res ta- men difficultate non caret, praesertim si quis ipsum textum Ebraeum accuratius consideret, prout & ab aliis iam est obseruatum. Israëlitis equidem deinceps Deus carniū esum, forte *διὰ τὴν σκληροκαρδίαν* illorum, concessit, passimque apud alias quoque gentes receptus fuit: sed qui prae ceteris tamen vitae integritati morumque sanctitati studebant, ab eodem sibi temperarunt. Accuratissimi seuerissimique prae ceteris omnibus hac in re erant Pythagoraei. Sunt equidem qui omni prius car-

(e) de I. N. & G. iuxta discipl. Ebr. lib. I. cap. X.
p. m. 117.

carne abstinuisse eos contendunt, quos recte tamen redarguit 10. Schilterus ^f licet ipse non explicet, quousque Pythagoras suis carniū esum permiserit. Nimirum, ad eos tantum ex suis discipulis hoc pertinere volebat, qui erant theoreticorum summi. Testis est Iamblichus, ^g cuius ut & reliquorum Graecanicorum Auctorum, verba, latine saltem referemus: *Proprie vero maxime theoreticis philosophis, & maxime perfectis penitus interdixit esu superfluum, neque animalibus cuiquam ex eis vlla tempore vesci permisit.* Cui suffragatur Porphyrius ^h indeque recte concludit Jo. Schefferus; ⁱ de his, non de quibuscunque Pythagoricis, intelligendum esse, quod de abstinentia carniū inter ipsos obseruata, Alexis apud Athenaeum, ^k Strabo, ^l Plutarchus, ^m Origenes, ⁿ Hieronymus, ^o aliique tradiderunt. Praeter theoreticos autem & legumlatōres hic aliis abstinentiae & sobrietatis praeire exemplum voluit Samius senex. Id quoque nos docet Iamblichus: *Imperauit quoque, ut qui ex politicis essent legumlatōres, ab animalibus*

(f) de disciplina Pythagor. §. XLI. (g) lib. I. cap. XXIV. (h) de non esu carn. lib. I. cap. XXVII. (i) cap. XIV. pag. 145. (k) lib. IV. cap. VI. (l) lib. VII. (m) in lib. quae animalia magis utantur ratione. (n) lib. IV. contra Celsum. (o) lib. II. contra Iouian.

libus abstinere. Ceteris omnibus vero esus animalium fuit permissus: *reliquis concessit ut animalibus quibusdam, quorum vita esset non omnino purgata & sancta, & philosopha.* Recte autem rursus obseruat Jo. Schefferus, p non omnium animalium esum, inferioris etiam ordinis discipulis concessisse Pythagoram, sed quorundam; quorundam contra prohibuisse, ut melanuri & erythri, imo piscium in vniuersum, si fides habenda Plutarcho, q Existimauit enim piscium carnem nec sanitati satis conducere, nec castitati. Maximoque adeo interuallo ab illis discescit, qui tum egregie se ieiunare existimant, si a terrestrium animalium carnibus se abstinere, piscium variis generibus, aliisque cibis delicatioribus, & vino generosiori stomachum repleant. Dum vero ab animalibus impuris, Deoque consecratis suos abstinere iussit, alias huius instituti habuisse merito censetur rationes, quae nunc ad nos non spectant. Excipienda tamen rursus sunt animalia immolata, & pro victimis oblata, quippe quorum carnibus ipse putatur usus Pythagoras. Testis est Malchus seu Porphyrius: *cibus eius fuit panis varius & caro ex sacris victimis.*

§. V.

(p) l. c. (q) *Sympos. lib. VIII. quaest. 8. (r) lib. VI. de LL.*

§. V. Habuit omnino in eo Pythagoras non rationem modo sibi suffragantem, sed exempla quoque veterum. Docet hoc Plato: *τ̄ carnibus autem abstinebant* (antiquissimi) *Nam vesci carnibus, & Deorum aras pollere sanguine, impium videbatur, Ita orphica quaedam vita tunc vigebar. Inanimatis quippe omnibus vesciebantur, & ab animalibus omnibus abstinebant.* Ex recentioribus idem observavit, calculoque suo approbat Ludouicus Coelius Rhodiginus: *scribit in antiquitatum libris Dicaearchus, Saturni tempore, carnibus reiectis, omnes frugibus ac pomis vesci solitos. Triptolemi praecepta circumferunt tria: honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum.* Immo fuerunt nonnulli, qui carniū esum homini non esse naturalem, sed naturae potius instituto aduerfari, ex instrumentis, quibus ad comedendum vitur, probare voluerunt. *Animalia enim, quae carnibus pascuntur, ut lupos, leones, dentes anteriores oblongos, acutos & a se mutuo seiunctos habere, quia carnes, quibus vorandis nata sunt, constrictiores sint, quam ut possint absque profunda dentium infixione decerpi. Illa autem, quae herbis vescuntur, dentes breues, iunctos, exten-*

D d

fos

(r) *lib. VI. de LL. (s) antiquar. lection. lib. XXVIII. cap. II. (t) Antonius le Grand institut. philos. part. VIII. artic. V. pag. 418.*

fos habere, vt facile colligi queat, homini, qui talibus ad comedendum vitur, herbas & fructus in alimentum esse. Quam quidem coniecturam vt non adeo firmo fundamento innixam, non probamus plane, nec tamen profus reiicimus. Quidquid autem huius fit, ad voluptatem magis, quam necessitatem, comparatum carniū esum facile quis existimare posset. Nec tamen, postquam semel eidem aliquis assuetus est, temere profus ab eo se abstinere, cum forte sine sanitatis hoc non fieri possit iactura: esusque tandem carniū ex illorum genere fit, quae pro vtentium diuersitate, aut recta, aut praua dicenda.

§. VI. Occasio hic se commoda nobis offerret inquirendi paulo accuratius, in exquisitissimum ciborum delectum, quem instituit Pythagoras, & cui non phycas modo, sed morales potissimum subfuisse causas arbitror, praesertim cum fabis suis tam seuerè interdixerit? Sed ad alia nobis properandum. Offert se autem nobis post cibum potus. Hunc exquisitoribus philosophis olim non vinum, sed aqua, praebebat. Pythagoras genuinis suis discipulis, quique primi ordinis erant, scilicet contemplatiuis, vini vsum prorsus prohibuit. *Instituit*, inquit Iamblichus, *vt neque animalibus ullo vnquam modo*

do vescerentur, neque vinum vllatenus biberent. Hinc satrapa quidam Persarum de Apollonio Thyanaeo Pythagoraeae disciplinae obferuantissimo, apud Philostratum, x ita verba facit: *Audiens hunc virum neque animalibus vesci, nec vinum bibere, crasse & rustice ipsum* pa 6 1m. Causam indicat Iamblichus: y *A cibis quibusdam ceu rebus, quae rationem perfringerent eique vim inferrent, & mentis sinceritati integritaque officerent, indixit abstinentiam. Arque hisce etiam de causis vini abstinentiam & ciborum paucitatem.* Vel vt Apollonius loquitur apud Philostratum: z *vinum puram quidem potionem esse assererat, cum ex arbore minime sylvestri ad homines proveniret: verum ipsum bono statui mentis adversari dicebat, quod eius sublimem divinamque partem aliquando perverteret.* Non ergo superstitione quadam, aut errore ac si vinum per se malum esset, adductus Pythagoras vini usum suis non permisit, sed graui praegnantique causa commotus, quod rationem perfringeret, eique vim inferret, quod bono statui mentis aduersaretur. Nec asseruit, prorsus nefas esse, vinum bibere, cum eius usum secundi ordinis discipulis permisisset, sed illis qui ad perfectam & consummatam sapientiam adspirabant, non conducere vini potum arbitrabatur. Qua

Dd 2

in

(x) lib. I. cap. V. (y) lib. I. cap. XVI. (z) lib. I. cap. V.

in re si errauit, longe tamen leuior tolerabiliorque eius error est, quam illorum, qui veram sapientiam cum ebrietate & crapula, & quibusuis intemperantiae generibus consistere posse, sibi persuadent.

§. VII. Nec solum Pythagoram tam austerum suis se praebuisse cupiditatibus existimes. Ipse Epicurus, qui vulgo magister cupiditatum & antesignanus impuri gregis audit, hac in re illum imitatus est. Panem enim & aqua contentus, vitam in summa animi tranquillitate transigebat, vt ipse testatur in Epistola apud Diogenem Laertium. **Qua** quidem in re veterum simplicitatem imitati sunt philosophi, quippe qui non alia re soliti fuerunt, quam

dulcis aquae saliente sitim restringere riuo.
vt Virgillii hoc eloquamur versu. Vnde non immerito Clemens Alexandrinus aquam vocat *Φυσικὸν ποτὸν ἢ ἀναγκάσιον τοῖς διψῶσι*, naturalem & necessarium sitientibus potum. **b** Naturamque hominis, suis limitibus circumscriptam, nec irritatam ad voluptates, non amplius quid desiderare, docet Seneca: *c Nil ex his, quae habemus, necessarium est. Ad legem naturae reuertamur: diuitiae paratae sunt. Aut gratuitum est, quo egemus, aut vile. Panem & aquam natura desiderat. Nemo ad haec pauper est:*
infra

(a) lib. X. (b) lib. II. Paedag. cap. II. (c) epist. XXV.

intra quae quisquis desiderium suum clufit, cum ipfo Ioue de felicitate contendat, ut ait Epicurus. Quo pacto autem homines, voluptatis stimulis concitati, sensim ab ista simplicitate ac sobrietate discesserint, pluribus & ex instituto explicat Io. Henricus Meibomius, in doctissima commentatione de *cereuisiis potibusque & ebriaminibus extra vinum aliis.* ^d Sed apud Philosophos tamen remanebant pristinae simplicitatis sobrietatisque vestigia, immo per ea sola ad sapientiam contendendi, plerique autumabant. Hinc ista vera veteris philosophi effigies apud Philemonem in Comoedia, referente Diogene Laertio : *

Cum pane caricas vorat & aquas bibit.

Exercet ignotum philosophiae genus,

Docet esurire, dehinc auditores capit.

§. VIII. Cum primis autem Indicorum Philosophorum, quos Gymnosophistas vocant, varia fuerunt, & memoratu dignissima, ad debellandam coercendamque voluptatem, instituta. Primo namque & isti non tantum a vino, cibisque delicatioribus, & coniugijs etiam se abstinerunt, sed frequentissima insuper interposuerunt ieiunia. Testis est Clemens Alexandrinus : ^f *Ex Sarmanis* (constat namque Gymnosophistas a Clemente in Sarmanas & Brachmanas diui-

Dd 3

di)

(d) cap. I. (e) lib. VII. in vita Philem. (1) lib. I. Strom. pag. 305.

di) quidem ii qui appellantur Allobii neque urbes habitant, nec domos aut tecta habent: arborumque baccas comedunt, & aquam bibunt manibus: non nuptias, non liberorum norunt procreationem, quemadmodum ii, qui nunc vocantur Encratitae. De Brachmanibus idem: g neque animatum edunt, neque vinum bibunt: sed aliqui quidem ex iis quotidie sicut nos, cibum capiunt, nonnulli autem ex iis tertio die. Sed hisce alia adhuc addiderunt exercitationum genera, ad vim voluptatis infringendam, molliemque omnem excutiendam comparata, ut stare sub dio ac in ardentissimo sole, nuda corpora frigori exponere, & quae alia sunt eiusdem commatis. Describit ea Valerius Maximus: h Apud Indos patientiae meditatio tam obstinate vsurpari creditur, ut sint, qui omne vitae tempus nudi exigant, modo Caucasi montis gelido rigore corpora sua durantes, modo flammis sine ullo gemitu obiacentes: atque haud parua hic gloria contemptu doloris acquiritur, titulus namque sapientiae datur. Strabo i quendam apud Alexandrum degentem memorat, *πεσόντα ὑπτιον ἀνέχεσθαι τῶν ἡλίων ἢ τῶν ὀμβρῶν*, qui & ardores solis & imbres iacens supinus pertulerit. Apud Pythagoraeos simile quidpiamprehenditur, vnde non immerito Damis comes Apollonii apud Philo-

stra-

g) lib. III. p. 451. (h) lib. III. cap. III. (i) lib. XV.

stratum dixit, *Brachmanas atque Gymnosophistas vitam Pythagoricam duxisse.* Iamblichus ^k auctor est, Pythagoraeos, non siti modo atque inedia, sed ferro etiam atque igne, patientiam exercuisse: *Erat autem hoc in uniuersum apud ipsos proprium, ut ad doctrinas studisque nulli parcerent labori, innatamque intemperantiam ac cupiditates omnes variis exercitationibus subigerent, itemque supplicii, sectionibus, uestitionibusque, ferro atque igne sine ulla recusatione.* Prorsus autem cum Gymnosophistarum exercitatione conuenit, quod de Diogene Cynico refert Diogenes Laertius: *! atque aestate quidem in feruida arena sese volubabat, hieme uero statuas niue perfusas complectebatur, omni ex parte se ipsum ad laborum tolerantiam exercens.* Et habet sane hoc Cynicorum secta sibi proprium ac peculiare, ut ad excessum usque fugiat ea, quae ulla ratione ad uitae commoditatem facere videntur, quae forte alio loco alioque tempore exponentur ueberius.

§. IX. Somno etiam ad necessitatem, non ad voluptatem, utebantur philosophi veteres. Hocque illorum institutum vel inter praecipuas exercitationes voluptati oppositas referre licet. Hinc & a lectis, ceterisque mollicitiei instrumentis se abstinebant. Ipse Imperator M. Aurelius Antoninus ^m inter

D d 4

ad-

(k) lib. I. cap. XXXII. (l) in uita eius. (m) l. I. §. VI.

adminicula τῆς ἑλληνικῆς ἀγωγῆς, refert τὸ σκίμπодⓄ καὶ δορᾶς ἐπιθυμῆσαι, quod pro stratis grabatulum ac pellem expetiuerit. Quibus verbis lucem affundit Iulius Capitolinus: *Nam duodecimum annum ingressus (de Antonino nostro loquitur) habitum philosophi assumpsit: & deinceps tolerantiam, cum studeret in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pelliculis lectulo accubaret.* Isaacus Casaubonus ad hunc locum haec obseruat, quae vt praetermittamus omnino instituti nostri ratio prohibet: *χαμουνία* siue humicubatio olim consueti omnibus, qui vitam deliciauiorem aspernarentur. Vel enim super duro siliice aut nudo solo dormiebant: vel Stoream aut Psitabum aut pelliculas substernebant. Ab istis cum accepissent christiani morem & aemulationem τῆ σκληροκοιτέαν, mirificis postea inuentiunculis ipsi asperitatem huius σκληραγωγίας intenderunt. Vbi quod de Christianis addit eos a philosophis morem & aemulationem τῆς σκληραγωγίας accepisse, id, quoad alia etiam philosophicae ἀσκήσεως capita, deinceps comprobabitur. Ceterum Pythagorae praecipuam disciplinae, quam sectabantur partem faciebant, somno modum ponere. In Carminibus, quae Pythagorae nomen praeferunt, hoc quoque eius praeceptum legitur:

Ταῦ-

[n] in Antonino philos. cap. II.

Ταῦτα μὲν ἔτιωσ ἰδι. Κρατεῖν δὲ εἰθίζεσθ
τῶν δὲ

Γαστρός μὲν πρῶτιςα, καὶ ὕπνυ, λα-
γνεῖσθε;

*Isthaec quidem serues, sed & his adsuesce impera-
re, primum ventri, dein somno & veneri. Ὀλιγου-
πνίαν somni breuitatem a Pythagora praecep-
tam fuisse auctor est Iamblichus. Praecepta,
inquit, o ipsis erat & αἰωνία & ὀλιγο-
σιτία, καὶ ὀλιγουπνία, & vini abstinentia, & cibi
paucitas & somni breuitas. Turpe itaque duce-
bant post solis ortum surgere. Namque &
illud inter praecepta Samii senis erat: non e-
leito surgere, postquam sol esset ortus, teste eodem
Iamblichō. P*

§. X. Quae haecenus recensuimus re-
media, voluptati libidinique opposita fue-
runt. Nunc quo pacto ambitioni obviam
eundum censuerint Philosophi, paucis et-
iam edisserendum est. Pertinet autem
huc, ni fallor, quod illi, qui in discipli-
nam Pythagorae se tradebant, sub trien-
nium probationis primae constituti, con-
temptum sui ferre cogebantur. Testis
est Iamblichus: ἡ ἐφ' ἑταῖρι τριῶν ἐτῶν ὑπερο-
εἶδαι, iubebat talem per annos tres con-
temnere, Pythagoram autem hunc morem
ab Aegyptiis desumpsisse putat Jo. Scheff-
rus,

Dd 5

rus,

(o) cap. XXXI. (p) cap. XXXIV. (q) lib. I. cap. XVII.

rus, r quippe qui simile quid obseruarint. Pythagoram enim ipsum sic circumegisse Heliopolitas ad Memphitas, Memphitas ad Diospolitas, neque quicquam suae sapientiae cum eo communicasse ex Porphyrio docet. Moris quoque fuit Pythagoreis variis interrogationibus, obiectionibus, similibusue exagitare eos qui in illorum transibant disciplinam, qui ab Atheniensibus retentus, ab his ad nostras Academias propagatus, inter solennes nostri seculi nugae referri meretur. Est enimvero haec rerum humanarum conditio, vt salubriter instituta, hominum mox corrumpantur prauitate, sapientiaeque exercitamenta abeant, tandem in documenta stultitiae ac vanitatis. Quod fieri necesse est, si externis saltem inhaereamus. De Pythagoraeorum more Cratini versus refert Diogenes Laertius, s quorum hic est sensus: *Eis consuetudo, si quem simplicem rudemque nacti fuerint ingressum, experimentum facturum, quantum dicendi viribus valeat, perturbare illum obiectionibusque versare, conclusionibus, inaequalitatibus fallacis, magnitudinibus callidissime.* Ambitioni haec opposita fuisse nemo dubitauerit, cum quo quis ad hocce vitium propensior est, eo minus exagitationes eiusmodi feret.

§. XI.

(r) de nat. & constit. philosoph. Ital. cap. XIV. p. m. 137. (s) in Pythag.

§. XI. Non errauero si vestitum quoque non ad modestiam modo compositum, sed interdum etiam prorsus fordidum, & squalidum, veterum philosophorum huc retulero. Constat autem adeo ab omni splendore & luxu in vestitu nonnullos abhorruisse, vt squalor ac illuies haud semel illis fuerit exprobrata. Patris cuiusdam extat oratio apud Libanium Sophistam, & consultantis secum, quo filium deducat, vbi quam rectissime instituat. Nonnulli, inquit, vt ad philosophorum scholas mitterem puerum, suadebant, quasi in illorum auditoriis virtus sedem haberet. Mihi autem virorum mores partim placebant, partim displicebant. Nam quod *squalidi & tonsurae studiosi illotique sunt, & non plusquam cicadae comedunt* (τὸ μὴ πλείω τῶν τεττίγων ἐσθίσαι) mente praediti videntur. Quod autem negligunt opes & vellicant, quae inter homines praecipua censentur, atra bile laborantium est, & eorum, qui plurimum absunt a cognoscendis iis, quae in rem sunt. apud eundem Libanium introducitur parasitus conquerens regem suum a philosophis corruptum: & inter alia his moribus recens imbutum depingit: *Diuitias odit, delicias auersatur, priorem civitatem cladem arbitratur, praesentium malorum amator est, squalida*

(t) declam. XXXVII.

lida caesarie, pallido cutis colore, obtutu moesto, corpore sordente, nec pallio cultiore sub dio se affligens, humi cubare sustinet, solem tolerat, ad frigus exiuitur. De Pythagoraeis Aristophanes testatur apud Athenaeum v eos & lacero & squalido tantum amictos fuisse pallio. Verba latino saltem, ob instituti nostri rationem, referemus sermone: *Quid per Deos censemus eos qui olim Pythagorici fuere, sponte reuera sordibus squaluisse, palliaque lacera gestasse libenter, horum mihi videtur nihil, sed adductos necessitate, cum illis deessent omnia, frugalitatis pulchra quadam inuenta specie, sumtus vilem, finem praefixisse pauperibus.* Innuvit Aristophanes necessitate quadam adductos Pythagoraeos, vile eiusmodi vestium genus usurpasse. Quod equidem non profus inficiatus fuero, cum ex communione bonorum, de qua deinceps, ob praesentem rerum humanarum statum, vix aliud sperari poterit: interim de omnibus hoc asseri nequit, cum constet, plurimos sua sponte adductos, viliorem vestitum cum splendidiore commutasse. Id potius dubium alicui mouere posset, quod alii memoriae prodiderunt, Pythagoraeos vsos fuisse veste alba & candida. Socrates namq; apud eundem Athenaeum x antiquos Pythagoraeos vocat λαμπράτε ἰσθῆτι ἀμφιεννυμένους, *splendida veste indutos.* Sed Iamblichus y quo-

(v) lib. IV. cap. XVII. (x) lib. IV. cap. XVIII.

quoque teste, in vsu illis fuit vestis λευκή ἡ καθαρός alba & munda. Haec pugnare cum antea dictis videntur. Forte tamen ita conciliari possunt, quod splendidam albamque vestem tum demum a suis vsurpari voluerit Pythagora, um sacris operarentur aut interessent. Idem, quem laudauimus Iamblichus & hoc Samii senis praeceptū refert: *Dicit templum quemque ingredi oportere, qui munda veste sit amictus, & in qua non indormierit quisquam &c.* Plurima scilicet in Numinis cultu animi puri & casti adhibebat Pythagoras symbola. Id quod & aliis comprobari posset testimoniis, si opus esset. Quod si vero haec displiceat coniectura, alia succurrit. Forte ab illis saltem vestem squalidam adhiberi voluit Pythagoras, qui iuniores erant, & in probatione seu exploratione adhuc constituti. Hosce enim & alia patientiae ac modestiae edere debuisse documenta, partim ex dictis constat, partim ex dicendis enim elucescet. Suffragantur huic coniecturae verba Alexis apud Athenaeum, a quibus vestitum viliores cum silentio aliisque exercitationibus, quibus iuniores ad maiora praeparabantur, coniungit: *sordes paululum oportuit ferre, icianium, coeli rigorem, silentium, tristitiam, illuuiem.* Eodemque forte recte retuleris, quod de iisdem Pythagoraeis legitur, eos nullis vsos fuisse calceis. De Diodoro

Aspen-

(y) lib. I, cap. XXI. (z) lib. I, cap. XXVIII.

Aspendio citato loco Athenaeus : cum Pythagoricae sectae videretur se tradidisse, cynicis moribus vestris vixit, capillatus, sordidus, sine calceis.

§. XII. Dum in vestitu Philosophorum explicando, versamur, facere non possum, quin & barbae, reliquique habitus, Philosophis proprii, iniiciam mentionem. Barbam an ob cultus neglectum, an vero ob auctoritatem quandam sibi conciliandam aluerint, dubitare aliquis posset. si ex nostris moribus hac de re pronuntiandum, barba ad auctoritatem quobque quandam illis comparandam aliquid conferre potuisset. Ex rudioribus enim interdum nonnulli ex barba senectutis, ex senectute sapientiae documentum capiunt, quosue ita sapientes esse iudicarunt, veneratione etiam prae ceteris dignos arbitrantur. Sed cum dubitem, an eadem tunc homines tenuerit persuasio, crediderim potius ob cultus neglectum Philosophos veteres barbam aluisse: cum barbam crinesque alere apud veteres illuuius esset & spurcicies. Quidquid huius sit, aluisse barbam Philosophos, ita ut pro insigni Philosophi esset barba, manifestum est. Hinc Horatius barbam sapientem vocauit: b

- - - - -
tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam

[a] lib. IV. cap. XVII. (b) lib. II. serm. III.

Perfius quoque ideo *Barbati Magistri* nomine Philosophum designat : c

- - *Barbatum haec crede Magistrum*

Dicere, sorbitio tollit, quem dira cicuta

Et Iuuenalis : d

- *Barbatos licet admoneas mille inde Magistros.*

Pertinetque omnino huc illud quod apud A Gellium e legitur, ad Herodem Atticum adiisse quendam palliatum, & crinitum, barbaque vsque ad pubem porrecta, & petiisse aes sibi dari *εις ἀετης*, ad panes emendos. Quem cum interrogasset ille, quanam esset? atque ille vultu sonituque vocis obiurgatorio philosophum se esse dixisset, mirari quoque addidisset cur quaerendum putasset, quod videret, *video*, inquit Herodes, *barbam & pallium, philosophum nondum video*. Et alius philosophum improbae huius monetae descripturus, ait : *Homo quidam barba mire hircina, supra quam credi potest, tonsoris egenus*. Cum primis autem Stoici atque Cynici barbam promissam alebant, quae ab obuiis in publico vellebatur. Id quod irrisionis ac contemptus erat signum. Perfius : f

Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam

Iupiter? quia scilicet fulmine ictus non es.

Fatui hominis est, inquit Casaubonus g ac Barbat

(c) *sat. IV.* (d) *sat. XIV.* (e) *N. A. lib. IX. cap. II.* (f) *sat. II.* (g) *comment. ad Perf. sat. II. p. 194.*

bae alicuius, vel abiectissimi certe, barbam suam praebere vellendam, quasi hominibus petulantibus ludibrium debeas, aut eorum petulantem lasciviam non possis effugere. Existimauerim itaque sua sponte omnium ludibrio se exposuisse Cynicos atque Stoicos, ut ostenderent se ab omni ambitione procul remotos esse, vel ut vim ambitionis subinde se exerentis, hominibusque connatae, infringent ita & labefactarent. Sed totum hoc argumentum erudite pertractauit Isaac Casaubonus. ^h Stoici praeterea, comam alere delicatum putantes parumque virile, capillum radebant, & ἐν χεῶν κρηταί erant vel ut Horatius loquitur, tonsa cute se commendabant. Huc illud Iuuenalis spectat: i

*Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
atque supercilio breuior coma &c.*

Erat illis, ut Lucianus in Ermotimo loquitur ἐν χεῶν ἢ κρητῶν, ἢ ὁ πάγων βουθός. Sed nolo hic plura addere, cum ex instituto hac de re egerit Iure-Consultus doctissimus Antonius Hottomannus in Dialogo de *Barba & Coma*, ^k

§. XIII. De Pallio Philosophorum res notissima est: atque ex veteribus quidem Dio Chrysostomus in oratione περὶ τῶν σχημάτων, atque Tertullianus in libro de Pallio, multa hac de re commentantur. Herodis quo-

(h) *ad Persii sat. I. (i) sat. II. (k) praesertim pag. 15.*

quoque responsum, antea relatum, *video barbam & pallium, philosophum nondum video morem* itidem comprobat. De M. Aurelio Antonino Imperatore atque Philosopho Julius Capitolinus: *1 Nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi assumpsit. Quid per habitum philosophi intelligendum sit, docet Isaacus Casaubonus: m Pallium nempe sine tunica, cum totius corporis illuvie. Addit: His communis habitus omnium philosophantium, quo se parabantur a ceteris. Fuere & propriae singularum sectarum notae, propria gestamina. Sed quod vir ille doctus, dixit habitum philosophi fuisse pallium sine tunica, in eo reprehenditur a Claudio Salmasio, n obseruante, quod tantum Cynici pallium gestauerint sine tunica, cum reliqui philosophi omnes tunicam gestarint sub pallio. Hinc luuenalem, quod sectam Cynicam a Stoica, parum diuersam quoad dogmata videret, dixisse:*

- - - & Stoica dogmata tantum
A Cynicis tunica distantia - - -

Sed alibi n n idem Salmasius tam accurate, hoc argumentum executus est, vt nihil ferre addi possit.

§. XIV. Sed ad auaritiam tandem nobis veniendum est, vt dispiciamus quo pacto

E e

&

(1) cap. II. (m) ad Iul. cap. I. c. (n) ad eundem locu n
(nn) not. ad Terullianibrum de pallio. p. 5. seq 1.

& huic vitio obuiam eundum censuerint Philosophi veteres. Certè magno animo quosdam diuitias atque opes spreuisse, manifestum est, plurimisque comprobari exemplis potest. Memoratu dignissimum est exemplum Cratetis, principis fere inter Cynicos philosophi. Diues enim cum esset & opibus floreret, honesto quoque, admodum inter Thebanos loco, opes tamen oneri potius atque impedimento, quam adiumento sibi, vitam beatam atque felicem acturo, fore ratus, eas abiicit, & seque Cynicis adiunxit. Testis est Diogenes Laertius: *Hunc ait Antisthenes in successibus cum in tragoedia quadam Telephum sortellam tenentem, & alioqui miserabilem vidisset, subito impetu quodam ad Cynicam philosophiam se contulisse, diuenditque bonis suis (erat enim nobili genere natus) cum talenta fere trecenta collegisset, ea ciuibus suis dedisse. Suffragatur Plutarchus: p Crates Thebanus cum nemo ab ipsa exigeret, cum nemini quicquam deberet, ipsam rei familiaris dispensationem, curasque & occupationes auersatus, rem octo talentum deseruit, sumptisque palliolo & pera ad philosophiam & paupertatem confugit. Ab his in eo dissentit Suidas, q quod dicit, eum suis facultatibus in pecuniam redactis, pecuniam argentario dedisse,*

(o) in Cratete. (p) de vit. aere alieno T. II. op. pag. 832. (q) in Cratete

disse, mandauisseque, vt si sui philosopharentur, eam reipublicae daret, sin minus, suis liberis traderet. Quae vtcunque sese habuerint, in eo consentiunt omnes, aut opibus aut certe earum vsu ac possessione se abdicasse Cratetem, paupertatemque sua sponte amplexum fuisse.

§. XV. Et certe vel sola secta Cynica plurima praebet exempla virorum magno animo diuitias abiicientium, pedibusque conculcantium. Sed tamen nec in aliis sectis, aut apud eas etiam gentes, quas barbaras vocant, similia defuerunt, generosa mente diuitias aspernantium. Genuinam veteris philosophi imaginem exhibet epistola illa Anacharsidis Scythae, apud Ciceronem: *τ Anacharsis Hannoni salutem. Mibi amicitui est Scythicum tegmen: calceamentum solorum callum: cubile terra: pulmentum fames: lacte, caseo, carne vescor: quare vt ad quietum me licet venias: munera autem quibus es delectatus, vel civibus tuis vel Diis immortalibus dona.* De Aristippo etiam, quae refert Diogenes Laërtius, documento sunt, pari eum in opibus contemnendis fuisse animi magnitudine. Hinc & philosophis subinde contemptus iste diuitiarum exprobratus fuit. Pater ille, quem Libanius Sophista, vt supra diximus, con-

E e 2

sul-

(r) Tuscul. quaest. lib. V. (s) in Aristippo. (t) in declam. XXXVII.

sultantem inducit, quo filium deducat, hoc equidem condonari philosophis posse. putat, quod squalidi sint, & illoti, & non plusquam cicadae comedant, at, quod negligunt opes, inquit, & vellicant, quae inter homines praecipua censentur, atra bile laborantium est. Huc & oratio illo Parasiti philosophum depingentis apud eundem, itidem iam supra commemorata, pertinet: *diuitias odit, delicias auersatur &c.*: immo adeo rerum omnium possessione se abdicabant, vt panem mendicando quaerent, quod patet illo exemplo, quod supra commemorauimus, cum de Herode Attico verba faceremus.

§. XVI. Proinde mirandum non est, quod pars disciplinae & ἀσκήσεως philosophicae fuerit, spontaneam sectari paupertatem & quam tenuissima contentum esse supellectile. De Synopenfi illo Diogene, alter Diogenes scilicet Laërtius: v. *Murem, vt est apud Theophrastum in Megarico, percurrentem adspiciens, ac neque cubile quaerentem, neque vitantem tenebras, neque quidquam voluptarium desiderantem, Status sui rationem adinuenit; duplicato primum, vt quidam volunt, palliolo sordido, quod etiam super eo dormire necessitate cogeretur. Sacculum quoque habebat, in quo inerant cibaria.* Constat etiam eundem Diogenem superbas splen-

(v) in Diogene Cynico (x) sat. XIV.

splendidasque adeo non desiderasse aedes, ut commodas & humiles respuerit, dolumque, in quo vitam transigeret, elegerit. Commoda, quae ex eo ad Diogenem redierint, ita explicat Iuuenalis: *

- - - - - *dolia nudi*
Non ardent Cynici: si freris, alte-
ra fiet

Cras domus; aut eadem plumbo com-
missa manebit.

In ista autem paupertate rerumque omnium inopia, tam sibi videbatur felix, tamque beatus, ut subinde disputaret, quanto Regem Persarum vita fortunaque superaret: sibi nihil deesse: illi nihil satis unquam fore. γ Ab Alexandro etiam rogante, ut diceret, si quid opus esset, nihil postulavit aliud, quam ut ne corporis sui umbra officeret apricanti. Qua de re ita Iuuenalis: z

Sensit Alexander testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior
hic, qui

Nil cuperet, quam qui totum sibi posce-
ret orbem.

§. XVII. Visitata ceteroquin & recepta philosophorum veterum supellex erat, pera, baculus, pallium. De Cratete Apuleius: a *Crates peram cum baculo & pallium hu-*

E e 3 mi

(γ) vid. Cicer. quæst. Tuscul. lib. V. (z) sat. X. (a) Florid. lib. XIV.

mi cum posuisset, eamque suppellectilem sibi esse profiteretur &c. Et alibi idem Apuleius: *b* *Peram & baculum tu philosophis exprobrares? Igitur & equitibus phaleras, & peditibus chyeos, & signiferis vexilla, & denique triumphantibus quadrigas albas & togam palmatam. Verumtamen hoc Diogeni & Antistheni peram & baculus, quod Regibus diadema, imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus auguribus. Hinc & Philosophos per iocum Bactroperitas vocatos constat, quod praeter baculum & peram nihil haberent. Hieronymus c huius nominis meminit, arguitque eos, quod contemptores seculi & omnia pro nihilo ducentes, cellarium tamen (ταμείον) secum ferant. Cum vero iste, quem haecenus descripsimus, habitus, etiam orientalium populorum philosophis videatur fuisse receptus, aut orientis saltem populis non ignotus, forte eo respexit Christus, quando in perfectissimae & consummatae disciplinae regulam, Apostolis suis hancce legem dedit: *Ne habete aurum, nec argentum, nec aes in crumenis vestris. Neque peram ad iser, neque binas tunicas, neque calceos, neque baculum &c.* d Planissimus enim simplicissimusque horum verborum sensus mihi esse videtur, quod adhuc maiori studio omni rei familiaris cura*

ra

(b) in Apolog. I. (c) in cap. X. Matth. 9. 10. (d) Matth. X. 9. 10.

ra se abdicare, & quidquid impedimento euangeli promulgationi esse poterat, remouere & procul a se amoliri debeant, quam isti, qui sapientiae studio voluntariam paupertatem amplexi, tenuissima contenti sunt suppellectili. Baculum tamen Apostolis permissum a Seruatore, refert Marcus: *praecipitque ne quid ad iter circumferrent, nisi baculum tantum, non peram &c. c. VI. §.* Quae cum inter se pugnare videantur, Hugo Grotius e haec ita conciliat, vt in loco Matthaei, in verbis *neque baculum*, subaudiendum doceat, *praeter eum quem manu geritis*; forte & ita dici potest, quod baculum, quo corpus sustentarent, Apostolis concesserit Christus, prohibuerit contra, quo pro armis vterentur. Quidquid huius sit, Apostolos, Episcoposque veteres baculo vsos constat, indeque hodiernum inter insignia Episcoporum baculus seu pedum pastorale referri solet, vt pluribus edisserit Io. Christophorus Becmanus. f At quod idem originem baculi episcopalis a lituis veterum Romanorum repetit, in eo me sibi non habet suffragantem, cum nihil obftet, quo minus a philosophis desumi ritus iste potuerit: idque eo videtur verosimilius, quod quoad alias etiam ἀσκήσεως partes, veteris ecclesiae doctores multa cum

E e 4

philo-

(e) ad h. l. (f) in not. dignit. illustr. disert. XV. c. II. §. II.

philosophis habuerint communia, vt deinceps vberius demonstrabitur.

§. XVIII. Sed aliud quoque adhuc sese nobis offert veterum quorundam philosophorum institutum, quod auaritiæ debellandæ destinatum fuisse videtur. Communionem innuo bonorum, a Pythagora primum vt videtur, institutam, a Platone approbatam, & ab aliis etiam re ipsa frequentatam. Pythagoraeam bonorum communionem ita describit A. Gellius: *g omnes simul qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiae pecuniæque habebat, in medium dabat. Et coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re (iure) atque (absque) uerbo Romano vocatur κοινόνιον.* Idem docet Iamblichus: *h Pythagoras iussit fortunas suas omnes inter se communes habere, & toto tempore una viuere. reliquos autem suas proprias quemque possessiones habere.* Recte autem docet Laërtius i eos Pythagorae discipulos, qui in communionem vixerint dictos fuisse κοινόνιαις, eosque a τοῖς ἀνοματικόνιαις distingui. Ex eo quippe intelligitur, ne ab omnibus quidem discipulis suis, multo minus a tota aliqua republica exegisse Pythagoram, vt bonorum communionem admitterent. Facile enim

(g) l. I. cap. IX. (h) c. XVIII. (i) in vita Pythagoræ.

enim vidit vir sapientissimus excellentior-
rem ad istam communionem bonorum re-
quiri virtutem, quam quae in plebeias men-
tes cadat. Atque hoc ex alio quodam Iam-
blichi loco confirmari potest: *Nemo quidpi-
am possidebat proprium, & si quidem communi-
placebat, utebatur communibus, sin minus, suis re-
bus bonisque, imo etiam pluribus, quam in com-
munionem contulisset, acceptis.* Hoc videtur
innuere: statim ac quis in disciplinam Py-
thagorae se dedisset, ab eo bona quae pos-
sidebat, in communionem fuisse tradita, ea
tamen lege, vt si ante finitos probationis
annos haec viuendi ratio displiceret, reci-
pere ea, & suo proprioque possidere iure
posset.

§. XIX. Quando vero A. Gellius in lo-
co memorato dicit: *quod quisque familiae pe-
cuniaeque habebat, in medium dabant*: id de
substantia cuiusuis atque bonis, tum & de
seruis communi vsui dedicatis, intelligendum
esse, recte monet Io. Schilterus. Bene etiam
subiungit, vxorum communionem procul a
disciplinae huius continentia & sanctitate
abfuisse. At quando in sequentibus idem vir
doctus Platonem vitii eius arguit, a quo ab-
soluerat Pythagoram, non possum sane cum
eo consentire. *Quare, inquit, longe sanius Py-*

Ee 5

tha-

(k) c. X. (l) de disciplina Pythagorica §. LVI, (m)
§. LVII.

Pythagoras de bonorum communionem sensit, quam Pythagorissans Plato; neque omnium rerum, sed earum, quae honeste communes fieri possunt, communionem sancivit. Vetus equidem est haec criminatio, quam repetiit Io. Baptista Crispus de Ethnicis Philosophis caute legendis. ⁿ At defendit contra Platonem, nec eiusmodi quid unquam illi in mentem venisse demonstrat Marsilius Ficinus. ^o Enim vero qui omnia paulo accuratius expendit, deprehendet, Platonem loqui de communionem operarum inter viros & faeminas aequae distribuenda, quod diffiteri nequit ipse Io. Baptista Crispus. Idque haud obscure ex ipso colligitur Platone. Nullum „igitur est, inquit ^p o amice inter eos qui „ciuitatem curant, officium mulieris proprium qua mulier est, aut viri proprium qua viri sed aequae dispersae in animantibus vtriusque naturae: & omnium „quidem operum natura compos est faemina, omnium & vir est compos: in omnibus imbecillior foemina. Sic est prorsus. „Num viris omnia praecipiemus, mulieri „autem nihil? At quomodo? Est vti- „tutemque ut nos asseremus, inter mulieres „quoque alia medicinae apta, alia minime: alia musica, alia natura a musica aliena

(n) l. XI. XII. (o) T. II. opp. f. 1406. (p) dial. V. de republ. p. m. 589.

ena. &c. Equidem in sequentibus q̄ de
corporum quoque communione loqui vi-
detur : Mulieres scilicet has horum viro-
rum omnes omnium esse communes nul-
lamque priuatim alicui adhaerere, ac rur-
sus communes filios, neque patrem filium
nosse, neque filium suum agnoscere pa-
trem. Multo certo difficilius istud cre-
ditur, quod vel possibile vel utile sit. Haud
quidem arbitror dubium id cui-
quam fore, quin utile sit, maximum-
que bonum mulieres esse communes,
communes & filias, si modo id fieri pos-
sit. At si & haec verba accuratius ex-
pendantur, patebit, Platonem non de cor-
porum impuris coniunctionibus loqui,
sed potius de amoris communione. Vide-
bat enim vir sapientissimus, omnia in vita
ciuili mala ex eo oriri, quod vnus quis-
que sibi consulere, suum bonum promo-
uere cupiat : huic malo non posse recti-
us obuiam iri censuit, quam si eo addu-
cantur homines vt credant, se nihil pro-
prium habere, & vt quae omnium sunt,
eodem tamen amore, ac si propria essent,
prosequantur. Legi omnino merentur
quae hac de disserit Marsilius Ficinus, in
argumento huic dialogo praemisso. Vi-
dit

dit autem Plato, licet ista proprietatis, quae intimis humani cordis recessibus tam firmiter pro dolor! infixae est, abdicatio tam salutaris sit, & ad ciuilem etiam vitae tranquillitatem felicitatemque necessaria, eam tamen propter hominum vitia vix obtineri posse, vnde sapienter addit, *si modo fieri posset*. Sed ad Schilterum reuertamur. De Pythagoraea communione is porro pronunciat: *qualem nec inutilem semper esse nec illicitam, vel ex primaeva nostrae ecclesiae aetate christiani scimus*. Actor. II. 44. IV. 32. Neque, ita pergit, cum Platonis & Anabaptistarum condemnantur dogmata, omnis omnino rerum tollitur communio. Praeclare sane. Sed Platonis tamen communionem perperam reprehendi demonstraui. De Anabaptistarum sententia hic dicendi locus non est. Sufficit ingenua docti viri confessio, non omnem improbandam esse communionem. Rationem addit: *Nec enim omnia sunt singulorum, sunt priuata, sunt publica, sunt etiam communia. Igitur quemadmodum ab initio rerum diuisionem flagitauit utilitas, coegit mortalium prauitas: Ita communionem interdum permittit societas, suadet charitas*.

§. XX. Sed vt ad istud quod caput causae nostrae est, reuertamur, possent vtique longe plura veterum instituta & philosophicarum

carum exercitationum genera, colligi, si immorari hisce diutius vellemus. Neque difficile fuerit, reliqua ad classes a nobis designatas referre, cum res ipsa doceat, ad tria demum ista vitia capitalia, voluptatem, ambitionem, & auaritiam, debellanda, cuncta fuisse comparata. Proinde misis hisce, paucis saltem demonstrabimus, non apud Ethnicos modo, sed apud Ebraeos etiam similia in vsu fuisse ἀσκήσεως genera, & deinceps eadem etiam ad Christianos fuisse propagata. Et ad Ebraeos quidem, quod attinet, cum vera & genuinā sapientia suam in hac gente habuerit sedem, de exercitationibus quoque virtutis causa institutis multa hic dici possent, praesertim, si Patriarcharum, aliorumque virorum virtute & sapientia praestantium hic proponere in medium exempla vellemus. Sed vnicum hic annotasse suffecerit, eo etiam tempore quo vetus disciplina apud eos collapsa fere erat, & tantum non interierat, extitisse tamen in hac gente magnos quosdam viros, & in philosophica ἀσκήσει multum excellentes. Essenós innuo, quorum instituta ita describit Flavius Iosephus τ., Esseni, gente „quidem Iudaei, verum inter se mutuo a „more coniunctissimi: & qui praeter caeteras

„ras voluptates quidem quasi maleficia vi-
 „tarent: continentiam vero servare, neque
 „cupiditati succumbere, virtutem maximam
 „ducerent. Itaque nuptias quidem fastidi-
 „unt, alienos vero filios, dum adhuc molles
 „sunt, eruditioni traditos pro cognatis ha-
 „bentes, suis moribus diligenter instituunt:
 „non quia coniugia vel humani generis suc-
 „cessionem censeant perimendam: sed quia
 „cauendam putent intemperantiam foemi-
 „narum, nullam earum vni viro fidem,
 „servare credentes. **Quin** & diuitiarum
 „contemptores sunt, rerumque apud eos
 „communicatio admirationi habetur, ne-
 „que inuenias alteri alterum opulentia prae-
 „stare: legemque sibi dixerunt, vt qui di-
 „sciplinam suam sectari vellent bona con-
 „tubernio publicarent. Probro autem du-
 „cunt oleum, & si quis vel inuitus vnctus
 „fuerit, munditiis corpus abstergunt: quo-
 „niam squalorem decorem putant, dummo-
 „do semper in veste sint candida, &c. Ea-
 „dem hic fere instituta videmus, ac supra
 „sparsim in Pythagoraeis notauimus: nec im-
 „merito Thomas Godwinus comparationem
 „inter Pythagoraeos ac Essenos instituit: ob-
 „fer-

(s) in *Mose & Aarone lib. I. cap. XII.*

feruare simul licet, tribus istis vitiis capitalibus opposita illorum instituta fuisse. Quod summo studio omnes voluptates fugiant, ex Iosepho retulimus. Philo addit, eos meram aquam bibentes, ab omni vino fuisse alienos. Huc etiam pertinet, quod idem Iosephus memorat, summo studio olei vsum eos fugisse. Credebant enim eum ad voluptatem saltem atque luxuriam esse comparatum. Quod autem de connubiis dicit Iosephus, ab iis se abstinuisset Essenos, hoc non de omnibus intelligendum esse, manifestum est. Rursus vestitus eorum, ad modestiam erat compositus, additque porro idem: *Nec vestitum siue calceos mutant, nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longi temporis usu committis.* In quo rursus cum philosophis illis consentiebant, qui per cultus neglectum ambitioni se posse obuiam ire existimabant. Quae verò de bonorum communionem Iosephus commemorauit, manifesta sunt: quorsumque ea spectauerit, ex supra dictis nemini obscurum esse potest.

§. XXI. De Rechabitis, priusquam hinc discedamus, pauca aliquid addendum est. Namque & horum institutum videtur eiusmodi ἀσκήσεως, de quo hic loquimur, exemplum praebere. Ita vero hoc a vate sanctissimo Ieremia describitur: „Ionadab filius Rechabi, pater noster, interdixit nobis,

i-

„dicendo : ne bibitote vinum , vos aut filii
 „vestri unquam : & domum ne aedificatote ,
 „& semen ne feritote , vineamque ne con-
 „feritote , neque esto vobis : sed in tentoriis
 „habitetis omnibus diebus vestris vt viua-
 „tis diebus multis in superficie terrae , vbi
 „inquilini estis. XXXV. 6. 7. Interdictum de
 vino bibendo , temperantiae inferuire vi-
 detur. & alterum de vineis ac aedibus non
 possidendis pravae isti habendi , nobisque
 tanquam proprium aliquid vendicandi cu-
 piditati , quae in auaritiam tandem erumpit,
 debellandae. In quo adeo aliquid , quod
 cum philosophorum exercitationibus con-
 ueniat , elucelcit. Nihilo secius maximum
 tamen hic etiam apparet discrimen. Re-
 chabitae ex mandato patris haec obserua-
 bant : philosophi sua sponte has exercitatio-
 nes vsurpabant. Ad finem etiam instituti
 Rechabitici quod attinet , non inficiatus fu-
 ero , Ionadabum liberis suis talia iniungen-
 do ad animi etiam culturam atque felicitatem
 respexisse , cum haec omnia , quae il-
 lis praecepit ad fouendam pietatem , modo
 superstitio absit , omnino aliquid conferant :
 vero tamen valde est simile , politicas et-
 iam atque ciuiles quasdam subfuisse causas ,
 cur Ionadab posteros suos iis moribus im-
 butos voluerit. Constat Rechabitas ex gen-
 te Kenaeorum fuisse , adeoque inquilinos
 apud

apud Israelitas. Prudentia itaque suadebat, vt recte hac de re pronunciat Hermannus Witfius, v iis moribus viuere, quibus nemini essent graues, nihil expetentes eorum, quae alii possidebant, totoque vitae suae instituto edentes humilem professionem peregrinitatis. Idque eo magis, quod terra Canaan a Deo solis Israelitis in possessionem tradita erat: vnde magnam attrahere sibi inuidiam potuissent, si velut inuadere aliorum possessiones visi fuissent.

§. XXII. Nunc quo pacto & ad Christianos eadem fere ἀσκήσεις genera translata sint, paucis adhuc indicandum est: licet, inter ipsam ἀσκησιν Christianam ac philosophicam maximum intercedat discrimen, vt deinceps ostendemus. Nemo equidem vlla ratione veri Christiani titulum nomenque promeretur, qui non tribus istis vitiis ceu hostibus capitalibus, voluptati, ambitioni & avaritiae perpetuum indixerit, bellum: cumque fide in Christum gratiaque diuina instructi sint, quibus praesidiis destituti fuere gentiles, mirum non est, quod vel obscurissimus inter veros ac genuinos Christi discipulos plus hic proficiat, quam celeberrimi omnium philosophorum ac Gymnosophistarum. Interim, vt & in Christianismo certi dantur gradus, vnusque altero in purgando a reliquiis peccatorum, cu-

F f

pi-

(v) de Rechabitis §. XVII.

piditatibusque subiugandis est diligentior, ita fuerunt omni tempore summi quidam & cordati viri, qui diuiniore instinctu impulsus, singulares quasdam *ἀσκήσεις* instituerunt. Hinc & *Ascetarum* nomen illis haesit speciali quadam ratione, quo tamen ceteroquin merito omnes christiani insigniri possunt & debent. Ex horum itaque numero fuerunt, qui in primis post Christum natum seculis, solitarium vitae genus sectantes, in loca deserta se contulerunt, indeque Eremitarum atque Anachoretarum retulerunt nomen, ut Paulus Thebaeus, ac Antonius Aegyptius, viri sanctissimi & principes antesignani illorum, qui solitarium secuti sunt vitae genus. Horum *ἀσκήσεις* in vitis patrum legi possunt, quae certe abunde demonstrant, hosce homines vitam ab omni mollitie, deliciis, fastu ac ambitione longissime remotam duxisse: Christianaëque, adeo ecclesiae dedisse exempla, quae gentilibus, suos forte Ascetas commendantibus, opponat, immo longissimo interuallo praeferat.

§. XXIII. Cum ergo plurimi Pauli Thebaei atque Antonii exemplo concitati, vitam solitariam in desertis agerent, nonnulli ipsum quidem institutum non improbant, existimarunt tamen, si isti viri, quos ad sublimiora diuinus quidam instinctus rapie-

piēbat, erudiendis & doctrina pariter ac exemplo formandis iuuenibus operā suam commodarent, longe maius inde in ecclesiam redundaturum commodum. Praecipuus huius consilii auctor fuisse videtur Basilius Cappadocum Episcopus, qui cum litterarum quoque studia a iuuentute christiana, cum morum probitate vitaeque innocentia coniungi vellet, eam autem in gentilium scholis, Antiöchiae, Alexandriae, Athenis, erudiri, periculosum crederet, *Coenobia* (voce ex disciplina Pythagoraea petita) aut in urbibus, aut iuxta vrbes Episcopatus sui instituit, & vt ab aliis Episcopis instituerentur, auctor suasorque fuit. Ruffinus & docet, ista coenobia officinas fuisse, in quibus reiecta seculi cura animi diuina sapientia, pietate, & vniuerso sanctissimarum virtutum choro exornarentur. Gregorius Nazianzenus, addit eundem Monachos, procul ab urbibus in solitudinibus habitantes ad urbana & suburbana coenobia inuitasse, vt non tantum sibi, sed & aliis prodesse. Basilius vero exemplum deinceps Augustinus, Hieronymus, alique secuti sunt. Indeque simul patet, quid de Monachorum censendum sit origine, de qua variae cete-

F f 2

ro-

(x) lib. II. cap. IX. (y) in *Monodia*.

quin extant eruditorum sententiae, vt vel apud Polydorum Vergilium (z) videre licet. Prima origo scilicet ab Eremitis, Paulo Thebaeo atque Antonio est repetenda: sed Basilius eremiticam istam vitam paulisper immutauit, talemque formam dedit monasticae vitae, quae ad statum eius, qui sequentibus seculis inualuit, paulo propius accedit. Institutum autem Basili cum magna se commendaret vtilitate, arreptum a pluribus est ambabus manibus, certatimque adeo monasteria in orientali pariter ac occidentali ecclesia condita sunt.

§. XXIV. Ceterum Marcus Zverius Boxhornius a Monachos illorumque disciplinam ab Essenis accersit, id quod quousque admittendum sit, ex dictis haud difficulter intelligitur. In eo saltem non fallitur vir doctissimus, quod docet in multis capitibus Monachorum disciplinam, cum institutis Essenorum conuenire. Quod de veteribus tamen intelligendum. Vtrobique enim ad temperantiam, modestiam seu humilitatem, rerumque huius seculi contemptum animo induendum, cuncta fuere comparata. Sed ita non Essenorum modo, sed reliquorum etiam, de quibus haecenus verba fecimus Philosophorum instituta, cum veterum

(z) *de rerum inuentoribus lib. VII, cap. II. (a) Hist. vniuers. ad A. G. 30. p. 78.*

rum Monachorum comparari possunt disciplina. Et haec tenus admitti potest quod nonnulli Monasticae vitae defensores contendunt, non apud Ebraeos modo, sed gentiles etiam Monasticae disciplinae typos atque imagines reperiri. Ex recentissimis Scriptoribus hoc egit Claudius Delle, in libro cui titulum fecit: *Histoire ou Antiquitez de l'Etat Monastique & Religieux &c.*: qui causam quandam defendendam exornandamque sumunt, ut quocumque animum oculosque conuertunt, ibi inuenire sibi videantur, quod causae suae inseruit, ita ut Dellius tantum non ubique Monachos inuenit. Sic non tantum apud Ebraeos Nazaraei, Rechabitae, Prophetae, Esseni, Pharisei, Iohannes quoque Baptista, atque ita Christus Seruator: sed ex Gentilibus etiam Pythagoraei, Isidis Sacerdotes, Socrates, Plato, Antisthenes, Menedemus, Epimenides, Zenon, Aristippus, Empedocles, Hippias, horumque discipuli & successores, Magi quoque & Druidae, nihil aliud illi sunt quam Monachi. Quo ipso se iusto liberaliorem, in augendo Monachorum numero praebet, multi quoque ita comparati sunt, ut hanc gloriam Monachis modernis non inuisuri sint Protestantes, quod eos inter praecursores suos numerent. Aliquid tamen, quod negari nequit, veritatis subest, cum supra.

a nobis ipsis obseruatum fit, *ἀσκήσεις* viro-
rum sanctorum apud Ebraeos & Philoso-
phorum quorundam apud gentiles, cum
institutis veterum monachorum in quibus-
dam consentire. At vt absonum esset in o-
mnibus capitibus hanc conuenientiam velle
asserere, ita omnes Philosophos in Ascetas
conuertere, pariter ridiculum est.

§. XXV. Multo autem minus haec com-
paratio in recentiori statu monastico, a veteri
roto coelo discrepante, procedit: quippe iu
quo vix umbra, ne philosophicae quidem,
multo minus verae & genuinae *ἀσκήσεως*,
deprehenditur. Intellego autem hoc de ple-
risque in hoc statu viuētibz, itemque de
statu hoc in se spectato, eiusque corruptio-
ne: ceteroquin enim inter ipsos Monachos
viros quosdam pios & doctos, qui serio istas
ἀσκήσεις adhibeant, viuere, neutiquam in-
ficiatus fuero. Enimvero cum veterum Mo-
nachorum & Ascetarum institutum ad ani-
mi emendationem, progressumque quotidia-
num in virtutibus Christiano dignis, vnice
spectaret: externa autem in tantum saltem
adhiberent, in quantum ad hunc finem ob-
tinendum erant comparata: nullis quoque
votis, aut aliis medijs coactionem sapien-
tibus, sed liberrimo animi consilio hos in-
stitutum sequerentur: sensim ab his mori-
bus descitum est, eoque tandem peruen-
tum, vt neglecta interna animi cultura, per-
pue-

puerilem superstitionem externis illis totam ἀσκήσειν absolui arbitrarentur. Hinc de certis vestimentorum generibus, de tonsura, deque aliis vanis ac inanibus ceremoniis & ritibus tantum fuere solliciti, immemores eius, quod in toto hoc instituto praecipuum esse debebat. Proinde praeter tenuem umbram, nihil priscae istius disciplinae asceticae in monasteriis remansit. Umbra tamen haec testatur, quorsum olim res comparata fuerit: namque tria illa vota monastica castitatis, paupertatis & obedientiae, itidem tribus vitiis capitalibus voluptati, avaritiae & ambitioni respondent. Et in hisce velut summa status monastici consistit. Vnde & Monachus a Roberto Bellarmino Cardinali describitur, ^b, quod sit *religiosus in statu hominum ad perfectionem Christianam per aptissima perfectionis instrumenta paupertatis, continentiae & obedientiae vota tendentium*. At solis votis sane hic parum proficitur, nisi alia adsint media hostes hosce profigandi: vnde errat Cardinalis, dum & ipsa vota vocat instrumenta, quibus aliquis hanc perfectionem consequi possit.

§. XXVI. Res ipsa utique & experientia docet, vix vestigia verae ἀσκήσεως apud recentiores Monachos reperiri. Hinc tot

Ff 4

quere-

(b) *lib. III. de Monachis. pag. 526.*

querelae gratisſimorum virorum de corruptis Monachorum moribus proſtant. Ipſe Deſiderius Erasmus vix ſecundius argumentum, in quo lepidiſſimi ingenii ſui vires exerceret, reperire potuit, quam cum de inconditis Monachorum moribus commentaretur. Huic adiungo Henricum Cornelium Agrippam aſſerentem e in monaſteriis “haberi ſtoicas ſimias, inſolentiſſima, “poſcinummiā, palliata mendicabula, cucullata monſtra, barbigeros, funigeros, reſtiſeros, ſaccigerulos, loripedes, lignipedes, “nudipedes, atratos, nigritas, ac id genus “hiſtrionum turbam, quorum vanitates & “er. o es non caperent omnes pelles Madi- “an. Similia & apud alios, ipſius etiam eccleſiae Romanenſis doctores, paſſim leguntur. Immo iam ſuo tempore Bernhardus, maximus ceteroquin ſtatus monaſtici propugnator, de corruptis Monachorum moribus conqueſtus eſt. “Labor, inquit, alicubi d, & latebrae & voluntaria paupertas, hæc “ſunt Monachorum inſignia. Laborem, “quidem iactant, ſed otium amant: latebras “in Monaſteriis habent, ſed in aulis oberrant: “voluntariam paupertatem profitentur, ſed “quadrato abdomine diſfluunt. Ire etiam “per ſingula poſſem votorum monaſticorum
rum

(c). de vanitate ſcientiarum. (d) epiſt. XLII.

rum genera, & demonstrare, licet tribus vitiis hominum capitalibus ea opposita sint, singula tamen si vllibi, certe in monasteriis aperte regnare. Quemadmodum vero supra professus sum, inter tot corruptos Monachos, quosdam veros Ascetas fortassis reperiri: ita negari non potest, veram ἀσκησιν votis & regulis monasticis non esse adstrictam. Vnde simul patet, frustra esse Romanenses, si sibi persuadeant Ascetas in Monasteriis tantum latitare: cum aequae facile fit, vt illi etiam qui extra Monasteria degunt, singulari quadam ratione & per ἀσκήσεις haud vulgares verae pietati, adeoque & temperantiae, continentiae, humilitati, rerumque omnium abnegationi litent, qui summus certe est ἀσκήσεως gradus, quocunque etiam se externa habeant modo.

§. XXVII. Priusquam hinc discedam, facere non possum, quin flagellationis iniiciam mentionem, cuius quippe non ita pridem grauisimum in disciplina monastica abusus Boilaëus quidam, haud incelebris in Gallia Abbas, notauit in *Historia Flagellantium, de recto & peruerso flagrorum usu apud Christianos*: Parisiis A. M. DCC. edita. Videtur enim & haec Monastica ἀσκήσεως haud contemnenda pars a philosophis petita, & in Romanam introducta ecclesiam. Lucianus sa-

ne in Dialogo sub titulo Nigrini de moribus philosophi, refert, e extitisse sua aetate philosophos, qui virtutis exercitationem putabant, si multis necessitatibus & laboribus iuvenes resistere assuefecissent; quapropter multi se ligari iuebant, alii vero verberibus flagellabant, qui vero gratiosiores erant, superficiem cutis radebant ferro. Et conferri hic etiam possunt, quae de similibus fere Pythagoraeorum exercitationibus supra disseruimus. Apud veteres Christianos hoc ἀσκήσις genus plane incognitum fuisse, antea laudatus Auctor erudite docet, *capite V. & VI.* Sequenti autem septimo capite euincit, flagellationum spontanearum usum non inuentum fuisse ante annum M. XLVII. aut M. LVI. quo floruerit Petrus de Honestis, Damiani dictus, nec receptum sine magna virorum illustrium repugnantia. Brunonem quoque Carthusianorum Patriarcham Ascetis flagellationum spontanearum prorsus repudiasse, docet. Quo pacto autem orta tandem sit secta flagellantium, & quae ab ea incommoda in ecclesiam & rempublicam redundauerint, notius est, quam vt exponi hic a nobis debeat, & ipse quoque Auctor, capite nono fusius hoc edisserit. Ego certe non video, quod

fla-

flagellationes eiusmodi ad voluptates corporis edomandas aliquid conferre possint, immo ad eas irritandas interdum conducere, idem Abbas doctissimus comprobavit, capite decimo eiusdem operis. Nec ex scriptura sacra aut antiquae ecclesiae monumentis vel vnico exemplo hocce ασκήσεως genus probari potest. Abusum autem accedere grauisimum, eumque nec hodie in ecclesia Romanensi cessare manifestum est, plerisque strenue se flagellantibus, qui ceteroquin ad omne flagitiorum genus parati sunt. Vnde concludo non superuacuum modo, sed noxium etiam & minime tolerandum esse hoc ασκήσεως genus, meritoque adeo illud cum aliis superstitiosae & ineptae ασκήσεως generibus, a Protestantibus reici atque damnari.

§. XXVIII. Sed ad philosophicam reuertimur ασκησιν & quid in ea aut laude aut censura dignum, paucis exponemus. Primo itaque illi occurrunt, omnium maxime vituperandi, qui habitu cultuque externo philosophos mentientes, nihil minus erant quam philosophi. *Homines ignaui ac desidēs, ita eos depingit A. Gellius & operii barba & pallio mores ac emolumenta philosophiae in linguae verborumque artes conuertebant, intercutibus ipsi vitis madentes.*

Hi erant philosophi άνευ τῆς πράττειν, μέχρι τῆς

τῷ λέγειν, quos M. Aurelius Antoninus Imperator *Φύματα ἢ ἀποσήματα* vocat g & in quos illud Herodis supra iam relatam quadrat : *barbam & pallium video, philosophum non video*. Hi quod officio suo satis se fecisse putabant, si corpore squalidi, lacero pallio tecti, barba horridi, vultu tristes incederent, merito omnium se exponebant ludibrio: satyricisque scriptoribus Horatio, Persio, Iuuenali, Luciano, ridendi & iocandi haud infœcundum praebuerunt argumentum. Et Lucianus quidem eos alicubi ita describit: ἢ
 “gloriae cupidum, qui variis rationum labyrinthis excogitatis, alii sese Stoicos appellant, alii Academicos, alii Epicuraeos, alii Peripateticos, aliis item vocabulis his multo magis ridiculis. Deinde cum illud venerabile nomen sapientiae induerint, tum adductis in altum superciliis, promissimè sa barba, fucatoque habitu obambulant, simillimi tragaediarum actoribus: quibus si personam stolamque illam auro sparsam detraxeris, reliquum est ridiculum, nempe homunculus septem denariis ad agonem conductus. In his ergo cum ἀσκησις philosophica nihil aliud esset, quam foedisima & ridicula hypocrisis, non prolixa disquisitione, laudanda ne an vituperanda sit,

(g) lib. II. cap. XVI. (h) In Icat. p. m. 544.

fit, opus est. Mutatis nominibus hodie eadem luditur fabula. Hinc quod Pacuvius apud Gellium dixit: *ego odi homines ignava opera philosopha sententia*, id non male aliquis vni- ca immutata voce ita extulit: *ego odi homines ignava opera, theologa sententia*. Multi namque sunt, vt Saluianus i loquitur; *qui verbis de- conuerforum venerabili choro esse videri volunt: qui religionem vestibus simulant, qui fidem cingulo ad- serunt, qui sanctitatem pallio mentiuntur: interim vitam in lustris ac popinis agunt, & quod una ma- nu exstruunt, hos est, doctrina, id altera, vita vide- licet, destruant.*

§. XXIX. Alii vero forte serio & non per simulationem ad coërcendas cupiditates hasce exercitationes instituerunt, quos ta- men saltem inter Ethnicos philosophos, lon- ge paucissimos fuisse arbitror. At non erra- uero, si dixerim in hisce, qui optimi fuisse videntur, semper subtilem quamdam ambi- tionem gloriaeque latuisse cupiditatem, quam ipsi forte non agnouerunt. Antisthe- nem certe huius vitii arguit Socrates. Cum enim ille discissum pallium, ita vt conspice- retur, aliquando vertisset, & Socrates id vi- deret: *ὄρω* inquebat, *σου διὰ τὸ τελεῶν τὴν φιλοδοξίαν*, tuam per pallium gloriae cupiditatem video. ^k Diogenes Synopenfis, Cynicorum emi-

(i) contra auaritiā p. m. 53. (k) Laërtius in An- tisthene.


eminentissimus, ob singulares ἀσκήσεις longe fuit, vt supra diximus, celebratissimus. At & huic gloriae cupiditatem exprobrauit Plato. Huius enim cum ille conculcasset stragulam, addens: Platonis inane studium, conculco, gerebat Plato: *ὅσον ὃ Διόγνης ἔτυψεν διαφάνεις, διοκῶν μὴ τετυφώσθαι, quam tam o! Diogenes, qui elatus non videris, elationem praee se fers?* Ipse hoc agnoscit Seneca, totum philosophicae ἀσκήσεως apparatus apud plerosque nihil aliud quam ambitionis & vanae gloriae fuisse instrumenta. A-
 “sperum, inquit, m cultum & intonsum ca-
 “put & negligentiosem barbā & indictum
 “argento odium, & cubile humi positum, &
 “quidquid aliud ambitionum peruerſa vita
 “sequitur, deuita. Pleraque hic vides phi-
 losophicae ἀσκήσεως instrumenta enumera-
 ta, sed ob iniustam eis ambitionis notam,
 vnico etiam prostrata ictu. Sed nolo plura
 addere: ex instituto enim hac de re expo-
 suimus, in dialogo de *moribus philosophorum*.

§. XXX. Summa ergo totius rei huc redit. In se quidem ἀσκήσιν istam magnopere laudatam censeo. Et quis non laudaret omne istud, quod vitis, quae infelices homines reddunt, opponimus? At in gentilium philosophorum ἀσκήσιν haecenus illud de-
 defi-

(1) vid. Diogenes Laërtius lib. VII. (m) epist. V.

desiderandum, quod primo semper labes subtilioris ambitionis splendidissimis illorum adspersa fuerit actionibus. Deinde quod ista *ἀσκήσει* sua, quantumuis austeram, quantumuis rigida, verum tamen non obtinuerint finem; quem sine fide vera, sine gratia Dei, per fidem tantum operante, frustra quis consequi annititur. Rursus & illud desidero, quod vnaquaeque secta suas *ἀσκήσεις*, promiscue omnibus commendauerit, cum aliae contra exercitationes conueniant iis, qui voluptati dediti sunt; aliae iis, quos ambitio vexat; aliae, quos auaritia in transuersum agit. Sed quidquid huius sit, studium, quod in prauis cupiditatibus debellandis posuerunt, in se laudandum. Immo eiusmodi hoc est, ut effoeminatos & molles homines, qui se Christianos vocant, rubore perfundere debeat, quod hi diuinae gratiae thesauris abundantes torpeant, & inter voluptates foedisimasque cupiditates vix ferre queant, ut laudentur ista *ἀσκήσεως* genera, tantum abest, ut similes virtutis causa subire molestias velint. Atque hic est vnicus fere, saltem praecipuus philosophiae fructus, ut istam veterum fortitudinem videntes, atque expendentes tandem cogitemus, quid nos deceat, quorum erat in omni virtutum genere ita excellere, ut longissimo spatio istos gentilium Ascetas post nos relinquamus.

T A N T V M.



SERIES EXERCITATIONVM.

I.

De Peregrinationibus Pythagorae.

II.

Philosophus fabularum amator.

III.

De erroribus stoicorum, prima.

IV.

De erroribus stoicorum, secunda.

V.

De erroribus stoicorum, tertia.

VI.

De erroribus stoicorum, quarta.

VII.

De scepticismo Morali.

VIII.

De superstioso mortuorum apud Chinenſes cultu.

IX.

De ſpinoziſmo ante ſpinozam.

X.

De ΚΑΘΑΡΣΕΙ Pythagoraeo-Platonica.

XI.

De ΑΣΚΗΣΕΙ Philoſophica.

a

INDEX



INDEX RERVM.

A

- A**baelardus. Spinozismi reus agitur, 339. sq.
- de* Abstinentia ab esu carniū, 414-418,
à vino. 418-421.
- Aegypti status tempore Pythagorae, 14. sq.
- de* Affectibus & eorum causis Stoicorum
sententia, 184. sqq.
- Affectus per opiniones haut recte defini
ri a stoicis. 187. sq.
- Agrippa (Henr. Cornel.) an scepticus
fuerit. 210.
- Alexander Epicuraeus spinozista. 326. sq.
- L' Allemanderus (Joannes) scepticis an-
numeratur. 212.
- Almaricus Spinozista. 328.
vnde Spinozismum
hauserit. 328. sq. 334. sq.
- Ambitioni quomodo obuiam iuerint Philo-
sophi veteres. 425. sqq.
- Amor corporeus, sed licitus, an ex Plato-
nis mente ad animae
ascensum aliquid conferat? 397. sqqq.
- de* Amore, quae Plato docuit, intelligen-
da de amore incorporeo. 395. sq.
- Anacharsis spontaneae paupertatis pro-
fessor. 435.
Ana-

- Anacharsidis epistola veteris philosophi
 imaginem exhibens. *ibid.*
- Anima humana est particula diuinæ essen-
 tiæ ex mente stoicorum. 90. sqq.
- Pythagoræ. 94. 97.
- Platonis. 94. sq.
- & Haereticorum qu. 95. sq.
- confutatur hæc opinio. 96. sq.
- Animæ brutorum sunt particulae essentiae
 diuinæ secundum stoicos. 100.
- ἄνθος* quid sit ex mente Pythagoræorum
 371. sq.
- Antoninus (M. Aurelius) quid à diogneto
 didicerit. 412. sq.
- Antoninus (M. Aurelius) aliquando ine-
 pte supersticiosus. III.
- humi cubauit. 423. sq.
- Philosophiam practicam theoreti-
 cæ prætulit. 98.
- peccata omnia simpliciter aequa-
 lia haut putauit. 190.
- Ἀπάθεια* stoicorum examinatur. 189. sqq.
- Apuleius Plonicus amorem corporeum
 extollit. 393. sq.
- Aquæ lustralis pontificiorum origo 384. sq.
- Arcefilas omnia impugnabat. 211. 212.
- Aristippus opum contemtor. 435.
- Aristoteles atheus & Spinozista. 335. sqq.
- cur Philosophum fabularum amatorem
 velit. 46. 52. sq.
- Arnaldus autor dicitur Tomi II. operis cui

- titulus : Morale Prat. des Iesuites. 272.
 Autor tomi III. dicti operis 274.
 A Iesuitis impugnatus. 272. 273.
 inter eum & Iuriaeum, ratione con-
 uersionis Chinenfium controuerfia or-
 ta, 271. 272.
 itemque Vdephonfum. 276. fq.
 Arriaga (Rodericus) fcepticis accenfe-
 tur. 212.
 Ascenfus quid fit ex mente Pythagoraeo-
 rum ? 371.
 ἀσκήσις omnia genera ad tria reuocan-
 tur. 413. fqq.
 ἄσκησις philosophica quid ? 411.
 Affimilatio Dei finis philosophiae Pythago-
 raeo-Platonicae. 366. fqq.
 ea caute capienda. 404. fq.
 ἄταραξία an summa felicitas ! 237. fq.
 Atheismus Spinozae. 312. 313. 314. 315. 316.
 confutatur. 354. fqq.
 περὶ αὐτοχρησίας fententia ftoicorum. 192. fqq.
 rejicitur. 194. fqq. 198.
 aliorum contra eam rationes ex-
 aminantur. 196. fq.

B

- B**aculus an Apoftolis a Chrifto per-
 miffus. 438. fq.
 Baelius (Petrus) 336. 392.
 Barbam cur Philofophi aluerint. 430. fqq.
 Baffon (Sebastianus) certitudinem Phyfi-
 ces in dubium vocauit. 215.
 Beni.

- Berigardus (Claudius) idem fecit. ibid.**
Bernierius 215.
Boehmius (Iacobus) Spinozista non
fuit. 346. 347. 349.
Bonorum communio vide Communio.
Bonum quid sit, explicatur. 108. sqqq.
errores stoicorum de eo. 104. sqqq.
refelluntur. 107. sqq.
Brandolini (Lippi) paradoxa Christia-
na. 130. sq.
Bruta ratione carere, probatur. 102. 103.
Brutis rationem stoici tribuunt. 100. 101.

C.

- Cabbaliftae num spinozismi rei.** 346. sqq.
Caefalpinus (Andreas) optimus Ari-
ftotelis interpres. 336. sq.
consentientia spinozismo do-
cuit. 337. sqq.
Carneades incertitudinis fontem in mentis
noftrae imbecillitate quaefuit. 211. 212.
Carnium efus. vid. Abftinentia ab efu car-
num.
Carpzouius (Io. Benedictus) Spenerum
Cum spinoza inique comparat. 353.
Cartefiani an spinozismi fufpecti. 350.
Cartefius fcepticifimi arguitur. 215.
Certitudo quaedam in moralibus ab ipsis
fcepticis admittitur. 234. sq.
Chaldaeis spinozifmus tribuitur. 345.
a 3 **Chinen-**

- Chinenses olim serum nomine noti, 265. sq.
 an Christianae Religionis vestigi-
 a apud eos reperta. 266. sq.
- Chinensium Philosophia a spinozismo haud
 differt. 279. sq. 351. sq.
 ritus, quo maiores suos & Confu-
 cium colunt. 287. sqq.
- Chrysofomi (Ioannis) paradoxa Christi-
 ana. 131. sq.
- Chrysofomus (Ioannes) errorem de sub-
 stantia diuina humanae animae
 accuratè confutauit. 95
- Cicero stoicorum paradoxa excusat & de-
 fendit. 129.
- Circumcisionis originem frustra Ægyptiis
 adscribit Marshamus. 17.
- Clerici (Ioannis) sententia de Causâ Ioti-
 onum apud Ebraeos sub examen
 reuocatur. 381. sqq.
- Cognitio sui ipsius primum medium ad fi-
 nem philosophiae obtinendum secun-
 dum Pythagoraeo-Platonicos. 368. sq.
- Colbergius, Weigelium & Boehmium fru-
 stra spinozismi reos agit. 346. sq.
- Communio bonorum an omnis improban-
 da? 444
ἀσκήσις philosophicae pars. 440. sq.
- Communio mulierum a Platone non san-
 cita. 441. sqqq.
- conscientiam erroneam nemo sequi cogi-
 tur. 259

Con-

Consensus Gentium. *vid.* Gentium Consensus.

Crates Cynicus opum contemtor. 434. sq.

Cratetis supellex. 437. sq.

Cultus religiosi & ciuilis discrimen. 295. sqq.

Cynici soli pallium sine tunicâ gestarunt. 433.

magno animo opes contempserunt. 434. sqqq.

D.

Democritus Atheus, non tamen spinozista. 324. sq.

Deum sequi ac imitari, quid sit ex mente stoicorum, 122-128.

stoicorum de eo errores. 164. sqq. 171. sq.

eius bonitatem everterunt stoici. 176. sq.

unum quo sensu admittant iidem. 173. sqqq.

Deus an potuerit sancire contraria his, quae ab eo nunc constituta sunt. 256. sq.

Deus spinozae qualis. 312. 315. sqq.

Depositionis Academicæ mos vnde originem habeat? 426.

Dinantius (david) Spinozista. 326. sqq.

an sua ab Alexandro epicuraeo hauserit. 326. sq.

an ab Almarico. 327. sq.

Diodorus Aspendius Pythagoraeus 429. sq.

Diogenes spontaneam sectatus est paupertatem. 436. sq.

dio-

- Diognetus quae Antoninum philosophum
docuerit. 412. fq.
divitiae. vide Opes. Dominicani in Chi-
nam veniunt. 267.
decreta contra Iesuitas a Pontifice obtinent.
268. fq. 270. fq.
Dominicanorum & Iesuitarum de cultu
mortuorum apud Chineses contro-
versia. 264. 274. sqqqqqq.
Iudicium de ea, 295. sqqqq.
Dominicanorum argumenta aduersus cul-
tum mortuorum apud chineses. 287. fq.
Dominicanorum ad argumenta Iesuitarum
exceptio, 293. fq.

E.

- E**braeorum philosophiae num recte spi-
nozismus obiectus. 346. fq.
Ebraeorum symbola purgationis internae.
375. fq.
Ebraeorum lotiones, lustrationes & purga-
tiones corporis. 375. fq.
Eleatica schola Atheismo infecta. 322. fq.
Epicurus legem naturae sustulit. 240.
consultatur. 210. fq.
cum eo non consentiunt, qui ex sociali-
tate ius naturae derivant. 241. fq.
Ἐπισημοῦν εἰς αὐτὸν Pythagoraeo-Platonica.
370. fq.
in Ἐποχῇ sceptici summam felicitatem fru-
stra quaerunt. 235. fq.
esse-

Essenorum instituta cum Pythagoraeorum
 exercitationibus conueniunt. 445. sqq.
 tribus capitalibus vitiis opposita fuerunt.

447-

ab Esu carniū abstinentia. vide, Absti-
 nentia.

Exercitationes ad Virtutem. vide Ἀσκησις
 philosophica. ambitioni a veteribus
 oppositae. 425-433.

item avaritiae 434. sqq.

& voluptati. 413, sqqq.

similes in usu apud Ebraeos. 445. sqqq.

F.

Fabula quid? 49. sqqq.

Fabularum amatorem cur philosophum
 velit Aristoteles? 46. 52. sq.

Fabularum primi natales debentur Aegy-
 ptiis. 55.

& horum quidem mercurio. 56. sq.

Fabulis poetarum arcana sapientiae tegi pro-
 batur testimoniis. 53. sq.

Fabulis poetarum historias variarum Genti-
 um forte ansam dedisse: sub ipsis tamen
 fabulis poetarum sapientiae praecepta
 occultari. 74.

in Fabulis poetarum antiquissimorum tem-
 porum historia num recte quaeratur?

68. sqqq.

num cuncta

ad Historiam sacram referenda? 71. sqqq.

a 5

sub

- ub Fabulis poëtarum occultari
 Theologiam naturalem. 76. sqq.
 Physicam. 78. sqq.
 Ethicam. 82. sq.
 Politicam. 83. sqq.
 & reliquas sapientiae humanae par-
 tes. 86.
 Fati Stoici malignitas. 176. sqqqq.
 Fatum stoicum homini libertatem eripit. 147.
 Felicitas summa in quo consistat ex mente
 stoicorum. 118. sqqq.
 Felicitatem summam sceptici in *επιτυχίᾳ* fru-
 stra quaerunt. 235. sq.
 Felicitatis summae certitudo contra scepticos
 defenditur. 236. sq.
 Franci (sebastiani) paradoxa christiana.
 132.

G.

- G** assendus. 215.
G entium consensus nihil facit ad fir-
 mandam doctrinam moralem. 246. sqq.
 Gerson (Ioannes) an scepticus? 210.
 Gnostici dicuntur fuisse valde impuri. 394.
 Graecanica philosophia Atheismi & spino-
 zismi labe infecta. 343. sq.

H.

- H** eraclitus Scepticis praelusit. 211.
H urnhaim (Hieronymus) philosophiae
 fundamenta subvertere quare conatus
 sit? 213.
 hob-

| | |
|---|----------------------------|
| Hobbesius. | 214. |
| Homerus num Scepticus fuerit? | 210. |
| Honesti & turpis discrimen adversus Scepticos defenditur. | 238. sqq. |
| Honestum an quid per se sit ante omnem legem? | 255. sqq. |
| Horatius stoicorum paradoxa ridet. | 130 |
| Huetius confutatur. | 12. sqq. 13. sqq. 57. sqq. |
| Halsius (Henricus). | 214. |

I.

| | |
|--|------------------------------------|
| I amblichus. | 9. 10. 58. 59. |
| Iesuitae in quibusdam moribus chinensium se attemperant. | 268. |
| Decretum Pontificis contra eos. | 268. sqq. |
| Decretum Pontificis pro iisdem. | 269. sqq. |
| Iesuitarum & Dominicanorum de cultu mortuorum apud chinenses controversia. | 264. 274. sqq. 278. sqq. 279. sqq. |
| Iudicium de ea. | 295. sqq. 296. sqq. |
| Iesuitarum de cultu mortuorum apud chinenses sententia a sorbonna damnatur | 283. sqq. |
| pro hoc cultu argumenta. | 291. sqq. |
| tum contra Iuriaeum tum contra Arnaldum scripta edita. | 273. sqq. |
| Iesuitarum Religio, liber gallicus scriptus & Iuriaeus adscriptus. | 276. sqq. |
| Idephonsum (Malaccens. Episc.) inter & Arnaldum lites. | 276. sqq. |
| Inimicos esse diligendos stoici aiunt. | 200. sqq. |
| | in |

Intellectus agens quid sit? ex mente stoicorum. 137. sqq.
 ex mente Ebraeorum. 139. sq.
 ex mente Aristotelis. 138. sq.
 ex mente Platonis. 138. 141.

Introversio, medium ad obtinendum finem secundum Pythagoraeo-Platonicos. 370. sq.

Ionici philosophi athei & Spinozistae. 343. sq.

Iupiter an idem cum Chamo? 69. sq.

Iuriaei contra Iesuitas defensio. 276.

Iuriaeus autor libri. la Politique du clerge de France, dicitur. 271.

negat se esse autorem libri, qui vocatur: l'Esprit de Mr. Arnauld. 272. sq.

Iuriaeum inter & Arnaldum ratione conversionis chinensium controversia. 271. sq.

Iuris naturae definitio in institutis Iustinian. porticum redolet. 101.

Iuris naturae fontem qui socialitatem faciunt, an cum Epicuro faciant? 241. sqq.

K.

Kάθαρις Pythagoraeo-Platonica. 369. sq. 383. 402. sq.

defectus eiusdem. 401. sq.

Κάθαρις Pythagoraeo-Platonica cum doctrina scripturae sacrae conferatur. 400. sq.

L.

Leucippus Atheus. 324.

Lotiones veterum. 375. sq.

Lustralis aqua Romanensium, vid. Aqua Iustra-

lustralis.

- Lustrationes veterum. 375. sqqqq.
 Lustrationes gentilium occasionem dederunt aquae lustrali in Ecclesia Romanensi. 384. sqq.
 Lustrationis abusus ipsis gentilibus improbat. 379. sq.
 Lustrationis modus varius fuit 378. sq.
 de Lustrationum causa Ioan. Clerici sententia examinatur. 381. sqq.

M.

- M**alebranchius Scepticismi arguitur. 215.
 Mali origo in materia quaesita ab ethnicis philosophis. 373. sq.
 de Malo & bono errores stoicorum recensentur. 104. sqqq.
 & refelluntur. 107-113.
 Marshamus Aegyptiis circumcisionis originem minus recte adscribit. 17. sq.
 Martinus Iesuita impetrat abolitionem decreti contra Iesuitas a Pontifice. 269. sq.
 Materia principium mali iuxta veteres. 373. sq.
 Mercurius Aegyptiorum, auctor hieroglyphicarum literar. 58.
 idem cum Thauto. 56. sq.
 an idem cum Mose? 57. sq.
 Missionarii ecclesiae Rom. in Chinam veniunt. 267. sq.
 morale

- Morale Pratique des Iesuites. 272.
274. 276. sq.
- Moralis doctrina ex gentium consensu
inepte deducitur aut firmatur. 246. sqq.
ex pudore non derivanda, 254. sq.
- Moralis doctrinae certitudinem in quibus-
dam admittunt etiam sceptici. 234. sq.
certitudo vindicatur. 244. sqq.
- Moralis Probabilismi figmentum proscribi-
tur. 251. sqq.
- Morus (Henricus) quid de Baehmio & spi-
noza censuerit. 349. sq.
platonicae philosophiae restaurator. 141.
- Moschus Phaenicus an idem cum Mose,
12. sqq.
- Mothaeus Vayerius (Franciscus) qualis
scepticus. 213.
- Muneribus publicis se subtrahere, an viri
sapientis, quod stoici asserunt. 199. sq.
- Mystica theologia propter sententias aut for-
mulas Platonicas non culpanda. 392. sq.
- Myfici philosophi an spinozistae. 346. sqq.
- Mysticorum via purgativa unde originem
trahat? 389. sqq.

N

- Nazaratus, Pythagorae praeceptor an
idem cum Ezechiele? 27. sqq.

O

- Officia erga Deum ex stoicorum men-
te. 164. sqq.
- erga seipsum ex eorundem mente. 183. sq.
quo

- quomodo diuisa a stoi-
cis ? 161. sqqq.
- Opes a philosophis quibusdam contem-
tae. 434. sqq.
- Orpheus totius philosophiae symbo-
lum. 75. sq.
- P
- P**aradoxa Christiana. Ioann. Chry-
sostomi. 131. sq.
- Lippi Brandolini. 130. sq.
- sebast. Franci. 132.
- de* Pallio philosophorum. 432. 433.
- Parmenides Spinozista. 322. sqq.
- Parkerus Atheismi crimen ab Ionicis phi-
losophis frustra remouere cona-
tur. 343. sq.
- Paupertas spontanea *ἀσκήσις* philosophi-
cae pars. 436. sq.
- Peccata non esse aequalia, contra stoicos
euincitur. 150. sqqq.
- Pelagio exemplum praeiuerunt stoici. 146.
- Peregrinandi prudentia. 41. 42.
- studium veterum philosophorum
defenditur. 4. 5.
- Peripatetici cum stoicis concilianrur. 189. sqq.
- Philosophi cur Bactroperitae dicti? 438.
- veteres. cur barbam aluerint. 430. sqq.
- Philosophia quid? 48. sq.
- quo purior est eo magis practica. 410. sq.
- Philosophiae definitio, quod sit medita-
tio mortis ex doctrina stoicorum
expli-

- explicatur & rejicitur. 97. fqqq.
 eadem & Platoni & Pythagorae
 tribuitur. 98
 Philosophorum veterum supellex. 437. fq.
 vestitus. vide vestitus.
 philosophum cur fabularum amatorem ve-
 lit Aristoteles? 46. 52. fq.
 Philosophus quid? 47. fq.
 Plato an autor sententiae: materiam esse
 principium mali. 374.
 an communionem vxorum docue-
 rit? 441. fqq.
 an scepticus? 210.
 virtutem donum Dei censuit. 146.
 Platonica philosophia a quibusdam spino-
 zismi arguitur, sed perperam. 328. fqqqqq.
 Trinitas. 333.
 Platonicae philosophiae finis. 367. fq.
 Platonici laudantur. 364. fq.
 an originem mali in materia quaesi-
 verint? 373
 quo iure impuritatis arguantur? 393. fqq.
 Platonico-Pythagoraeorum doctrina de cor-
 pore a labe & assimilatione Dei caute
 capienda. 404. fq.
 Platonicos prae caeteris a spinozismo re-
 motos esse. 329. fqq. 344.
 Platonis doctrina de amore, quomodo in-
 telligenda? 395. fq.
 mens de anima humana. 94. 95.
 sententia de anima mundi non patro-
 cinatur

- cinatur Spinozismo. 333. sq.
 Plotinus Spinozismi accusatur a Baelio
 329. sq.
 adversus eum defenditur. 330. sq.
 Plutarchus acerbè perstrinxit Stoicorum
 paradoxa. 129 sq.
 de Poena Stoicorum sententia. 154. sqq.
 Poëtae fabularum inuolucris veritatem oc-
 cultarunt. 64. sqqqq.
 quo pacto fabulis suis expresierint
 Ethicam? 82. sq.
 Physicam? 78. sqq.
 Politicam? 83. sqq.
 Theologiam naturalem? 76. sqq.
 & reliquas sapientiae humanae partes? 86.
 Preces ad obtinendã purgationẽ necesari-
 agnouerunt Pythagoraeo-Platonici. 402. 403.
 Probabilismi moralis figmentum proscribi-
 tur. 251. sqq.
 ex Pudore actionum moralitatem metien-
 tes, Scepticismi arguuntur. 254. sq.
 Purgandus animus a labe corporea ex men-
 te Pythagoraeo-Platoniorum. 372.
 Purgatio Pythagoraeo-Platonica. 369. sqq.
 383. sq.
 quid de ea sentiendum? 400. sqq.
 Purgationes corporis apud veteres. 375. sqq.
 gentilium, occasionem dederunt aquae
 lustrali in ecclesia Romanensiu. 384. sqq.
 Purgationis internae symbola apud veteres.
 375. sqq.
 Purgatorium Romanensium ex theologia
 gentilium & philosophia Platonica

- originem duxit. 386. sqq.
 Pyrrho, scepticus summus. 211. 212.
 Pythagoraei an squalido vfi vestitu, cum
 candida veste induti dicantur. 428. 429.
 nullis vfi sunt calceis. 429. sq.
 contemptu, obiectionibus & interrogatio-
 nibus primis annis exercebantur. 429. sq.
 laudantur. 364. sq.
 Pythagoricae philosophiae finis. 366. sq.
 Pythagoraeo-Platonicae philosophiae me-
 dia. 368. sqqq.
 Pythagoras de anima humana quid sen-
 serit? 94.
 communionem bonorum introduxit. 440. sqq.
 mali originem in materia quaesivit. 373. sq.
 de immortalitate animae quid docu-
 erit? 20.
 prudenter peregrinatus est. 5. sqq.
 eius indoles diuina credita. 6. sqq.
 quaenam eius patria. 8.
 eius praeceptores. 8. 9. sqq.
 an filius Dei habitus sit? 9. sq.
 ad Phaenicios profectus est. 12.
 quomodo in Aegypto exceptus. 15. sq.
 ibi circumcifixus est. 16. sq.
 sacris Iovis Cretensis initiatus est. 19.
 an numerorum doctrinam in Aegypto
 hauserit. 21. sq.
 captivus Babylonem delatus. 23. sqq.
 Magica disciplina, qua imbutus est, qualis
 fuerit? 25. sqq.
 Nazaratum praeceptorem habuit. 27. sqq.
 an

an Ezechielem praeceptorem habuerit? 16
 multa ab Ebraeis hausit. 37. sqq.
 rediit in patriam. 39. sq.
 eius philosophia vnde Italica dicta? 40. sq.

R

Ratio brevis tribuitur a Stoicis. 100. sq.
 pro regula omnium actionum minus
 recte venditur. 257.
 Rationi non omnis cognitio veri bonique
 deneganda. 258. sq.
 Rechabitarum institutum cum philosophorum
 exercitationibus comparatur. 447. sq.
 Regius (Ioannes) 214

S

Sanchez (Franciscus) an scepticus? 210. sq.
 Sapiens num inter tormenta beatus sit
 vt Stoici volunt? 135. sqq.
 Sapientem non ignoscere, quod Stoicorum
 essatum est rejicitur. 154. sqq.
 sibi sufficere Stoici falso sibi persuade-
 runt. 133. sqq.
 Sapiencia fabulis inuoluta a poetis v. sq. 74. sqq.
 Sapientiae characteres. 300. sqq. qq.
 ad Sapientiam quaenam via optima? 302. sq.
 Saturnus an idem cum Noacho? 70. sq.
 Sceptici quaedam in moralibus pro certis &
 firmis admittunt. 234. sq.
 summum bonum frustra in ερωξι
 quaerunt. 235. sqq.
 discrimen turpis & honesti frustra tol-
 lunt. 238. sqq.
 Scepticismi arguuntur, qui Ius naturae ho-

INDEX RERVM.

- minibus cum brutis commune statu-
ant. 253. fq.
qui ex pudore honestatis rationem
deducunt. 254. fq.
qui quaedam per se ante omnem le-
gem turpia aut honesta statuunt. 255. fq.
qui potuisse Deum sancire contraria-
his, quae ab eo constituta sunt & prae-
cepta, putant. 256. fq.
qui intellectum pro regula omnium
actionum vendicant. 257.
qui rationi cognitionem veri & boni
plane denegant. 258. fq.
qui conscientiam erroneam sequen-
dam esse defendunt. 259.
Scepticismi quidam perperam arguun-
tur. 209. fqq.
Scepticismi vniuersalis propugnatores. 211. 212
Scepticismus bonarum artium pestis. 209.
Scepticismus vniuersalis destruitur. 232. fqq.
a quibus debellatus est. 234.
Scepticismus particularis varii generis
est. 212. fqq.
Scepticismus moralis. 216. fqq.
evertitur. 244. fqq.
eius causae. 230. fq.
hunc non tam doctrina, quam vita non-
nullos prodere. 229. fq.
& hunc fugiendum esse. 260.
Scotistae Spinozismi rei. 239. fq.
non tamen omnes. 340.
Scri-

- Scripturae sacrae auctoritatem oppugnauerunt Spinoza, Hobbesius, aliique. 214
- Simonius (Richardus) 214
- Socialitatem qui iuris naturae principium faciunt, an faciant cum Epicuro, & scepticismi arguendi? 241. sqq.
- Socrates peregrinandi studium reiecit, an scepticus? 210.
- Somno ad necessitatem, non voluptatem utebantur philosophi veteres. 423. sqq.
- Spenerus cum Spinoza inique comparatur a Carpouio. 352. sqq.
- Spinoza. 213. sq. 310. sq. 349. sq. atheis omnino annumerandus. 316. sq. nullam substantiam dari praeter Deum asserit. 313. sqq. quod confutatur. 354. sqq. cur in tantos errores prolapsus sit? 310. sq. quo pacto ei obuiam eundem. 311. sq.
- Spinozae atheismi fundamenta. 312. sqq. doctrinae summa & caput. 314. sq.
- Spinozismi fundamenta euertuntur 354. sqq.
- Spinozismus non temere alicui imputandus. 352
- Spinozistae ante Spinozam recensentur. 317. sqq.
- Stoicae philosophiae summa. 124.
- Stoici bonitatem Dei euerterunt. 176. sq. fati malignitas. 176. sqq. unum Deum quo sensu admiserint? 173. sqq. cum Peripateticis conciliantur. 190. sq.

INDEX RERVM.

- communis conciliandi eos ratio reuocatur. 191. seq.
- Spinozismo propiores. 340. fqq.
- Stoici Sapiens est, publicis muneribus se subtrahere. 199. sq.
- Stoici Pelagio exemplum praeiuerunt. 146. voluntati quandoque libertatem tribuunt. 143. sq.
- Stoicorum ἀνάδεια examinatur. 189. fqq.
- distinctio officiorum in καθήκοντα & κατὰ δόξαν 161. fqq.
- Stoicorum definitio philosophiae quod sit meditatio mortis, explicata & reiecta. 98. 99. 100.
- Stoicorum errores de bonis & malis. 104. fqq. refelluntur. 107. sq.
- Stoicorum errores circa voluntatem. 144. sq.
- Stoicorum errores circa officia hominis erga seipsum 183. sq.
- officia hominis erga alios 200. fqq.
- Stoicorum logomachiae reprehenduntur. 156. fqq.
- Stoicorum de Numine errores cum erroribus veter. haeticorum conferuntur. 169. fqq. & confutantur. 171. fqq.
- Stoicorum sententia de affectibus eorumque causis, 184. fqqqq.
- περὶ αὐτοχρησίας 192. fqq.
- reiuocatur 194. fqq.
- Stoicorum sententia de intellectu agente. 137. fqqqqqqq.
- de officiis erga Deum. 164. fqq.

| | |
|---|-------------|
| de summo bono. | 118. fqq. |
| Stoicorum Paradoxa pleraque ad summum bonum referuntur. | 128. fq. |
| veterum quorundam de his iudicia. | 129. 130. |
| Stoicum fatum hominieripuit libertatem. | 147. |
| Strato Lampfacenus docuit eadem, quae postea Spinoza. | 317. fqq. |
| Stultitiae characteres. | 300. fqqqq. |
| Summum bonum Platonis. | 367. fq. |
| Pythagorae. | 366. fq. |
| Scepticorum. | 235. fqq. |
| Stoicorum. | 118. fqq. |

Thautus idem cum Mercurio Aegyptiorum,

 an idem cum Mose? 56. fq.

Theologia mystica ex Platonismo derivatur. 389. fqq.

 non culpanda ideo quod Platonicas sententias aut formulas retinuerit. 392. fq.

Theosophici philosophi num Spinozismi rei? 346. fqq.

Turpe num quid per se fit ante omnem legem? 255. fq.

Turpis & honesti discrimen defenditur adversus scepticos. 238. fqq.

V.

Varro spinozismi suspectus 345.

Vayerius (Franciscus Mothæus) videatur Mothæus.

Veritatem occultandi consuetudo orta est ab Aegyptiis. 55. fqqq.

 in vsta fuit apud Ebraeos. 59. fq.

 ab Aegyptiis ad Chineses, Syros, Arabes

aliasque gentes propagata est. 61. sqq.
 hanc secuti etiam sunt Graeci & Latini.

64. sqq.

Verulamius (Franc. Baco) an scepticus? 210.

Vestitus veterum philosophorum cursqualidus? 427. sqq.

Vini vsus quibus & quare Pythagoras vetuerit? 418. sqq.

Virtus donum Dei sec. Platonem. 146. 412.
 exercitatione non acquiritur. 412.

Vives (Ludouicus) an scepticus? 210.
 circa Voluntatem errores Stoicorum.

144. sq. 147.

Voluntatis libertas asserta aduersus Stoicos. 149. sq.

Voluptati a veteribus opposita remedia. 413. sqq.

Vossius (Isaacus). 214.

W.

Wachterus (Io. Georgius) Cabbalistis Spinozismum minus recte tribuit. 346. sqq.

Weigelius (Valentinus) an Spinozista? 346. sqq.


X.

Xenophanes Colophonius docuit eadem quae Spinoza. 320. sqq.

Z.

Zabiis atheismus obiicitur. 345.
 Zeno Eleates praelusit Pyrrhoni. 211.

Zoroaster an idem cum Mose, & Ezechiele. 29. sqq.



LECTORI BENEVOLO.

Cum ipse emendandis ac corrigendis ty-
 pothetarum erratis, absens quippe &
 Ienae degens, libro hocce Halae Saxonum
 impresso, operam nauare non potuerim,
 plurima sane atque inter ea grauiora, quae-
 dam irrepserunt. Quod licet me male ha-
 beat, nihil tamen aliud superest, quam vt
 ea, nunc paucis indicem, quae sensum pla-
 ne turbare aut euertere possit: in reliquis ad
 lectoris æquitatem & humanitatem confugi-
 am rogemque eum, vt ea ipse emendare haud
 grauetur. Praecipua autem, quae hic no-
 tanda censui, haec sunt: In præfatione p. 5.
 lin. 14. pro documento, lege documento. p. 8. lin.
 8. pro couseruet, lege conseruet. p. 9. lin. 17. pro
insignitum, lege insignitam. p. 10. lin. 20. pro
Secundum, lege secundum. p. 14. lin. 1. pro
HERMISSVS, leg. HERMIPPVS. p. 15. lin. 18.
 pro quae libet, lege quaelibet. ibid. in annotat.
 pro historie, lege histoire. p. 18. lin. 7. pro ex
lege &. ib. lin. 15. pro id lege Id. ibid. lin. vlt.
 pro exempla lege Exempla. p. 17. lin. 10. pro
mibi, lege Mibi. ibid. lin. 21. pro existimo, le-
 ge Existimo. p. 22. lin. 15. pro PETRONIVS,
 lege PEZRONIVS. ib. lin. 17. post Vnum
 ponatur comma. p. 23. lin. 10. deleatur huc.

ibid. lin. 26. pro *sufficiunt*, lege *Sufficiunt*. p. 24.
 lin. 19. pro *restauratore*, lege *restauratori*. p. 25.
 lin. 16. pro *idem*, lege *Idem*. ib. lin. 17. pro
afferrimum, lege *afferrimam*. p. 26. lin. 1. pro
in, lege *In*. ibid. lin. 3. deleantur verba: *ad*
nostra usque tempora. ib. lin. II. pro *BERNHAR-*
TO, lege *BERNHARDO*. ib. lin. 14. pro *vi*,
 lege *Vi*. ibid. lin. 22 & 23. pro *Dominicanorum*
hunc esse factum nemo dubitauerit: lege *Domini-*
canorum hunc esse factum nemo dubitauerit.
 p. 27. lin. 1. pro *fama*, lege *Fama*. ibid. lin. 3.
 pro *cenfura*, lege *cenfurae*. p. 28. lin. 24. pro
idem, lege *Idem*. p. 29. lin. 10. pro *viti*, lege
Viti. p. 31. lin. 10. pro *edificantes*, lege *edifican-*
tes. In *ipsis exercitationibus*, p. 21. lin. 2.
 pro *Et*, lege *Et*. ib. lin. 3. deleatur *se*. p. 36.
 lin. 17. post *vocem fuisse*, addatur: *non*. ibid.
 lin. 18. 19. pro *videt*, lege *mifere fedet*. p. 48.
 pro *Grotius*, lege *Victorius*. p. 51. lin. 11. pro
lutura, lege *luturna*. p. 61. in annotatis lin. 1.
 pro *Elieferis ad Pirke*, lege *ad Pirke Elieferis*. p.
 63. pro *Gothnico Roluone*, lege *Gothrico, Roluo-*
na. p. 67. lin. 7. pro *quem*, lege *quam*. p. 69.
 in annotatis lin. 2. pro *l. leg. 1.* & lin. 3. pro
7. lege 7. p. 73. lin. 14. post *huius*, addatur
rea. p. 77. lin. 15. pro *sententiaeque*, lege *sapi-*
entiaeque. ibid. lin. 17. post *maxime*, addatur:
ratione. p. 84. lin. 23. & 24. pro: *domino*, lege
dominio. p. 94. lin. 12. pro *1. leg. 8.* p. 95. lin.
 23. post *vocem ferant*: addatur, *errorem*. ibid.
 in annot. lin. 1. pro *Rappaldus*, lege *Rappaldus*.

p. 96. lin. 11, 12. deleantur verba: *vid. Lambertus Danaeus ad Augustinum. pag. 98. lin. 23. pro passe, lege pas so. p. 101. lin. 3. deleatur lib. 1. p. 104. in annot. lin. 1. pro us, unis, lege userie.*
 p. 107. in annot. lin. 1. pro *Et hic*, leg. *Ethic.*
 p. 112. lin. 22. pro *illos*, lege *illas*. ib. lin. vltim. post vocem, *que* addatur *de*. p. 113. lin. 18. pro *sumuntur* lege *sumunt*. p. 129. in annot. lin. 1. pro *so*. leg. *lin.* p. 145. lin. 2. pro *proprio*, lege *propitio*. p. 149. lin. 8. pro *gugnet*, lege *pugnet*.
 p. 152. lin. 3. pro *haec*, lege *hae*. ib. lin. 10. pro *asseret*, lege *abnuet*. p. 158. lin. 4. pro *Schilberus*, leg. *Schilberus*. ibid. lin. 12. pro *hoc*, lege *haec*. p. 169. lin. 22. pro *caum*, lege *ca tum* p. 173. lin. 12. pro *ut*, lege *utut*. p. 183. lin. 2. 3. pro *effectibus*, lege *effectibus*. p. 188. lin. 23. pro *sapius*, lege *sacpius*. p. 208. lin. 1. post vocem, *sunt*, haec inferantur: §. XIV. *sexto denique illorum, qui in moralibus alias opiniones foment.* p. 217. lin. 17. pro *hanc*, lege *hae*. p. 220. in annot. lin. 4. post vocem. *mal.* addatur *lib. 11.* p. 229. lin. penult. deleatur *hoc*. p. 234. lin. vltim. pro *hallatis*, lege *allatis*. p. 255. in annot. lin. 1. pro *Buffendorff*, lege *Puffendorff*. p. 257. lin. 7. pro *Hic*, lege *Hi*. p. 275. lin. penult. pro *Defense*, lege *Defenst*. p. 284. lin. 8. pro *do*, lege *de*. ib. lin. 14. pro *ea*, lege *eo*. p. 285. lin. 4. pro *Journal*, lege *Journal*. p. 286. lin. 7. pro *Lanvier*, lege *Lanvier*. p. 287. lin. 16. pro *oservationes*, lege *abservationes*. p. 298. pro *videtur*, lege *videretur*. p. 301. lin. 19. post vocem *aff-*
bilie

bilis, addatur: *est*. p. 321. lin. 13. pro *Substantiae*,
 lege *Substantiae*. p. 322. lin. 22. pro *senim*, lege
enim. p. 331. lin. 14. pro *tamen*, lege *tandem*.
 p. 332. lin. 1. pro *eam*, lege *cum*. p. 336. seqq.
 addenda sunt allegata in §. XVI. omiffa, &
 quidem lin. 22. ad vocem: *Hasselius*: in *pre-*
fatione Anti-Spinozae Wittichii, praemisfa; it. in
prefat. inuestigat. epist. ad Ebraeos. ib. lin. 24. ad
 vocem *Baelius*: in voce *Aristot.* p. 358. ib. lin.
 penult. pro *Munc*, lege *Nunc*. p. 337. lin. 2. ad
 vocem *Parkerus*, hoc addatur allegatum de
Deo & providentia divina, diff. 1. sect. XXIV. p.
65. seqq. p. 338. lin. 18. ad vocem *Baelius*, ad-
 datur: in voce *Spinoza* p. 1097. ib. lin. 21. ad vo-
 cem *Voffius*, addatur *de origine & progressu idolo-*
latriae lib. 11. cap. XL. p. m. 531. p. 339. lin. 21. ad
 vocem *Baelius*, addatur in voce *Caesalpin.* p.
 321. p. 340. kn. penult. pro *haec*, legatur, *bu-*
ius, & pro *sententia*, legatur, *sententiae*. p. 356.
 lin. 11. pro *praecipuae*, lege *praecipue*. p. 358. lin.
 19. pro *speketur*, lege *spektentur*. p. 363. lin. 20.
 pro *IV*, lege *XIV*. p. 365. lin. 13. pro *solet*, lege
posset. ib. lin. 25. post vocem *rudera*, addatur:
quam. p. 366. lin. 11. pro *finem*, lege *sine*. p. 372.
 lin. 18. pro *τῆς*, lege *δῆς*. p. 382. lin. 11. pro *ob-*
scure, lege *obscurae*. p. 386. lin. 1. pro *conferunt*,
 lege *confecerunt*. p. 387. lin. 11. pro *Molinnaeus*,
 lege *Molinacus*. p. 390. lin. 2. pro *A*, lege *a*.
 ib. lin. 18. pro *docuerit*, lege *docuerint*. p. 393.
 lin. 1. pro *te*, lege *et*. p. 398. lin. antepenult.
 pro *Ad*, lege *At*. p. 399. lin. 9. & 10. pro *alias*,
 lege

lege *alas*. ib. lin. II. pro *verum*, lege *iterum*.
 ib. lin. 19. pro *ad*, lege *ab*. p. 404. lin. 27. pro
ferri, lege *ferri*. ib. lin. penult. pro *deberet*,
 lege *debere*. p. 405. lin. II. pro *sana*, lege *sacra*,
 p. 415. lin. 15. pro *puibuscunq̄ue* lege *quibuscunq̄ue*.
 p. 418. lin. 21. pro *cum*, lege *cur*. p. 419. lin. 21.
 deleatur vox: *enim*. p. 433. lin. antepenult.
 pro *ferre*, lege *fere*. p. 453. lin. 9. post vocem
religieux &c. inserantur hæc verba: *qui Parisiis*
A. M DCXCIX. prodit. At quod plerisque
 contingit. ib. lin. 13. pro: *ut*, lege *et*. ib. lin.
 17. pro *ita*, lege *ipse*. p. 456. in annot. post
 vocem *scientiarum*, addatur: *cap. XLII*. p. 459.
 lin. penult. post vocem *conuersebant*, adden-
 dum: *et vitia facundissime accusabant*. p. 462.
 lin. 19. pro *iniustam*, lege *inustam*. ib. lin.
 25. pro *laudadam*, lege *laudan-*
dam.

F I N I S.



T.